COLLECTIO CONSVETUDINUM ET LEGUM IMPERIALIUM,

Hoc est,

GENERALES ET RECEPTÆ IN IMPERIO Consvetudines, ac leges Capitulares, à Divis Regibus & Imperatoribus Romanis partim confirmatæ, partim promulgatæ; ab eorundemque Consiliariis in Codices distinctim collectæ, & certo quodam titulorum ordine digestæ.

In quibus ea, quæ in Collectionem Constitutionum Imperialium, propter divulsam temporum seriem, commode referri non potuerunt, pleraque omnia continentur, inde ab ætate C. Julii Cæsaris Imperatoris & Dictatoris Romanorum, usque ad D. N. IMP. CAES. MATTHIAM. P.F. AUG. PP.

Editæ atque in lucem prolatæ industria & studio.

V. N. MELCHIORIS GOLDASTI HAIMINSFELDII, C. S.

Elenchum Tractatuum hac in Collectione contentorum columna secunda monstrabit.

Editio hæc postrema omni studio & labore ab omnibus vitiis Typographicis repurgata.

FRANCOFURTI AD MOENUM.
Sumptibus Johannis Davidis Zunneri.
Typis HEINRICI FRISII.
M. DC. LXXIV.

ELENCHVS TRACTATUUM, QVI IN HAC COLLECTIONE CONTINENTUR.

I. Consuetudines veterum Gallorum Germanorumque in moribus & institutis generalibus. fol. 1.

II. Consuetudines veterum Germanorum in moribus & institutis Generalibus. 5.

III. Lombarda, sive Leges Longobardorum Regiæ & Imperatoriæ. 11.

IV. Lotharij Imperatoris Augusti capitularia in imperio promulgata. 102.

V. Speculum Saxonum, sive Jus Provinciale Saxonum. 126.

VI. Wichbildum, sive ius municipale Magdeburgense. 168.

VII. Jus feudale Saxonum. 192.

VIII. Jus Camerale, sive novissimi iuris Imperialis compendium. 212

VIRO ILLUSTRI,
JOHANNI LUDOVICO DE VLM,

DOMINO IN MARBACH, MITTELBIBERBACH, & Honenfreyberg, Sacri Cæsarei Consistorii, & Interioris Consilii Senatori, Consiliario Domestico, & Cancellario Imperiali Aulico, Vicemgerenti Referendissimorum, & Superillustrissimorum S. Rom. Imperii per Germaniam, Galliam & Italiam Archicancellariorum, &c. Domino & Fautori suo.

MELCHIOR GOLDASTUS HAIMINSFELDIUS.

S. P. D.

QUod ego opus tibi offero, Vir Illustris, consuetudinum & Legum imperialium, quas hujusce collectionis inscriptio profitetur, id ad officium dignitatis tuæ proprie spectat atque attinet. Nec alium sibi patronum optare debuit, præterte maximum, interque maximos eximium Magnæ Germaniæ, quam Franciam veteres dixere, Cancellarium, hoc est, Sacri Palatii imperialis Logothetam, Quæstorem & Capellanum, penes quem Legum omnium sacrarum ratio, sigillum, tutela & publicatio, sacratissimi muneris auctoritate sancitur. Jure igitur atque merito hoc meum votivum munus publice in sacrario Cancellariorum tuorum, quam Sacristam mediæ ætatis scriptores appellant, suspendo, ut patrocinio tuo fretum & saluti communi commodare, & simul libere versari per ora clientum imperii tutumque esse ab invidorum insidiis possit. Confido in diligentia & dexteritate judicii tui, cujus gratia in universo sacro imperio ab utriusque religionis Ordinibus frequenter celebraris & constanter adamaris, te id facturum esse cum libenter, tum studiose. Etenim Leges sunt, eædemque sacræ ac imperiales, quarum (uti dictum est) ratio, quæ æquitatem illarum & justitiam dirigit, ad illustre tuum & amplissimum pertinet officium, quod nobis Jurisconsultorum filii hisce versibus eleganter descripserunt.

Hic est, qui leges Regni cancellat iniquas,
Et mandata pii Principis æqua facit:
Si quid obest populo, vel legibus est inimicum,
Quidquid obest, per eum desinit esse nocens.

Nec ratio tantum, verum ipsa etiam consignatio, per quam leges recipiunt autoritatem, in jure potestatis tuæ consistit. Siquidem usu hodierno constat, quod ait Auctor Historiæ, quæ de B. Ausberto conscripta legitur: *Cœpit esse Aulicus Scriba, doctus, conditorque Regalium privilegiorũ, &*

gerulus annuli Regalis, quo eadem signabantur privilegia. Et Joannes Curopalates in libro de officiis sacri Palatii Constantinopolitani, fol. 60. *Magnus Logotheta,* (id est, Cancellarius) *disponit mandata & Bullas Aureas, quæ ab Imperatore mittuntur ad Reges, Sultanos & Toparchas, atque hoc quidem proprium est Magni Logothetæ ministerium.* Videre profecto habes, nulla Principis constitutio, ulla sanctio, ullum diploma, ullum rescriptum, ulli Codicilli Imperatorii, non è Republica, atque etiam ex dignitate Imperatoris Ordinumque concedantur aut exeant.

Custodiam quoq; legum ad muneris tui amplitudinem attinere, satis apparet ex Ordinatione Caroli M. Imperatoris, quam Hincmarus Archiepisc. Rhemensis in Epistol. ad Carolomannum Regem & Principes Francorum refert his verbis: *Apocrisiario sociabatur Summus Cancellarius, qui à Secretis olim appellabatur, erantque illi subjecti prudentes & intelligentes ac fideles viri, qui præcepta Regia absq; immoderata cupiditatis venalitate scriberent, & secreta illis fideliter custodirent.* Et in Capitularib. Ludovici Pii Imperatoris legitur: *Sequentia quædam Capitula, ex Sanctorum Patrum Decretis, & Imperatorum edictis colligere curavimus, atq; inter nostra Capitula, lege firmissima tenenda, generali consultu, Erchenbaldo Cancellario nostro inserere jussimus.* Deniq; in Constitutione Caroli II. cognomento Calvi Imperatoris, facta in Comitiis Carisiacis, anno 1261. ita legitur: *Præterea necessarium duximus, ut commentationem nostram ex hoc scribere rogaremus, quæ ex more in nostro Palatio apud Cancellarium nostrum retineatur, & inde per Missos,* (id est, Commissarios) *nostros dirigatur.* Ut meo animo non inepte Gulielmus Budæus, vir rerum experientia, summa eruditione, & amplissima dignitate clarissimus, arbitretur, jure quodam te Nomophylacē, id est, legum præsidium & juris asylum, in Aula & imperio censeri.

Postremo diximus, publicationem quoq; legum & mandatorū imperialium esse in tuo pontificio reposita. Quid enim aliud sibi vult illa subscriptio, quæ in Commonitorio Alarici Regis Wisigothorum ad Goiaricum Comitem subnotata est? *Anianus vir Spectabilis* (qui fuit Cancellarius Regis) *ex præceptione D. N. Glorioſissimi Alarici Regis hunc Codicem de Theodosianis legibus atq; sententiis juris, vel diversis libris electum, &c. eo regnante edidit atq; subscripsit.* Quo pacto Justinianū et. imperatorem constituisse observamus, gloriosissimi quæstoris, (i.e. Cancellarii) subscriptionē esse necessariam, in *Novel. 114. c. 1. & in auth. glorios. C. de divers. rescript.*

Ex quibus à me usq; commemoratis abunde (opinor) eluceſcit, quam obrem *vox & custos legum justitiæq;, armarium legum, & principis imago,* appelleris à Cassiodoro, tuo in Imperiali Cancellaria apud Theodoricum Gothum Imperatorem antecessore, Epistolar. lib. 6. & 8. necnon & *Consilii Regalis particeps, precum arbiter, legum conditor,* ab Aurelio Symmacho Urbis Romæ Consule, lib. 1. epist. 17. Tu n. solus es, qui in omni ferme parte constituendæ Reipub. Principis vicem implere, aut certe obtinere crederis; quive caput es sanctioris & interioris Consilii Cancellariæ liberam habens administrationem: qui denique morum legumque perpetuum quoddā regimē recepisse videris. Quod munus primus omnium Octavius

vius Augustus Imperator Romanus, accepisse sibi delatum, non sibi sumpsisse dicitur. Tibi denique id auctoritatis esse oportet, cui omnes Imperij Ordines, sacri profani, rerum suarum gravissimarum arcana committere non dedignentur.

Qui quamvis in tanto dignationis fastigio collocatus sis, tamen usque adeo non extolleris aut fastidis tuo culmine inferiores, ut inaudita civilitate ac moderatione januam & vestibulum omni postulanti, omnibus horis patere patiaris. Et quum te omnibus numeris gravitatis, constantiæ, severitatis, prudentiæ, temperantiæ, fortitudinis, integritatis, absolutum esse virum, undecunque doctum, undique placentem, non mihi modo, sed cunctis Imperij Ordinibus, summis, medioximis, minimis constet; tamen earum rerum severitatem tantis condimentis humanitatis comitatisq; commitigavisti, ut ex omnibus unus placuisse videaris, cui sacrum hoc Capellaniæ & Sacristiæ Imperialis officium à tribus Archicapellanis commendaretur.

Quod ita tibi felix, fortunatum ac proprium esse à Deo Optimo Maximo volo, ut me meaque studia bene præclareque de Republica merendi, tibi grata acceptaque, & patrocinio favoris tui commendata in posterum quoque cupio. d fiet, ubi votivum isthoc opus in Capella & Sacristia tua æquis oculis, quibus priora mea monumenta solitus es, respexeris. Quod uti facias, te per genium amoris & affectionis obsecro, quibus illustre nomen tuum jam pridem olim colo atque observo: cui nihil gratius, nihil jucundius, nihil acceptius contingere umquam poterit, quam tibi officia mea ac studia qualiacumque præstare simul & comprobare. Dat. Francofordiæ ad Mœnum, pridie Palmarum, A. C. N. M. DC. XIII.

ELOGIA ET TESTIMONIA

De usu, auctoritate, & praxi authentica Legum Capitularium in hac Collectione contentarum.

DE LEGE LONGOBARDORUM.

LOtharius II. Imperator in Chronico Cassinensi, de compilatore, (ut putatur) harum Legum, sic scribit ad Abbatem Cassinensis Monasterij: *Lotharius Dei gratia Romanorum Imperator Augustus, dilectissimo fideli suo Guibaldo Cassinensi Hierarchæ, & Romani Imperij, Cancellario, Capellano ac Principi pacis, gratiam suam & bonam voluntatem. Tuæ fidelitati per Imperialia scripta mandamus, ut nostræ à Deo conservandæ Majestati Petrũ Diaconum, qui à nostra Imperiali Serenitate Logotheta Italicus, Exceptor, Cartularius, & Capellanus Romani Imperij constitutus est, transmittere studeas, recepturum pro suæ fidelitatis servitio dignæ retributionis præmium. Indubitanter enim noveritis, nostram Majestatem & Collaterales Imperij propter antiquitates & rerum gestarum relationes, ejus absentiam ferre non posse. Mitte etiam per eum omnia antecessorum nostrorum privilegia, quæ ei ad Aquas pensiles olim custodienda dedisse meminimus, &c.*

Gunth Secretar. Frider. I. Imperat. in Ligurino, l. 2. de Longobardis)

Gens astuta, sagax, prudens, industria, sollers,
Provida consilio, legum jurisque peritâ. *Et paulo post:*
Illa tamen legum prudens, & juris amori
Dedita gens, &c.

Ad quæ verba sic commentator Jac. Spiegelius JC. triumImperatorũ, Maximiliani I. Caroli V. & Ferdinandi Secretarius & Consiliarius: *Merula Regnũ Longob. minime crudele fuisse ait, & Legem Longobardã celebrari, cujus præcipuæ autor Rotaris, & cæteri Reges perhibentur. Nec non esse quasdã Italiæ Civitates, quæ in hanc usq; diẽ judicia sua ex edictis Longob. magis quam ex Decretis Imperat. exercent. Præterea Longob. Reges eos fuisse, (fremant licet cæteræ gentes) qui legibus & armis universam pene Italiã jam à majorum virtute degeneratam sublevaverint, erexerint, & exornaverint.*

In Consuetudinibus feudorũ, lib. 2. tit. 1. in princ. tradit. Obertus de Orto JC. & Consul Mediolan. *Causarũ, quarũ cognitio frequenter nobis committitur, aliæ dirimuntur jurè Romanò; aliæ vero legibus Longob. aliæ autem secundum Regni (id est, Imperij Teutonici in Italia) consuetudinem, &c.*

Ad quæ verba Dionys. Gothofredus JC. in Notis: *Longobardæ libros authenticos esse hinc colligunt.*

Eodem lib 2. tit. 22. de Milite vasallo, qui contumax est, in fine princip. *Sed si intra annum venerit, restituitur ei possessio: alioquin & beneficium & possessionem amittit, ut in Lombarda de iis qui ad palatium venire contemserint, l. si cujuscumque.* Est l. 3. tit. 43. lib. 2. Legis Longobard.

Eodẽ l. 2. tit 58. c. 1. de Notis feud. *Alioqui adhibeat Dominus quos meliores poterit liberos tamẽ, argumentatione legis de ultimis voluntatibus in Lõbarda, sc. illa, quæ dicit, si quis donationem facere voluerit,* &c. Est l. 7. t. 18. l. 2.

Eod. l 2. d. tit. 58. c. 2. de Notis feudor. *Quæ omnia supradicta colligi possunt per supradictas Leges Longobard. titulo de ultimis voluntatibus. l. si quis, & C. communi dividendo, l. 1. & fin.* &c. Est. d. l. 7. tit. 18. l. 2.

Eod.

Eod.l.2.d.tit.58.c.3. *Si instrumentum diceretur falsum à domino, daretur defensio vasallo, qui instrumentū ad se deferret, ut in Lombard. Qualiter quis se defend. deb. l. de chartis.* &c. & §.1. ibid. *Notandum est, quod de omni controversia, qua inter dominum & vasallū oritur, si pares veritatem noverint, omnino cogi debere à domino & paribus dicere veritatem. Qui si dicāt, se nescire, cum sciant, & vasallus pustulet, dominus eos coget jurare, & veritatem dicere, ut C. de testib. l. si quando, & in Lombard. ut judex, de off. jud. & in tit. Qualiter quis se defend. deb. l. si qualiscunque causa, & tit. de testibus, l. ut quicunque, & l. ult.* Est l.31. & l.34. de chartis, tit.55. l.2. l.15. ut judex, tit.52. l. 2. l.13. si qualiscumq; caus. tit.55. lib.2. l.5. ut quicumque, tit.51. lib.2.

Eod. lib.2. tit.58. cap.4. §.1. in fin. *Sed contrarium reperitur in Lombard. quia licet filius minorem virtutem habeat, quam pater, tamen debet præcise jurare, patrem suum non fuisse debitorem, ut in Lombard. Qualiter quis se def. deb. l. si contigerit.* Est l.7. tit 55. lib.2.

Fran. Curtius Junior in tract. Feudor. cap.6. n.2. adducit adhuc duos textus, in quibus Leges Longobardorum confirmentur esse authenticæ, ut est *text. in c.1. in fin. Hic potest esse tit. qui fuc. teneantur.* Est tit. 9. l.1. Feud. ubi innuere videtur Legem Lotharij de precariis, quæ tamen in Lege Longobard. non exstat. Item, *text. in c.1. in princ. Qualiter feu. prō alie.* Quem ego titulum in jure Feudor. non reperio.

In Cōsuetudin. Feudor. l.2. tit.39. c.3. *Non est consuetudo Mediolani, ut de felonia aut de infidelitate pugna fiat, licet contrarium sit, quod præcipit Lex Longobard. ut de infidelitate pugna fiat.* Est l.30. quibuscumq;, tit.55. lib.2.

Honorius II. Papa, c.1. dē juram. calumn. in Decret. Greg. l X. Papæ, l. 2. tit.7. *Vt ergo dubietas ista auferatur, secundum etiam decisionem filii nostri Henrici quondā Imperatoris, cuius sunt hæc verba,* &c. *Eius itaq; interpretationem corroboramus, & Divi Marciani constitutionem ita interpretari debere decernimus,* &c. Est decisio Henrici V. Imp. in l.11. tit.47. lib.2. Legis Longard.

Curtius Junior d. cap.6. num.2. probatutus, Leges Longobardorum in disceptandis litibus auctoritatem habere, profert sententias Glossatorum Juris utriusque nirnirum Accursii, Pilei, Conradi, & Joannis Theutonici, veterum Juris interpretum. Verba ejus hæc sunt: *Quæro, quid sit Liber Longobardorum, & an possit ad decisionem causarum allegari? Circa primum, habetis Gloss. in c.1. in verbo Scriptum. 33. q.1. quæ dicit, quendam Carolum fuisse compilatorem Libri Longobardæ. Aliud dixit Odofred. in auth. dos data, C. de donat. ante nupt. quod quidam Reges Apuliæ, qui venerunt de Sardinia in Apuliam, fuerunt compilatores Libri Longobardæ: qui ideo sic appellatus est, quia ipsi habeāt longas barbas. Circa secundū vero, nunquid ipse liber sit allegabilis ad decisionem causarum, videtur dicendum quod sic, quia Gloss. ubique allegant Legem Longob.* Ita allegat Gloss. in c.1. §. *hoc autem notandum. in verb. Legibus, qui feud. dar. pos.* & in d.c.1. §. *cum vero Corradus, in verb. Dignatetur: quæ dicit, quod Conradus Imp. fecit ullam constitutionem & legem, in qua continebatur, quod non solum filij, sed et-*

iam nepotes succederent in feudo, ut probatur in d. §. cum vero Corradus, & constitutum multa alia, quæ habentur in Longobardia, id est, in Legibus Longobardorũ. Ergo sicut §. cum vero Corradus, est authenticus: idem erit in aliis legibus ab eo conditis. Sic etiam allegat leges Longobardas Glos. in c. 1. §. qualiter, in verbo, Duellum, de pace tenend. Ad idẽ text. cum glos. in c. non est consuetudo, in verbo, licet lex, de alien. feud. pat. & in d. c. 1. §. hoc quoq; scien dum, cum glos. in verb. Gradum. Sic etiam pro decisione feudorum allegat Longobardajura, gl. in c. 1. §. si rusticus, in verb. Voluntate. & in §. similes, in verb. Divino, de pace ten. Ad idem glos. in c. 1. in verb. Similibus. An mutus vel alias imperfect. Et non solum in libro Feudorum, sed etiam alibi glos. allegant legem Longobardam Ita allegat glos. in auth. sed novo jure. C. de serv. fugit. & in l. falsiis, §. si factum. D. de furt. in l. consensu, in princip. in verb. Adulterum. C. de repud. in l. fin. in verb. Recuperare. C. de jure domin. impetr.

Joannes Semeca Glossator Juris Canonici, ad caus. 11. q. 1. c. 37. in Decreto Gratiani annotat. *Non invenitur in Longobardia, quæ nunc est, sed in Gallia:* id est, non exstat in legibus Longobardorum, quæ nunc in usu habentur, sed in Capitularibus Francorum. est enim cap. 281. lib. 6.

Allegatur etiam & probatur, ut authentica, hæc lex Longobardorum à GLOSSA Juris Saxonici provincialis (**Landtrechts**) in Spec. Saxon. lib. 2. art. ult. ubi vocatur, *Jus Lombardicum.*

Glossa posterior Speculi Sax. l. 3. art. 82. *Avus ejus* (sc. Caroli Magni) *vocabatur Carolus* (Martellus) *qui fuit etiã Rex Franciæ & Lombardorũ: & fecit quasdam Leges in Lombarda per totum: qui etiam postea habuit Imperũ.*

Gaudentius Merula Alexandrinus, lib. 1. Antiquitatis Vicecomitum Mediolanens. circa fin. *Lex etiam Longobarda celebratur, cui præcipue autor Rotaris, & cæteri Reges perhibentur. Quare minime mirandum, si post extinctos Reges, quidam Duces imperaverint: & Longobardi à Civitatibus in partem furis, & libertatis conditionem, qua ipsi erant recepti. sine discrimine ceu indigenæ semper habiti fuerint.*

Bernardus Saccus Ticinensis. l. 9. Histor. Ticinens. c. 5. de Luitprando Rege Longobardorum: *Possem alias etiam addere præfationes, quibus ipse Rex humili semper sermone Deo invocato scriptiones Legum suarum instituit. Diversus penitus à Justiniani jactatione, cujus dicendi vanitatem imperiti admirantur eo loco, Imperatoriam Majestatem, &c. Et se Gothicum, Alanicum, &c. inscribens, in sui ipsius glorificatione evanuit. Hujusmodi igitur religioni imbutus Lytprandus, tam in ferendis legibus, de suorum Procerum Ducumque cohibendis excessibus, &c.*

Carolus Sigonius in Hist. de Regno Italiæ, l. 8. anno 1007. *In quibus illud animadversione dignum, cum horum etiam temporum consuetudo ferret, ut omnes ederent, qua quis ẽ lege vivere vellent, Romana, Longobarda, an Salica, Bonfaciũ* (Ducẽ Tusciæ, Marchionẽ Ferrariæ, Mantuæ & Parmæ, Comitẽ Canusij, &c.) *Longob. esse professum, Mathildem vero* (ejus filiam) *Salicam, quod ex eorũ tabulis, quæ plurimæ in Ecclesia Mutinæ asservantur, cognoscitur. Quod in patre & filia, nõ idẽ in viro & cõjuge. Unde in eodem Tabulario per hæc tẽpora sic scriptũ invenitur: Maria, quæ professa sũ lege vivere Romana, sed nũc*

pro

pro ipso viro meo lege Longobardorum vivere videor, qui professus est ex natione sua lege vivere Longobardorum.

Jacobus Spiegelius in Catalogo Cæsarum, tit. ult. *Sunt qui Lotharium Imperatorem haud minore laude vehendum, quam Divum Justinianum existimant: quod is Leges Romanorum infinitis voluminibus antea dispersas, autoritate Justiniani in L. libros Digestorũ contractas, Institutionũ, libros IV. edutos, Codicemq; invulgatum, sanctiore cura studioq;, non multo post Institut. per jura Langbartorum & Francorum, Germanic. gentium, oppressos, in lucem revocarit. Quamquam in Transpadana regione, certa capita Langbarticarum legum etiamnum serventur. Quod satis notum fit iis, qui volumina interpretum Juris Civilis versant. Accedunt quæ & hodie in precio habentur, clarorum Jurisperitorum Scholiis illustratæ Constitutiones Imperatoris Friderici. ejus nominis II qui Bononiense Gymnasium, quia Cives imperata non statim fecissent, Patavium transtulit, & quod Imperii majestatem sartam tectam cupiebat, à Romanis Pontificibus anathematis spiculo districtus est, &c. indicantes palam, Francis aliquot legibus ad hanc quoque diem suum stare vigorem in inclyto Siciliæ Regno, quod vulgo Neapolitanum vocatur, cujus possessio, si modo tam legibus, quam armis, regna acquirerentur, ad nullam gentem magis pertineret, quam Alamannicam, &c.*

Videantur interpretes Feudorum, quorum sunt dissentientes superauctoritate harum legum Longobardarum opiniones, sed major & solidior pars est affirmantium, quam negantium. Cui affirmantium parti firmissimis rationibus & argumentis accedunt Carolus Siculus JC. in Gl. & Nicol. Boerius Consiliarius Regius in notis ad legem Longobard. Vitus Amerbachius in Annot. ad capitulare Lotharii Imp Matth. de Afflictis in comment. ad constitutiones Neapol Horat. Carpanusin Comment. ad Statuta Mediolan. & alii in aliis locis propemodum innumerabilibus.

DE CAPITULARI LOTHARII IMPERATORIS.

Cæsar Baronius Cardinalis Romanus, tom. 10. Annal. Ecclesiast. anno 847. num. 12. *Quas servandas præscripserit Lotharius Imperator leges sibi subdito Italiæ Regno, constitutio ab eo promulgata ita declarat:* Placuit nobis, ut Capitula, quæ excerpsimus de capitulari bonæ memoriæ gloriosissimi avi Dn. nostri Caroli, & genitoris nostri Ludovici imperatoris in victissimi, his omnibus & fidelibus nostris, & sanctæ Ecclesiæ in regno Italiæ consistentibus, per legem teneantur & serventur. *At quales fuerint istæ leges, ipse, qui adhuc extat, liber capitularium docet, nimirum quæ noscuntur magna ex parte acceptæ ex sacris conciliis, & decretis, Romanorum Pontificum, atque exprædecessoribus Imperatoribus illæ duntaxat, quæ essent optimæ, faverentque Ecclesiasticæ immunitati. Ut non mireris, si eas se Ecclesius etiam leges præscribere idem Lothar. dicat, utpote quod eædem leges ipsis capitularibus libris contentæ fuerint per romanos Pontifices comprobatæ. Porro ad memoriam revocandum, promulgationem istam capitularium collectorũ per Carolum M. & Ludovicum per Lotharium factam hoc tempore fuisse, quod ita jusserint Patres* anno superiori DCCCXLVI. *collecti ad celebrandum Meldense concilium, cum illi inter alia statuerunt hæc ipsa cap.* 78. Ut Capitula Ecclesiastica à Domino Karolo Magno l mperatore, nec non à Domino Ludovico Pio Augusto

gusto promulgata obnixe servari præcipiantur, sicut & legalia observanda esse noscuntur.

Optime quidem Baronius de promulgatione horum capitularium sentit: sed non recte de collectione benedicti Levitæ accipit, quæ per eũ privato studio, non publica auctoritate imperiali facta fuit. Quare puto, (quod mirandũ est in viro tantæ lectionis) hoc capitulare ipsius Lotharii Imperatoris à Card. Baronio non esse visum, quamquã id non it adiu Moguntiæ fuerit cũ Epistolis Hincmari Archiepiscopi Rhemensis recusum.

De hoc ipsissimo Capitulari prorsus intelligendum est rescriptum Leonis IV. Papæ Romani ad hunc ipsum Lotharium Augustum, apud Gratianum dist. 10. c. 9. ubi legitur: *De Capitulis vel præceptis imperialium vestris, vestrorumque Pontificum prædecessorum irrefragabiliter custodiendis & conservandis, quantum valuimus & valemus, Christo propitio, & nunc & in ævum nos conservaturos modis omnibus profitemur. Et si fortasse quilibet aliter vobis dixerit, vel dicturus fuerit, scatis eum pro certo mandacem.*

Ubi Glossa Gregorii XIII. Papæ Romani annotat: *Omnino hæc, quæ à Leone scribuntur, spectare videntur ad Capitula Caroli & Ludovici, quæ Lotharius in universa Italia servari mandaverat.*

Videantur Annotationes Viti Amerbachii ad hoc capitulare, quod ille tamen observare non quitus est, esse illud Lotharii Imperatoris auctoritate compilatum pariter atque editum.

Annon de hoc eodem capitulari accipiendum est, quod legitur in Synodo Moguntina sub Rhabano Archiepiscopo habita, cap. 16. *Monemus Regiam pietatem, de oppressione pauperum liberorum, ut non à potentioribus per aliquod malum ingenium contra justitiam opprimantur, vel cogantur, ut res suas vendant, sive tradant, ne forte parentes eorum contra justitiam fiant exhæreditati, & Regale obsequium minuatur, & ipsi propter indigentiam mendici, vel latrones, seu malefactores efficiantur, & ut sæpius non fiant mannuti ad placita, nisi sicut in Dominico Capitulari olim facto præcipitur.*

IN Concilio Ravennatensi per Johannem IX. Papam, & Lamberdum Imperatorem celebrato, anno Domini DCCC.XCVI. *cap. 1. Si quis sanctorum Patrum Regulas contempserit, & gloriosissimorum Imperatorum, Karoli videlicet Magni Imperatoris, & Ludovici, atq; Lotharii, necnon & filii ejus Ludovici, quæ de Ecclesiasticis decimis in eorum Capitularibus statuta atque sancita sunt, non observaverit, & qui dat, & qui recipit, auctoritate sanctæ sedis Apostolicæ, & sanctione Synodi, excommunicationi subjaceat.*

Deus dedit Cardinalis Romanus in Collectione sua Canonum, refert hunc Canonem ex Legibus Romanis ab Imperatore Lamberto Augusto promulgatis cap. 11. ut testis est Franciscus Pithœus in præludiis Capitularium per Ansegisum & Benedictum collectorum

Johannes Busæus Jesuita Moguntinus in præfat. ad Hincmari Epistolas, hoc Capitulare appellat, *Constitutionum Caroli Magni Epitomen à Lothario ejus nepote evulgatam.* Et addit: *Quia doctrinam continet admodum piam & salutarem, atque omnino consentaneam iis, quæ ab Hincmaro traduntur in Epistolis, imo quæ magnam lucem multis Hincmarianis dictis conciliare possint, prorsus excudenda existimavi.*

DE

DE SPECULO SAXONUM.

IMp. CAROLUS MAGNUS Aug. in Constitutione de Sede Regia & judicio Imperiali Aquisgranensi, tom. 2. Collectionis Constitut. Imperial. fol. 7. Deinde, prout cunctis placuit prudentioribus Regni nostri, Legem Saxonum, Nortcorum [i.e. Bavarorū] Suevorum (i.e. Alamannorum) Francorum, Ribuariorum (i.e. Molellanorum) Salicorum, sicut mos & potestas Imperatorum est, & omnium antecessorum meorum semper fuit, distinxi, distinctam sub auctoritate Regia & Imperatoria stabilivi, non ex meca adinventione vel corde prolatam, sed communi consilio à me renovatam, & auctam in melius, sicut patres & prædecessores mei fecisse perhibentur. *Sed hoc loco intelligit Legem Saxonum illam vetustissimam, quæ ab Heroldo edita circumfertur.*

WIPPO Capellanus Cunradi II. cognomento Salici Imperatoris, in ejus vita, cap. 6. in fin. scribit; Reversus Rex de Ribuariis ad Saxoniam, ibi Legem crudelissimam Saxonum, secundum voluntatem eorum, constanti auctoritate roboravit. *Sed hic pro Saxonia intelligit westphaliam, innuit que Legem illam judicii Vehmici, de qua alibi tractamus.*

ECKO de REPKAVV Complicator Speculi hujus, lib. 3. art. 42. scribit: Et etiam cum Leges hujus Privilegii per Divorum Principum constitutiones gemmis verborum primitus exornabantur, &c.

Et lib. 3. artic. 73. Istud etiam jus habebant ministeriales usque ad tempora Vichmani Archiepiscopi Maydeburg. &c. *Vixit a. hic Vichmannus tempore Friderici Barbarossæ & Henrici VI. Imperatorum.*

GLOSSA Speculi in prolog. Interpretaturus simul & translaturus in Germanicum Ecke de Repkavv Privilegium præfens Saxonibus, eum ad fidem converfi sunt Christianam, à Diis Imperatoribus Con-Constantino & Carolo, pro jure datum. exordium operis à Deo sumit omnipotenti.

Eadem lib. 1. artic. 14. Verba sunt Ecke de Repkau auctoris privilegii, &c.

Eadem lib. 2. artic. 36. Dicere quis posset, auctorem privilegii insufficienter expressisse modos defensæ contra vendicatorem, &c. Respondeo, quod auctor privilegii Ecke de Repkavv nec plera addere sed nec minuere potuit, nisi secundum quod in privilegio, quod ipse ex Latino in Germanicum transtulit, invenerat. Jura enim ampliare vel minuere nemini licet, nisi Imperatori.

Eadem. lib. 3. artic. 44. Novæ leges cœperunt à Constantino, à quo & jus Saxonibus traditum est, & reliquis successoribus, erant que permixtæ & inordinatæ. Postea vero Theodosius minor Augustus, ad similitudinem Gregoriani & Hermogeniani Codicem factum Constitutionum, à Constantini temporibus, sub proprio cujusque Imperatoris titulo, disposuit, &c.

Eadem d. lib. 3. artic. 54. Tractatur hic de electione Regis Romanorum, excerptaque est lex præsens per translatorem Privilegii, ex Constitutionibus Caroli Imperatoris, cum Imperium Teutonicis tradidit. Quicquid enim hic dicitur de Imperatoribus Imperioque, non habetur in legibus, ut Accursius dicit Institit. de jur. nat, gent. & civ. §. fed & quod.

Eadem, d. lib. 3. artic. 65. Super intellectu articuli præsentis, nonnullæ fuerunt opiniones & controversiæ. Quidam enim, ut Burchardus Episcopus Maydeburgensis, & Comes Otto de Falckenstein, intelligere voluerunt articulum, &c. Alii vero, ut Voladus de Dreienlehen, & Conradus de Roslavv, intelligere textum voluerunt, &c. Alii vero, ut Henricus de Betesleben, & Thiedricus de Lemvvenden, textum intelligere voluerunt, &c. *Hi sunt veteres interpretes hujus Speculi Saxonici. Vixit autem hic Burchardus Episcopus Magdeburgensis sub tribus Imperatorib. Alberto Primo, Henrico VII. & Ludovico V. Bavaro, promotus in sedem anno 1307. demortuus anno 1327. Unde non vana conjectura est, hoc Speculum sub Ottone IV. demum Imperatore fuisse institutum, & sub Friderico II. Imperatore absolutum, ut infra annotabo. Quod etiam colligas non obscure ex textu articuli 73. ubi legitur*: A prædicti autem Archiepiscopi Wichmanni temporibus hoc jus invaluit. *Vixit enim hic Wichmannus [ut supra dictum est] sub Friderico Primo, & ejus filio Henrico VI. Imperatoribus.*

Eadem, d. lib. 3. artic. 78. Caute intelligi debet §. iste, nec ita grosse, ut in se sonat, &c. Vasallus contra dominum sententiam invenire non potest, quod tamen tolerabilius est, quam quod dominum detinere debeat. Si ergo ei facere non licet, quod est minus, nec ei licebit id, quod est majus, ut Institit. quib. alien. licet vel non, & ff. de regul. jur. l. non debet. Etiam habetur in libro Feudorum. Ex quib. caus. feud. amittat ubi juratur domino esse auxilio contra unum quemq; quod non esset, si eum detineret, ut hic textus disponit. Habetur etiam 22. q. ult. de forma quod vasallus dominum tueri debet ab omni damno quod hic non esset. Quidam dicunt, quod lex ista corrigit & derogat aliis legibus in contrarium. Respondeo, quod nova lex corrigit antiquiorem: sed Jus feudale posterius est Saxonico: quare istud non derogat illi, Dicunt etiam quidam, quod Jus Feudale derogaret huic: quia lex posterius constituta, quæ est contraria priori, derogat illi, &c.

Glossa hoc loco respicit ad Carolum Magnum, à quo præsumit hoc Jus Saxonicum provinciale, quod ille Privilegium Saxonum *appellat, esse constitutum, & ideo vetustius esse jure Feudali, quod à Friderico Imperatore originem ceperit, ut pater ex sequentibus verbis.*

Eadem. lib. 1. artic. 14. Ex quo itaque Provinciale jus antiquius est Feudali, quare & constitutiones Provincialis Juris, per subsequentes Juris Feudalis leges annulari deberent. Carolus enim Magnus, Jus Provinciale Saxonibus statuit, Fridericus vero Imperator Jus Feudale, ut in auth. de usib. feudor. col. 10.

Eadem, lib. 3. de artic. 83. Auctor hujus Constitutionis, & duarum sequentium, fuit Otto Primus Magnus Imperator Theutonicorum.

Glossa posterior in d. l. 3. art. 83. Privilegiū præsens largitū est Saxonib. in Saxenburgo, ab Imper. Carol. ab anno Domini octingentesimo decimo anno septimo Imperii sui, die 10. Januarii meritoq; nomen

Divi

Divi illius Imperatoris huic operi præponitur. Jura etenim & leges id suadent, ut privilegiis omnibus nomina Imperatorum præponantur, &c.

Eadem, d. lib. 3. artic. 39. Ad removendam omnem juris difficultatem, quodq; jus completum habeatur, nec aliquid, quod necessarium sit omittatur, auctor privilegii Eckede Repkavv declarare attendit, quid faciendum esset cum illo, *&c.* Non tamen opinari quis debet, quod solus ipse Eckius qui auctor privilegii est, & qui ex Latino in Germanicum præsens privilegium traduxit, passum istum commaxat intellexisset, vel quod solus articulum præsentem pro jure sanxisset, sed quia clarius id apparet ex Latino in Germanicum, quod communis apud Saxones erat, illud transferendo. Qui enim remissa clarius enucleat, majori laude dignus est, quam qui adinvenit, &c.

Eadem d. lib. 3. artic. 83. Constitutio præsens est Ottonis Imperatoris, quæ pro confirmatione & roboramento jurium per Carolum Imperatorem Saxonibus sanctorum lata est.

Eadem d. lib. 3. artic. 85. Constitutio præsens est Imperatoris Ottonis Rufi, magni Ottonis filii, anno septimo Imperii sui.

GLOSSA in proœmio ad Vichbild. de Constantino Magno Imperatore: Eosdem (*Saxones*) tandem circa annum Domini CCCXI. Constantinus Magnus, primus Christianorum Imperator, qui & totam Germaniæ maximam edidit stragem, perdomuit, fideique Christianæ initiavit, non tamen in toto convertit, Legesque ac jura secundum eorum arbitrium edidit.

Eadem in proœmio ad Vichbild. de Carol. Magn. Saxonum & Sclavorum domitore: Jus provinciale, quod Speculum Saxonum vocatur, apud nosq; in usu habetur, Saxonibus ipsis juxta eorum arbitrium dedit.

Eadem artic. 7. Vichbildi: Novæ autem Leges à Constantino Cæsare, à quo & Saxones jus habent, cœperunt, *&c.*

Ibidem circa finem glossæ: Saxones etenim, reliquiæ Macedonici exercitus fuerunt, navibusq; in hanc provinciam advecti, Thuringos subjugarunt, regnaq; constituerunt, quæ & illa fa permanserunt usque ad tempora Constantini Imperatoris, qui eosdem subjugando, Christianæ fidei initiavit, juraque provinciis statuit, &c.

Eadem artic. 10, Vichbildi: is etiam (*Burchardus de Mangelpheldt*) ex mandato Imperatoris (Ottonis Ruffi) in Jus provinciale seu Speculum Saxonum Commentarium fecit, legibusque & canonib. adornavit, idque in conclavi sedendo facere coactus. *Et illicito post:* Ecke vero de Repkavv Speculum Saxonum Latinis literis illuminavit, ad instantiam quæ Comitis Henrici de Phalkenstein in Germanicũ traduxit, &c. *Atqui Mangelpheldius iste vixit non Ottonis II. cognomento Rufi, sed Ottonis IV. Imper. temporibus, cui Fridericus II. Imp. succesit.*

GLOSSA in jus feudale Saxonum, cap. 19. Jusque istud Saxonibus datum à Constantino & Carolo Imperatoribus, & in hunc usque diem observatur.

OTTO Magnus Imp in constitutione de locatione & privilegio Cameræ Imperialis Magdeburgensis, quam habet tom. 1. Collectionis Constitutionum Imperialium, fol. 215. Concedimus præterea fidelib. nostris dilectis atque illorum successoribus perpetuam in ea civitate pacem, gratiã & libertatem, quod eo jure, prout à nobilibus & generosis Constantino & Carolo, egregiis Saxonibus atque Provinciæ datum est, uti & frui debeant ad honorem & emolumentum civitatis, secundum juris formam, generaliter & specialiter, &c.

De juribus à Constantino & Carolo Magno latis vide specialius tractatain libro de Imperialibus jurib. provincialibus & feudalibus, *vulgo dictus* Käyserlich Land- und Lehnrecht/ *lib. 1. cap. 1. §. 1. capit. 5. §. 2. cap. 9. cap. 10. §. 1. cap. 12. §. 1. cap. 98. & cap. 196.*

Felix Faber Monachus Vimensis in Histor. Suevor. lib. 1. cap. 3. fol. 58. Dedit etiam Carolus Theutonicis quasdam Leges in suo idiomate, quæ adhuc habentur.

Georg. FABRICIVS Rerum memorabil. Saxon. lib. 1. anno DCCCXI. Jura Saxonibus Carolus Imperator confirmat.

Johan. de LASKO Magnus Cancellarius Regni Poloniæ, in præfat. in Privilegium Constitutionum Regni Poloniæ, &c. &c. Ut sunt leges provinciales vel Terrestres Speculi Saxonum, quod ab Imperatoris Caroli Magni majestate sanctum fuit, *&c.*

ALEXANDER Rex Poloniæ in Confirmatione Privilegii statutorum Poloniæ, &c. Deinde alios Provincialis & Feudalis Jurium libros, qui divorum Caroli & Constantini Imperatorum Constitutionibus asseribuntur, &c.

JASKIER Secretarius Cracoviensis, in Præfat. Articulor. Speculi Saxonum, in Concilio Basiliens. reprobatorum: Et quia inter has Speculi Saxonum constitutiones, nonnulli habentur articuli, de indulgentia Divorum olim Constantini & Caroli Imperatorum, Saxonibus, cum ad fidem converti sunt Christianam, propter evitandum majus malum, & ut in fide perseverarent susceptã, admissi, & ad eorundem preces, pro illo tempore confirmati, &c.

BALDVS J. C. Consilio 174, *cujus initium,* Præsupponendum est, *lib.* 5. *Consilior.* Saxones consuetudinem habent & statutum Imperiale Caroli Magni, quod nullus possit alienare bona extra judicium domini, & si contrarium fiat, non valeat alienatio, & proximiores possit revocare alienationem. Quæ consuetudo valet, & habent locum, etiam sin Ecclesiam fieret.

Adde Dominicum TVSCHVM Cardinalem Romanũ, Practicar Conclusion. Jurisdom. 7. lit. S. conclus. 49. *Hactenus apposuimus testimonia, quorum & similium aliorum auctoritate utuntur, qui hoc Speculum Saxonum ad Carolum Magnum Imperatorem referunt. De quibus juvat doctissimi Cornelii Hamburgensis judicium subnectere, quod habet in hunc modum.*

Idem.

Alb. KRANTZIUS in sua Saxonia lib. 2, cap. 2. in commemoratione rerum à Carolo gestarum præterire non debemus, quod gens nostra de illo insistis prædicat buccis, de illius Leges Saxonibus, quæ in codice, quod speculum vocant, extent recollectæ, & id quidem refert Glossator in annum 10. post octingentesimum à Christo nato, septimum vero Imperii ejus annum, sicut memorat Jin arce Saffenberg. Primum commenti suspicionem fecit, quod anno Christi & Caroli Imperii Glossator ille perturbat. DCCC. II. factus est Imperator Carolus, & ideo decimus Christi, erat quoque decimus imperii. Deinde quod diligentissimi Scriptores illorum temporum, nullam ejus rei faciunt mentionem, quum minora multo plurima commemorent. Nec erat illa in populo barbaro civilitas, nec leges initio requirent, præter eas, quæ universo orbi satis erant. Occultum tamen judicium (quod vocant) facile crediderim ejus permissum, propter cervicis duritiem, sed redacti sub leges novas in codicem, non facile credo, nisi alia mihi documenta referantur. Nam & nomen prodit esse collectum Codicem de multis observantiis gentis, quomodo & fœdorum usus non ab Imperatore dati, sed ab Oberto descripti, usum & observantiam meruerunt. Quum nempe ætatem crevit civilitas, crevit etiam legum observantia. Inde factum est, ut quæ per tempora sunt usu approbata, demum sint in codicem redacta, cui ad authoritatem conficiendam falso est nomen Karoli asscriptum. Idq; ut credam, facit multorum in textu, plurium ab in glossa, puerilis & indocta narratio. Nam tempora fuit uterque & Speculator & Glossator imperitus. Temerarius calumniator vocer, si non luce clarius utrumq; convincam. Longum est cuncta percurrere: unum aliquem de textu possum summatos, unde de cæteris facile conjecturam faciemus, & non modo conjecturam, sed fidem pene oculatam. Originem Regnorum, & Saxonum antiquitatem volens ostendere text. lib. 4. art. 44. ait. *In Babylonia cæpit Imperium*, &c. Hæc sunt verba Speculi. Non injubet, disponit interpretatur, ut solet Legislator) sed commemorat, quid observetur, quod non est Imperatoris, sed doctoris. Et tamen videamus, quanta sint in paucis verbis frivola commenta, ut liquido cernamus, illum ista authoraſſe Karolum, qui & ipse doctus erat, & doctissimis stipabatur. *In Babylonia*, inquit, *cæpit Imperium.* Si de turri Babylonis loquitur ex sacris literis, jam altius ascendit, quam solent illæ historiæ, ut de Nemroth sumat initium. Et tamen ex illa Babylone non provenit Imperium, sed dissipatio gentium, quam ostendit Moses, & plenius exquitur Berosus Babylonicus. Si autem de Regno loquitur Babylonico, non hoc fuit primum, sed Assyriorum in Ninive, cujus civitas author Ninus & Semiramis conjunx primi sunt in omni historia antiquissima. Nam ibi primum constitit Imperium, cui etiam Babylon obedivit. Addit, *quæ totum mundo imperabat.* Hoc nullæ habent historiæ, Chaldæos in Europa vel Aphrica imperasse, latis erat magnum, si magnam aliam tenerent partem. Nam neq; Romani, quorum latius erat Imperium, toti mundo dominabantur, aliquid in Asia & totam tenuerunt Aphricam sequitur: *Quam Cyrus expugnavit, & in Persiam transtulit, in qua usq; ad Darium perseveravit.* Quid translulit? an quem Darium? Nam Darius erat Cyri avunculus, qui cum magno Cyro res magnas gessit, post Darius Hystaspes in suam familiam primus transtulit Imperium. Sed specificat, quum addit: *quem vicit Alexander.* Ignorabat illum Asiam tenuisse. *Et Imperium*, inquit, *Græcæ supplevit.* Frivolum est quia minquam in Græcia ante Constantinum fuit Imperium. Græci tamen post Alexandrum in Asia imperaverunt, in Syria & Ægypto potissimum. Nam ad Macedones in Græcia sola pars pervenit, & ea non lata. Deinde subjicit ut noster Legislator: *Et ibi stetit usq; dum Romani sibi Imperium assumpserunt, & Julius cæperat imperare.* Verum est, quod Romani, victo Antiocho Syriæ Rege, Regnum ejus redegerunt in provinciam, & superato in Græcia Perse, nobilissimo Macedonum Rege, Imperium occupaverunt, reddita populis libertate, sed ho longe ante Julium. Ægyptus autem facta est provincia tempore Cæsaris. Deinde quod sequitur de utraque Romanæ urbis potestate, intactum ire finamus, simus tamen, quod transierim sensila, priusquam spiritualis gladius distringeretur. Quod vero ait, *quum interim nostri prædecessores adsiam pervenerunt provinciam*: hoc sine controversia Saxo loquitur, non Imperator, Sed quod ait, *quum*, non apparet, quæ tempora signet, Nam quod Alexandri & Julii tempora conjungit, qui annis pene quingentis distabant, ineptissimum est. Contendit autem Saxones in Asia militasse Alexandro. Sed hoc nimis puer liter deducit, ut est inventum anile & penitus somnium. Quis n. credat gentem ex media Asia in nostrum mare pervenisse, quando per aquilonarem regionem, propter mare glaciale, post Hyberboreos montes, non potest navigari? Et Caspium sinum longius distantem quomodo peterent, & inde quo procederent? Quis autem credat fugisse, in qua terra victores Alexandri principes sub jugo cuncta tenuerunt, quæ timerent victores orbis? Sed hic noster nobis persuadebit, manere non ausos, ait enim: *In qua post ejus obitum propter subjugatorum odium morari non audebant.* Insicia est, unde ea probit narratio. Si legisset, Principes Alexandri civil-bus bellis in se versos, omnes copias militares in precio habuisse, non diceret, milites timuisse ab Orientalibus opprimi, qui tanto jam erant sub jugo, ut sibi timerent, non timerentur. Omitto barbarismos, quos plurimos facit fabulator, ut ea vel maxime re prodat, non esse narrationem Karoli, cujus Scriniarii non ita titubassent. Ipse loquretur in capite, quomodo in Pandectis Imperator, sua faciens quibus authoritatem impartitur, quomodo in Codice & Institutionibus, quomodo in novissimis Authenticis. Sed cætera videamus. Bitemus vult tres centas ex Alia navigasse. Unde ea copia navium fugientibus? Quo navigavit Classis itinere? Nam per æquilonarem plagam ostendimus venire non potuisse. Si ex Ponto navigarent aut ex Syria, longum erat iter terr. sire, priusquam ex Babylone pervenirent in mare, & longiore cursu mare longissimum mediterraneum usque ad Gades Herculis erat navigandum, inde jam flectendum in aquilonem, ut in mare Germanicum ex Britannico pervenirent. Oro te, quando ex bani [ut vis] quærendis fedibus, non erat initiore cœlo, breviore itinere, terra, quæ susciperet, Prussiam, ut Rugiamque & Albim peterent, non pudet

):(:)(vanitatis?

vanitatis? Et quam, oro te, Prussi, Rugiani, Saxones, ejusdem (ut vis) originis & congentiles, unquam habuerunt aut bello aut pace societatem? Cætera videamus. *Fugatis Turingorum Dominis*, &c. Num quam Turingi nostram tenuere Saxoniam, ut fugarentur, sed invitati Saxones à Francis in Turingos, partem Turingiæ (quod suo loco ostendimus) pretium militiæ acceperunt. undenata est fabula de Turingis. Et ne exors videatur omnium literarū, addit de latinis & de dedititiis, ut ostendat Imperiales se vidisse constitutiones. Ineptissimum caput. Quam, oro te, Latini in Saxonia partem habent? Nolo immorari in re, quam etiam pueri possunt corrigere. Mille talia comperies: ut liquido comprobemus, non esse Karoli editionem, quod præferunt Speculum.

Ad Glossatorem veniamus, virum alioqui juris peritissimum, & cui plurimum debent ejus Constitutionis fervatores. Sed fabulas narrationi plurimas contemptu dignas inserit. Non est longe evagandum, ut tale aliquid ostendamus. In ejus loci explanatione, quem diximus, vide quam puerile est, quod ait Pompejum Consulum voluisse Imperatorum Leges in unum Codicem redigere, cujus temporibus & ante, nulli erant Imperatores, qui leges ferrent. Cives autem Romani facti Consules aut Prætores, quum exercitum deducerent, victoriam assecuti, Imperatores ea tempestate dicebantur, sed leges non ferebant. Rogabant Consules in Senatu, ut si probaretur, fierent senatus consulta: & Tribuni plebem, ut plebiscita fierent. Mirum, quod vir juris doctissimus, Constantino tribuat initium legum, & non Pandectis & Jurisconsultis. Sed missa sint hæc. Quid est, quid asserit, Karolum fecisse constitutionem de eligendis Imperatoribus? Quæres pertinet ad Ottonem tertium annis ducentis post Karolum. Quid quod ait, per eundē Karolum, sparsos Wandalos per omne Regnum? Quum latissima natio Bohemiam, Poloniam, Russiam, Dalmatiā, & litora Germanici maris impleverint longe ante Karolum. Quid, quod Suevos ait expulsos per eos, qui de Anglia redierunt? Quum revera de Italia redirent, qui hoc fecere. Insinira sunt ejus generis. De quibus pauca attigi, eo consilio, non ut virum laude dignissimum reprehendam, sed ut ostendam Lectori, juribus ab eo introductis, non narrationibus, fidem adhibendam esse. Quod idem accidit Accursio diligentissimo Glossatori.

Georg. Fabricius Origin. Saxonicar. lib. 1. anno fol. 61. Hanc historiam temporum ignoratione, & auctor ipse, & Interpres Juris Saxonici, quod Speculum appellant, confudit: quod est à diligente viro Alb. Crancio Saxone prudenter observatum.

Quid de hoc Krantziano judicio sentiendum sit, diximus in præfatione Reichs satzungarum à nobis Germanice editarum. Namque Glossator exfertissimis verbis, & quæ mirora Kranzio prætermissa, aut non lecta esse, testatur, non Karolum magnum, sed Eckonem esse hujus Speculi auctorem, idq; collectum esse partim ex Constantini & Karoli Magni, partim ex Ottonum & Fridericorum constitutionibus, quorum nomina subjungit. Quod ad historicas narrationes attinet, in eundem errorem lapsus impegit, quem Tribonianus, Gratianus, & consimiles alii eorum temporum Compilatores. Igitur illa. Nunc pergemus illorum testimonia recensere, qui nobis veritatem & auctoritatem hujus Speculi penitius comprobant.

Joannes Aventinus de Ludovico II. Rege, & posteà III. Imperatore, scribit: In Saxonia Conventum juridicum ad amnem Visurgim agit, &c. Leges Saxonum emendat. *Spangenbergius scribit, id factum esse* auff dem Reichstag zu Minden an der Weser/ *id est*, Mindæ ad Visurgim in Comitiis Imperialibus, anno 850. *in Chron. Saxon. cap. 100.*

Idem Spangenbergius in eodem Chron. scribit: Anno 937. hat Käyser Otto der Erst auff dem Reichstag zu Stela der Sachsen Recht übersehen lassen / und ihnen stattlich confirmiret und bestättigt: *hoc est*, anno 937 Stelæ in Comitiis Imperialibus recensuit Otto Primus Imperator Jura Saxonum, eaq; solenniter confirmavit & ratificavit.

Idem in eodem Chronico, cap. 247. scribit: An. 1213. hat Käyser Friedrich der Ander auff dem Reichstag zu Merßburg gehalten / den Sachsenspiegel vermehret: *hoc est*, Imperator Fridericus II. Augustus Speculum Saxonum auxit & additis constitutionibus locupletavit, anno domini 1213. Martisburgi in Comitiis Imperialibus. *Cui consonat, quod notat Glossa ad lib. 3. Speculi Saxon. artic. 78.* Constitutio præsens est Friderici de Stupfen (*lego, Stouffen*) Imperatoris. *(ut etiam sequentes ad finem usq; attribuuntur, non autem Friderico Barbarossæ, ut nos opinati in textu præscripsimus.*

Carolus IV. Imperator Augustus in Aurea Bulla, cap. 5. §. 2. Et in eodem jure provisionis illustrem Ducem Saxoniæ sacri Imperii Archimareschallū frui volumus in illis locis, ubi Saxonica jura servantur, &c.

Glossa Polonica in Wichbild, artic. 1. Jus Provinciale dicitur, quod homines unius Regni vel Provinciæ statuunt, & inter se tenent, ut est jus Provinciale Saxonicum, quod Speculum Saxonum nuncupatur: vel etiam Jus Provinciale seu Terreitre Nobilitatis Regni Poloniæ, &c.

Arnoldus Huitfeldius Magnus Cancellarius Regni Daniæ, in præfat. Legum Provincialium terræ Scaniæ; Omnes tamen hæ leges magna ex parte originem habent ex jure Saxonico, quod civis facile deprehendere licet, qui eas cum libro, Saxenspiegel vulgo dicto, contulerit. Sed si legum Scanicarum & Sialandicarum auctor est Valdemarus Primus Rex Daniæ, easque publicavit anno Domini 1163. videtur Huitfeldius, vir cætera prudens nec indoctus, eorum opinionem esse secutus, qui Speculum Saxonum Carolo Magno adscribunt. Cymbricas tamen Leges, quas Valdemarus II. Rex, anno 1240. in Comitiis Vordingborgensibus protulit, non dubito originem suam ex Speculo isthoc trahere, quod jam tum in usu esse cœperat, inde ab Uffone Archiepiscopo Lundensi collectas. Quas dabimus (ὡ θεὸς βοηθεῖ) in Collectione Constitutionum Regiarum.

DE

DE WICHBILDO MAGDEBVRGENSI.

Super hoc exſtat Ottonis I. cognomento Magni Imperatoris conſtitutio in Collectione Conſtitutionum Imperialiũ, tom. 1. fol. 215. & Ottonis II. cognomento Ruffi, Imperatoris conſtitutio, ibidem fol. 225. Burchardus Mangelspeldius Compilator hujus juris, ait artic. 3. Recitatur tamen, quod tempore Frederici Imperatoris ſtatutum fuit, ſi liber homo ſervam ſuperduxerit, vel ingenua ſervum, quod proles illa utriuſque ſexus matrem ſequi deberet, & non patrem *Hic eſt Fridericus I. Imperator, cognomento Barbaroſſa. Sequitur ſubinde*: A temporibus vero Vickmani Epiſcopi, jure frequentatum eſt, & per *Henricum* Imperatorem ſtatutum, quod utraque proles, filius & filia, naſcuntur ſecundum matrem, &c. *Hic eſt Henricus VI. Imperator, Barbaroſſæ filius & ſucceſſor. Vtigmannus autem anno 1152. à Friderico illo inveſtitus mortem obiit anno 1194. ſub Henrico. Unde ſatis manifeſtum fit, nec hujus quidem libri Compilatorem vixiſſe Ottonis II. Imperatoris temporibus, ſed quadringentis ferme annis poſt illum ſub Ottone IV. Imperatore & Duce Saxoniæ Brunſuicenſi Coætaneum Pictavienſi in Regno Arelatano: cujus etiam Compilator conſtitutiones nonnullas inter jecit, quibus nomen ejus præſcriptum eſt. Unde apparet, Mangelspeldium non multum eſſe poſſe Eckone Speculi compoſitore poſteriorem.*

Idem artic. 10. Maydenburgenſis civitatis locatio declaranda ſequitur. Imperatoris etenim Ottonis Magni conſilio, accedente etiam Seniorum totius provinciæ conſenſu, primum fundata eſt & erecta, Jureque municipali præſenti confirmata.

Gloſſa in præmio circa fin. Præterea Imperator ille glorioſus *Otto*, inter alia præclara opera, Maydeburgum erexit, Jusq; Municipale, quòd præ manibus habemus, ex Speculo Saxonum, ſeu Jure Provinciali excerptum, appoſitis etiam nonnullis juxta eorum arbitrium plebiſcitis, civitati ſtatuit, illudque tenendum privilegio confirmavit. Sed & filius ejus *Otto Ruffus*, circa annum DCCCC v. Imperator Romanorum creatus, Eccleſiam Cathedralem Maydeburgi fundavit, amplis proventibus eandem dotando, Jusque Municipale præſens, per patrem ejus Magnum Ottonem Civitati datum confirmavit, nonnulla ſuperaddendo, juxta tenorem privilegii de ſuper dati.

Eadem, ad art. 10. *de Ottone Magno*: Imperator tandem ibidem circa Albim fluvium, Ducatũ fundavit Schartavv cognomine: ſed & civitatem Maydeburgum ibidem locavit, communique privilegio Juris Municipalis de conſenſu totius provinciæ dotavit. Filius ejus tandem Otto Ruffus privilegium Jusque Municipale, per patrem ejus Ottonem Mag. civitati conceſſum, auctoritate Imperiali confirmavit, nonnulla etiam juxta eorum plebiſcita, ac de conſilio prudentium illius provinciæ, ex jure Provinciali, quod Speculum Saxonum vocatur, extrahendo addidit. Quin immo illa, quæ in Speculo Saxonum obſcure habebantur, hic clarius enotavit. Huicq; operi ac provinciæ præfecerat Sequeſtratorem ſacri ſui Palatii Burchardum de Manpheldt (*alii rectius habent*, Mangelfeld) Profeſſorem ſacræ Theologiæ, ac Utriuſq; Juris Doctorem. Is etiam ex mandato Imperatoris, in jus Provinciale, ſeu Speculum Saxonum Commentarium fecit, legibuſq; & canonibus adornavit, idq; in conclavi ſedendo facere coactus. Præſens etiam Privilegium, ut ſupra tactum eſt, congeſtum gloſſis & interpretationibus lucidius declaravit. Sed & proceſſum juris (Richtſteig) compilavit, quem tandem Gerko de Kertavv conſummatius peregit. Ecko vero de Repkavv Speculum Saxonum Latinis literis illuminavit, ad inſtantiamq; Comitis Henrici de Phalkenſtein in Germanicum traduxit. Corpuſq; ut ſic, Juris Maydeburgenſis congeſtũ, reviſum, diligenterque interpretatum, per Imperatorem Ottonem confirmatum fuit. Sed & per ſucceſſores ejus illæſe cuſtodiebantur, ac quædam ſuperaddebantur pro commodo & utili civitatis Maydeburgenſis. Privilegium etiam, quod Otto Ruffus civibus de Maydeburg, ac provinciæ, quinimmo & aliis civitatibus ſuper Jure Maydeburgenſi fundatis, & qui jus à Maydeburgenſibus reportant, largitus eſt, hic ſub inferre conſulto videbatur, *Id habes, ut diximus, Conſtitutionum imperialium, tom. 1. fol. 225. Pergit deinde Gloſſator, recitato privilegii textu, in hæc verba*: Et hæc eſt generalis omnium libertatum Maydeburgenſium confirmatio per Imperatorem Ottonem Ruffum facta, omniaque Maydeburgenſium Municipalia Jura ex eo dependent. Unde in teſtimonium hujus Maydeburgenſes habent inſignium, ſeu effigiem ejus ſculptam in foro ſtantem una cum Electoribus Imperii quæ pro ornamento civitatis ſervatur. Civitasque prætacta, ut ſupra habitum eſt, in ſuis juribus, & ſignanter Municipali jure, de conſenſu totius provinciæ confirmata, eſtque antiquior omnium civitatum provinciæ, & Halla in jure iſtius fundata eſt, Quare, ut textus habet, omnes de Polonia, Bohemia, &c. ab Hallenſibus jus ſuũ reportare debent ex eo, quia ſecundum obtinet locum poſt Maydeburgum, eſtque nobilior in locatione, quam aliæ civitates. In defectu vero, ſi ſententiam Hallenſes invenire ignoraverint, ex Maydeburgo eam apportare debent, ex eo, quia civitas illa primatum habet, Imperatorque Otto primarium ſupremamque ſedem Juris Municipalis illic locavit. Municipali etenim Jure appellatur de una civitate in aliam, ſecundum quod civitates locatæ ſunt, & venit tandem ufque Maydeburgum, finaliterque ad Palantium vel ad Regem. Sicut in exemplo, de Lipſio appellatur in Hallam, exinde ad Maydeburgum, ex Maydeburgo ad Palantium in Schartavv.

Alexander Rex Poloniæ: Primum vero poſuimus librum, qui à nonnullis titulatur Ottonis Cæſ. Ruffi.

Johannes à Lasko Cancellarius Regni Poloniæ: Quod quidem Jus Maydeburgenſe, etſi Imperiali Majeſtate Ottonis Ruffi Cæſaris conſtitutum fuerit, &c.

Nicolaus Jaskierus *Secretarius Cracovienſis in gloſſa marginali ad prologum lib. 1. Spec. Sax. Eke translator fuit præſentis Privilegii Saxonici ex Latino in Germanicum. Ex mandato vero Imperatoris Ottonis Ruffi Burchardus de Manpheldt ſacri Palatii Sequeſtrator, Privilegium præſens gloſſis illuminavit, legibuſq; & Canonibus adornavit, Idem etiam Jus Municipale in lucidiorem redegit formam.*

Idem in glossa margin. ad Wichbild, artic. 11. Articulus præsens, & sequentes quatuor, parum afferunt utilitatis nobis. (*sc. Pol. nis.*) Appellatio etenim in Hallam vel Maydeburgum ex Regno Poloniæ abolita est in anno Domini 1356. per Divum olim Casimirum Magnum Poloniæ Regem: locatumq; est Jus Provinciale in castro Cracoviensi, ut illic omnes in appellando recursum habeant. Ab illis vero tandem pro instantia ultima, ad tribunal Regium, vel Commissarios sex Civitatum ad id deputatos provocatio fit, juxta privilegia desuper data, & diversos super eo processus habetur, quam hic, ut ex communi praxi liquet.

Spangenbergius in Chronic. Saxon. cap. 150. *Anno* 937. Imperator Otto Magnus Magdenburgensibus dedit Wichbildum, sive Jus Municipale.

Albertus Kranzius Saxoniæ lib. 3. *cap.* 24. *de instauratione Magdeburgi ab Ottone Magno facta:* Extant literæ, quibus testatur etiam nunc Imperator, quas dederit immunitates novæ urbi. *Immut. indubio Constitutionem quam supra diximus tom.* 1. *fol.* 215. *Constitutionum Imperialium continens.*

Glossa Polonica ad Wichbild, artic. 1. Jus Civile seu Municipale dicitur, quod quisque populus vel civitas sibi divina humanaque causa constituit, quasi jus proprium illius civitatis vel fori. Postquam enim populus habitare invicem cœpit, civitate lque erigi & construi cœperant, quidquid inter se juxta eorū arbitrium constituerunt, jus illorum erat: ut fuit jus Atheniensium, Lacedæmoniorum, ut est jus Aquisgranensium, Colonienſium à Domino Carolo Imperatore confirmatum, ut etiam in præsens est Jus Maydeburgense, quo Cracovia, & multæ civitates Regni utuntur.

Glossa ordinaria ad eundem artic. 1. Dubitare quis posset, quandoquidem Saxonibus ante hac Jus Provinciale datum sit, & provinciæ eorum confirmatum, an per jam præsens privilegiū posterius Juri eorū Provinciali, quod Speculū Saxonū vocitatur, derogatur necne? Jure enim novo, seu constitutione posteriore superveniente, jus antiquius cedit & annulatur. Pro exsolvenda hac dubietate respondendum, quod postquam civitas Maydeburgensis præsenti privilegio, quod & breve quodammodo in se est, dotata & confirmata fuerat, de consensu Imperatoris, principū & provinciæ totius, ex Jure Provinciali, quod Speculum vocatur, extractum est, certis quibusdam plebiscitis superadditis, nec tamen per id derogatū est Jure etiā civitas renunciari Speculo Saxonū per id voluit: verum hoc factum est ex certis & rationabilib. causis. Primo, quia hic quædā constitutiones speciales habentur, quæ in Speculo Saxonū traditæ non sunt: Ut quando increpatur ortilegium in Maydeburgo, non appellatur præsse ad Regem, sed ad Palantiam: secundum vero Jus Provinciale appellatio præcise ad Regem fit. Secundo, Privilegium præsens sancitum est ad supplementum Provincialis Juris: ut si quid brevibus in Jure Provinciali complexum habetur, hic expressius enodatur. Tertio, quod sensus & declaratio jurium, quæ in Jure Provinciali sparsim in diversis locis habetur, hic summatim & breviter exprimitur. Ex his & aliis causis præsens privilegium confirmatum est, nec contradicit Speculo Saxonum, sed est declaratio illius. Intellecto enim privilegio præsenti, quod est minus & facilius, intelligi faciliter Jus Provinciale poterit. Est enim privilegium istud quasi instituta seu elementa juris Provincialis, sicut institutæ Imperiales sunt elementa legum.

Eadem, ad art. 6. Ex declaratis itaque liquet, Jus Municipale ex Babylone originem habere. Omnes etenim illic inhabitantes uno & eodē jure locati erant, quod jus municipale seu civile dicebatur. Urbsque illa initium & radix fuit Imperii & Juris Municipalis. Constitutiones tamen in Babylone & Persia sancitæ, omnes periere, & in abusum venerunt. Jusque Municipale prætactū. Privatum jus etiam dicitur, sicut & præsens Jus Maydeburgense, privatum Jus civitatis illius nominatur. Itidem etiam Speculum Saxonum jus privatum provinciæ Saxonicæ est, & pro privilegio apud illos habetur.

Eadem, ad art. 9. Non aliud intendit, nisi ut ostendat, unde liber præsens nomen sumpsit, quod videlicet Wichbildum, id est, Jus municipale, vocitatur. Sortitur etenim nomen suum à jure, quod populus ipse sibi statuit, ut supra habitum est, & non est aliud, nisi Curiæ Imperii jus (des Sächsischen Käyser Hoffgerichts Recht) quod Imperator in Curia frequentabat communiter sua.

Et paulo post: Circa id notandum venit, quod liber præsens triplex sortitur nomen, triplicique appellatur vocabulo. Primo dicitur esse Wichbildū, i. e. Jus Municipale, nomenq; istud ex ātiquo sortitū habet à tempore illo, postquam Nemrod filius Cham civitatem Babylon extruxerat. jusque omnibus largitus est, quod Wichbildum seu Municipale nuncupavit, à Wico seu munitionibus derivatum, interpretaturque Wichbildum seu Jus Municipale, quasi jus jurisdictionis illius. Jus enim hujusmodi in tantum extenditur, in quantum jurisdictio civitatis vel loci illius, cui jus illud largitum est, sese protendit nomenq; istud hucusque habet, inconcusseq; manet. Habetque originem jus illud à jure naturali, quod manet immutabile. Secundo vocatur jus istud, Fronrechtum, i. e. jus Sanctum, vel jus Dei. Sicut enim Deus est incognoscibilis & inintelligibilis in sui natura, potest tamen intelligi sub eo, quod est communicabilis omnium bonorum: ita per simile, jus præsens ad id sancitum est, quod nullus in eo proprium debet quærere commodum, sed in commune jus istud debet esse omnibus. Tertio vocatur jus istud, Stadtrechtum, i. e. Jus Civile, ex eo, quia civitatibus ipsis datum sit, civitatesque circa Imperium firmiter & inconcusse fideliterque pro viribus stare debent. Unde, ut textus habet, Imperator commisit civitates extrui ad aquas navipotentes, ut muniantur fortalitiis, propugnaculis aliisque munitionibus.

Wig seu munitio in proposito, quæ in Saxonico antiquo vocabulo Wighus nuncupatur, triplicem interpretationem habet. Primo dicitur esse propugnaculum in muris civitatis constructum, nullum habens tectum. Secundo, dicitur esse domus publica in civitate, in qua judex judicium exercet suum. Tertio, dicitur esse locus, ubi executio judicis fit, vel ubi pœnæ infliguntur noxiis. Primo modo accepta munitio dicitur ex eo, quia inimicis civitati nocere volentibus, ex illa contraveniturq; civitasq;

defen-

defenditur. Secundo modo accepta munitio, quæ & Prætorium (Rabthauß) appellatur, est ea eò, quia homines ibidem in municipio convenientes, arceri debent à pravis consuetudinibus, confulereque continue ad servandum vera juris præcepta, & signanter naturalia jura, ut, nemini nocere, alteri tribuere quod suum est, honeste vivere, &c. Tertia vero munitionis acceptio jam declarata patet. Accipi enim debet pro loco, ubi pœnæ infliguntur, & qui in terrorem constituitur seu præligitur, ut homines à malo præcustodiant sese: & accipitur locus ille pro præcustoditione seu pœnæ comminatione.

In vocabulario Juris Saxonici, quod sit Wîch, & Wichbild, hisce verbis exponitur: Weich/heist so viel/nach altem Sächsischen Teutschen/ als jurisdictio, Gericht oder Gebiet.

Item, Weichbild/heist so viel/ als weit ein Gebiet umb ein Stadt ist. Und ist vor alters dabey bedeutet gewesen/daß man ein groß hültzen Creutz in einer Stadt oder Flecken hat auffgericht/darauff seine Hand und Schwert gesteckt/zum Zeichen der Gericht über Halß und Hand.

DE JURE FEUDALI.

GLOSS *in Specul. Saxon. lib 1. artic.* 14. Carolus Magnus Jus Provinciale Saxonibus statuit: Fredericus vero Imperator Jus Feudale, ut in auth. de usi. feud. coll. 10.

Eadem, d. lib. 1. artic. 26. Articulus est, non est ex privilegio, sed est constitutio Frederici Imperatoris, lib. feud. c. 1. ex mandato quæ ipsius hic infertus est.

Glossa posterior ad lib. 2. Specul. Saxon. art. 78. (Vasallus insequi potest dominum.) Caute intelligi debet §. ille, nec ita grosse, ut in se sonat. Magna enim præmeditatione indiget vasallus, ut id aggrediatur, quod textus suadet. Dictum est enim supra lib. 2. art. 12. quod vasallus contra dominum sententiam invenire non potest: quod tamen tolerabilius est, quam quod dominum detinere debeat. Siergo ei facere non licet illud, quod est minus, nec ei licebit id, quod est majus, ut insist. quib. alien. licet vel non, & ff. de reg. jur. l. non debet, etiam habetur in lib. Feud. Ex quib. caus. feud. amittat. ubi jurator domino esse auxilio contra unumquemque, quod non esset, si eum detineret, ut hic textus dispondit. Habetur etiam 22. q. ult. de forma. quod vasallus dominum tueri debet ab omni damno, quod hic non esset. Quidam dicunt, quod lex ista corrigit & derogat aliis legibus in contrarium. Respondeo tamen, quod nova lex corrigit antiquiorem, sed Jus Feudale posterius est Jure Saxonico, quare istud non derogat illi. Dicunt etiam quidam, quod jus feudale derogaret huic, quia lex posterius constituta, quæ est contraria prior, derogat illi, dato quod mentio aliqua ibidem non fit, ut de const. c. 1. lib. 6. sed tu dic derogatio nulla facta est. Abrogationem enim juris, in probationibus maxime, vitare debemus, in quantum possimus. C. de appel. l. præcipimus, in fin. & in auth. quib. mod. natur. effic. sui 5. tribus coll. 7.

Glossa Juris feudalis, in prooemio: Und darumb/(adscribo verba Germanica, quod glossa hæc Latine non exret) so hat der Hochgelobt und Hochgeboren/(deß Gott ewiglich gedenck) dieses gegenwertigen Buchs Außgeber/Käyser Friderich von Stauffen/dz da Lehenrecht genant ist/ wohl erkant/ &c. Dann warum dieses Recht so maniger hand was/ daß es kein Mann zu ende erkundet kundt/darumb daß ein iglicher Herr und Fürst/Geistlich und Weltlich/ seinen Mannen wolt sonderliche Sachen machen/ut G. de negot. gest. l. 1. Und darumb ward er zu Rath/ daß er durch deß gemeinen Nutzes willen/das zu der Ritterschafft gehört/ diß gegenwertig Buch/ zu einer ewigen Gedächtnüß/der Ritterschafft gelassen hat/daß sie wissen/was Recht sie antreffen sey/ut C. qui mili. poss. l. 1

Spangenbergius in Chronic. Saxoniæ, cap. 247. Anno 1215. *Imperator Fridericus Secundus in Comitiis Moribergi celebratis edidit saxonibus 120. Feudale, & Speculum etiam Saxonum ad veriis constitutionibus adauxit.*

Extra quidem ista hactenus commemorati, videntur Jus feudale Saxonum ad Imperatorem Fridericum Secundum auctorem retulisse. Qua auctoritate, aut quo judicio, non disputo. Reperio namque & alios Fredericos de feudis constitutiones edidisse.

Radevicus Canonicus Frisingensis, de Friderico Primo Imperatore, cognomento Barbarossa, scribit, eum *de iure feudorum, quia apud Latinos scripto nondum sufficienter expressum fuerat, & pene omnes eam beneficiorum iustitiam conturbarant, leges promulgasse.* Sed earum legum certa tantum capitula fuerunt, in nullos libros tributa, quæ idem Radevicus, & post eum Guntherus in Ligurino, ordine suo recensent, quæve postea ab Hugolino vetere Feudorum interprete (ut testatur Odofredus) fuerunt *Libus feudorum* partim inserta, partim adjuncta. Nihil ergo hic locus ad Consuetudines feudorum vulgatas, multo minus ad jus istud Feudale Saxonum attinere potest.

Cuspinianus quoque in Friderico III. Imperatore affirmat, eum Jurisperitos mediocriter dilexisse, quod juris æquitatem diceret ab iis nuveri, justitiamque fœdari, ob idque novum de Ulibus feudorum librum fieri jussisse.

Et Jacobus Spiegelius in Catalogo Imperatorum scribit in hunc modum: *Friderichus III. Austriacus, ne Hahandler in dicat, Feudorum consuetudines, quas vetustas appellare solebant iura militarium, & Imperator notarius regalium ad præcepta Bononiensis Collegii confirmavit. Nec dubito prorsus tam habitarum eas ordini suo restituisse, nimirum, quo principes per eum celebri Collegium fuerunt exhibita. Si per invidiam fatis licuisset, ne quid gravius dicam, de immatura morte Hahandri nostri.* Qui tamen non est ille, quem nuper Nicol. Regaltius publicavit, Bartholomæi Baraterii J.C. Placentini, qui non est ad auctoritatem Friderici III. Imperatoris relatus, sed pessimo exemplo ad Philippi Mariæ Ducis Mediolanensis, vasalli ligium Imperio Fuit autem (quomodo mihi persuadeo, libri illius, ad Academiæ Bononiensis preces ab Imperatore confirmati, auctor Antonius de Prato vetus, Doctor Bononiensis cujus ipse Regaltius in præfatione facit mentionem.

Marquardus Freherus Consiliarius Archipalatinus, amicus noster, in Commentario ad constitutionem Caroli III. Imperatoris de expeditione Romana, subinde laudat & adducit codicem Juris Feudalis, sub nomine *Vetustissimi Auctoris de Beneficiis.* Qui Codex, hic ipsissimus est, quem nunc tibi exhibemus, liber Juris Feudalis Saxonum. Omnia enim illa fragmenta, quæ ex suo Mss. Cod. ce Freherus refert, in hoc nostro libro verbatim exstant ut apparebit cujus ea cum nostro libro contendere volenti.

Hactenus singulorum Tractatuum sua sibi testimonia & elogia, quo ad eorum potui commeminisse, elicidavimus. Nunc generatim opponam, quæ de omnibus tribus Juris Saxonici voluminibus in corpore Juris Polonici gustare; auctoritates Regias, quibus in usum Regni & Provinciarum Polonicarum Saxonicum confirmatus & habitus fuit. Ea autem habent in hunc modum.

PRIVILEGIUM JURIS THEVTONICI PROVINCIALIS

ſupremi Caſtri Cracovienſis, per Kazimirum

Magnum conſtitutum, quod Vladislaus Jagello, & Vladislaus Jagellonis Reges confirmarunt, cujus tribunal eſt in caſtro Cracovienſi, ad quod in cauſis tam magnis, quam parvis juris civilis provocatur & appellatur.



IN nomine Domini, Amen. Nos Vladislaus Dei gratia Rex Poloniæ, Hungariæ, Dalmatiæ, Croaciæ, Raſciæ, Serviæ, necnon terrarum Cracoviæ, Sandomiriæ, Siradiæ, Lanciciæ, Cuiaviæ Lithuaniæque Princeps ſupremus, Pomeraniæque Ruſſiæque Dominus & hæres, &c. Ad perpetuam rei memoriam ſignificamus tenore præſentium, quibus expedit, univerſis præſentibus & futuris, præſentium notitiam habituris. Quomodo pro parte famoſorum Advocati & Juratorum juris noſtri ſupremi Theutonici provincialis caſtri Cracovienſis, oblata petitio continebat in effectu, quatenus ex innata noſtræ benignitatis clementia divæ memoriæ ſereniſſimi Principis Domini Vladislai Regis Poloniæ, noſtri immediati prædeceſſoris & genitoris chariſſimi, literam pergameneam ratificationis privilegii Illuſtris Principis & Domini Kazimiri Regis Poloniæ &c. de & ſuper inſtitutione juris ſupremi Theutonicalis provincialis in caſtro noſtro Cracovienſi, vice & loco juris Maydemburgenſis editi & conceſſi factam & donatam, ſigillo ſancti genitoris noſtri mediocri in cortula ſericea impendente ſigillata, ſanam, ſalvam & integram, non viciatam, non cancellatam, nec in aliqua ſui parte ſuſpectam, ſed omni prorſus vitio & ſuſpectione carentem, & pro parte eorundem Advocati & juratorum coram nobis præſentatam confirmare, approbare, ratificare, & innovare dignaremur, cujus quidem literæ una cum contentis in eadem tenor de verbo ad verbum ſequitur & eſt talis.

In nomine Domini, Amen. Ad perpetuam rei memoriam. Non convenit, ut inſperatis ſortis caſibus profectus rerum ſubjicere, & pia vota cum cadente fortuna deputare, quorum vivax debet eſſe aſſertia & conſtitutio perpetuo ſubſiſtere robore firmitatis. Proinde nos Vladislaus Dei gratia Rex Poloniæ, necnon terrarum Cracoviæ, Sandomiriæ, Siradiæ, Cuiaviæ, Lanciciæ, Lithuaniæque Princeps ſupremus, Pomeraniæque Dominus & hæres, &c. ſignificamus tenore præſentium, quibus expedit univerſis præſentibus & futuris præſentium notitiam habituris. Quomodo licet dudum divæ memoriæ Dominus Kazimirus Rex Poloniæ, prædeceſſor noſter, Regali proviſione & communi utilitate ſuadente, in Regno Poloniæ jus Theutonicum ſupremum inſtituiſſet, & ordinaſſet, ut omnibus oppreſſis & gravamen coram judicibus ſecularibus judicij ejuſdem Theutonicalis patientibus totum ad illud appellandi & evocandi patuiſſet refugium, ne ſubditi Regni noſtri ob defectum juris ſupremi ad terras alienas per loca incognita non ſine gravibus periculis, damnis & expenſis pro juſtitia recurrere arcerentur, quemadmodum ante hujusmodi conſtitutionis decretum: & hæc talismodi conſtitutio tempore felicis noſtri regiminis ſub ratihabitione noſtra & hactenus tenta fuiſſet cuſtodita & ſervata in & ſub forma per certa capitalia tradita & literis authenticis ſub appendentibus ſigillis majeſtatis ejusdem Regis Kazimiri confirmata.

Tandem hujusmodi literæ apud judices & conſervatores præfati juris neſcitur, qua ſorte & utique infauſta perierunt. dignum itaque arbitrantes hanc conceſſionem & conſtitutionem ex toto, ut antea, virib. debere ſubſiſtere, præfatas literas & privilegia, quarum tenor de copiis ſumptus originalibus in certis codicibus dictorum judicum remanſit integer conſervatus, renovamus,

mus, innovamus ac robur ipsis in vigore perpetuo adjicimus. Volentes, ut in omnibus suis capitulis, punctis, conditionibus & articulis jugem semper & irrefragabilem obtineant firmitatem, providentes specialiter, ut quotiens cunque civitates in hac privilegij copia descriptæ & contentæ, vel eorum aliqua in hujusmodi supremi juris judicio causam vel causas proprias vel suorum coincolarum & concivium coram judicio prætati juris per appellationem introductas habuerint, illis amotis & exclusis alia civitates pro eis a judicium cum aliis remanentibus surrogentur. Tenor autem prædictarum literarum, & forma hive copia sumpta ex originali, ut præfertur, sequitur & est talis.

In nomine Domini, Amen. Quia humana conditio dominantis sibi jugo libenter caruisset, ut homines libertatem minime abdicassent: si non impunita vitia gravi pernicie scelerum redundassent. Ideo divina sententia dati sunt Reges populo, & domini subjectis, ut necessario justitiæ & judicio ac imperio Regum subessent universi. Ut cuilibet æquo libramine statera lance appensa ipsi Reges justitiam ministrent. Et proinde nos Kazimirus Dei gratia Rex Poloniæ, necnon terrarum Cracoviæ, Sandomiriæ, Lanciæ, Siradiæ, Cuijaviæ, Pomeraniæque Dominus & hæres Russiæ, &c. ad extollenda justorum præconia, & transgressorum insolentias reprimendas, animadvertentes nostro Regno contra decorem & honorem illibata ejusdem Regni nostri præter scientiam nostræ Regiæ Majestatis versasse corruptelas. quod cum Advocati, Sculteti, Scabini jurati judiciorum bannitorum juris Theutonici, aut litigantibus in judiciis eorum bannitis contendentibus sententias interlocutorias & diffinitivas in causis quam plurimus promulgant. Dicti contendentes ad partes remotas Rinenses in Maydemburg civitatem, cui nullo jure subsunt, & ultra fines R. gni nostri; appellationes & provocationes interponuntur, nostræ Majestatis proprio solio & tribunali, nec non proprij Principis & domini jure & jurisditione omissis & contemptis, & in detrimentum Regni nostri damnum, & regnicolarum nostrorum gravamen. Advocati vero, Sculteti & alij Scabini jurati prædicti nostri Regni à contendentib. eisdem pro emendis sententiis & scultecis in Maydemburg per novem ferrones latorum grossorum Pragensium, & nonnullas summas pecuniarum pro expensis exigant; & extra Regnum nostrum in Maydemburg, pro prædictis sententiis emendis transmittunt, per quæ honori, decori, jurisditioni, solio, tribunali illibatis nostris prædictis detrahatur, & turpitudini reservetur, & quod deterius est dicti Advocati, Sculteti, Scabini jurati jurisditionem Theutonicalium cum more litigantes justitiæ reddere deberent complementum, difficiles se in hoc reddentes ad civitatum nonnullarum dicti Regni nostri Consules, Advocatos, Scabinos juratos. Quibus nulla à nobis super jure supremo & dandis sententiis juris Maydeburgens. à nostro Regali Majestate, nulla prorsus fuit vel est eis specialis ad talia loca ipsorum extra corum loca constitutes, ultra terminos jurisdictionis eorum attributa potestas ad vendendum jus supremo nostro solio & tribunali de jure duntaxat annexum, & sententias aliquas dandum extra fines eorum jurisditionis ad alias civitates, villas & oca, nulla eis à nostra Regia Majestate autoritas est concessa, sed ex quadam temeritate contendentes coram eis in causis tam magnis, quam parvis pecuniis ponere compulerunt non paucas, pre quibus sententiis à dictis civitatum R. gni nostri Consulibus, Advocatis, Scabinis juratis nulla prorsus ad hoc autoritate fruentibus sententias extraxerunt & jus emerunt, quod viribus caruit & non subsistebat, in tantesque contendentes deludebant lumptibus, laboribus, impensis & expensis fatigando, minus juste, Contra quæ in regno nostro clamor ascendit, & insinuatio manifestavit, quod majestas nostra fama deferente & clamore incitante sine periculo pertransire & sine scandalo tolerare per nostram serenitatem oculis conniventibus pertransire non potuerint. Cum reverendis in Christo patribus Jaroslao Archiepiscopo Gneznensi, Bodzanta, Cracovien si, Sbilutho Vladislavien si, Johanne Poznanien si, Nicolao Ploczensi, Johanne Lubucensi, Episcopis; necnon Abbatibus, Præpositis, Decanis, Archidiaconis, cæterisque Prælatis & Canonicis tam Cathedralium quam Collegiatarum & aliarum Ecclesiarum Capitulis & Beneficiatis, tam secularibus, quam regularibus, exemptis & non exemptis; necnon magnificis Castellanis, Palatinis, Camerariis, Succamerariis, Judicibus, Subjudicibus, Baronibus, Militibus & Nobilibus, Consulibus, Advocatis, Scabinis juratis civitatum, Scultetis & Officialibus villarum & locorum singulorum universis synodum, conventionem & concilium celebravimus, de quorum omnium & singulorum consilio, appellationes, provocationes indictis judiciis faciendas à litigantibus prædictis pro pecuniis prædictis emendas, exigendas, admittendas sententiasque & jus in Maydemburg emendum, & ab civitatum aliquarum dicti Regni Judicibus, Advocatis, Scabinis juratis, jus aliquod absque nostra speciali authoritate per quospiam Judices, Advocatos, Scabinos juratos, litigantes emendum & recipiendum sententias aut jus aliquod, & receptis aliqualiter standum, aut ea pro jure habendum, sub pœna amissionis omnium bonorum suorum autoritate nostra Majestatis Regiæ inhibemus. Volentesque prædictis nostris regnicolis damna, gravamina, fatigas & sumptus removere, profectum quoque & utilitatem eis, nostro quoque Regio & Regiæ majestatis honorem & decorem ampliare, libros juris Maydemburgens. ordinavimus, & in thesauro nostro Cracovien si deposuimus, in eodemque castro nostro Cracovien si constituimus jus supremum Theutonicale provinciale, vice & loco juris Maydeburgensis, de libris eisdem promulgari debere sententias & jura per Advocatum nostrum & septem scultetos, seu Advocatos & Juratos dicti juris provincialis peritos juris prædicti. Quos nostræ majestatis Procurator generalis, qui pro tempore fuit, dicti castri terræ nostræ Cracovien. una cum Advocato nostro, & locis infrascriptis, inter advocatos & scultetos, seu alios juri peritos potiores, duxerit recipiendos, nominandos, eligendos, & ad loca tempore vitæ eorum pro judicio nostro supremo provinciali castri Cracovien. bannicando more consueto, temporibus competentibus & locis, videlicet

delicet de Bochnija & Vijelijczka, de Robczijcze & Lipnijcza, de Mijslinijcze, de Ilkuſch, de Volbram civitatibus. Advocatis de Liipnijk, de Sulozouua, de Irmanovicze, de Przeczijnija, de Sanduuman, de Balijn, de Czubrovincze Scultetis majeſtatis noſtræ regiæ de Bodzanouu, de Igolomija, de Lapſzicze, de Scavvijna, de Riibna, de Liiski, Tiniczenſi, de Brzeſko, de Gonovv, Breſenſi Abbatis, de Luboſza, de Pubyednij, de Tubycze, Svverzmenſi, Præpoſiti monaſteriorum Advocatis & culteutis necnon aliis locis, Scabinis & aliis honeſtis & circumſpectis perſonis in dicto jure Maydenburgenſi peritis, & qui ſede Scabinali fuerint digni; quod ſint ſeptem in numero ſemper præſidentes perpetui, & quod ſeptenarius numerus non excedatur. Ad quod quidem judicium noſtrum ſupremum provinciale Theutonicale caſtri noſtri Cracovienſis Advocatum noſtrum, necnon Advocatos, ſcultetos & alios ſeptem præſidentes eidem noſtro judicio, loco prædictarum provocationum & appellationum in Maydemburg prorumpi conſueverunt, licitum erit eis ab omnibus Judicibus, Advocatis, Scultetis, Scabinis, juratis tam civitatum quam villarum, quibuſcumque contendentibus & litigantibus appellare & provocare, & coram eiſdem proſequi, finire & decidere ſuam appellationem ſeu ſuper eiſdem & aliis per ſimplices propoſitiones ſive appellationes jus & ſententias poſtulare, de libris noſtris prædictis juris Maydemburgenſ. Quibus ſententiis & juri per eoſdem promulgatis, auctoritate noſtra Regiæ Majeſtatis decernimus, vel ut legi ſtandum, vel tanquam legem obſervandum. Niſi aliqui contendentium prædictorum duxerint ſuper ſuis quæſtionibus & cauſis jus melius & ſententias meliores in oppoſitum ipſorum promulgatorum juris & ſententiarum proponendum, eiſdem ab ipſis ad tribunal & ſolium noſtræ Majeſtatis licebit appellare, & infra tempus dicti juris Maydemburgenſis librorum noſtrorum, à nobis ſuper eorum provocatione obtinere certos Commiſſarios, quos volumus & decernimus fore Conſules civitatum, unde ipſi appellantes nominaverint alteri parti non ſuſpectos, de qualibet civitate per duos conſules, videlicet de Cracovia & Sandeca, de Bochnija, & Vijchijczka, de Kazimiria & Ilkuſch, qui ex noſtra ſpeciali commiſſione decident appellationem & finem negotij appellationes cauſæ imponent. Et ne præfati, Advocatus noſter, & alij Advocati, Sculteri, Scabini, ſeptem prædicti perpetui præſidentes circa judicium noſtrum & jura prædicta danda & laborando dies ſuos in vanum exponant, & litigantes prædicti laboribus, fatigis & expenſis more priſtino graventur. Conſtituimus obſervandum inantea pro qualibet ſententia danda duntaxat per ſeptem Scottos, videlicet pro fiſco noſtro medietatem, aliam prædictis præſidentibus ſeptem Scabinis, inter ipſos pro labore ipſorum dividendos, præter Notarij ſalarium, memorialia, & privilegiorum literas eorum dandas, de quibus juxta eorum moderationem diſponere debebunt, ratione onerum levandas. De pœnis autem dicti judicij noſtri, pro nobis Advocatus noſter quatuor pœnas, & quintam pro Scabinis prædictis exigere debebit. Et ut præfati Advocatus noſter & ſeptem Scabini dicti judicij noſtri ſupremo eo fortius & cum exacta diligentia judicio ſupremo prædicto & ſententiis promulgandis diligentius conſiſtant & continuent. Ipſos Advocatum & Scabinos Majeſtas noſtra extollere volens prærogativa favoris & gratiæ ſpecialis, ipſos eximimus & liberamus ab omnibus exactionibus, tributis, contributionibus & aliis collectis, laboribus, ſervitiis, expeditionibus, ad quaſcunque partes, per nos & per noſtros ſucceſſores fiendis & obedientiis quibuſcunque, tam noſtris quam ipſorum dominiorum, nec non à judiciis & juriſditionibus ipſorum dominorum, caſtellanorum, palatinorum, Judicum, ſubjudicum, Cameriariorum, cæteroramque Officialium terreſtrium, nec non Advocatorum, Conſulum, Scabinorum & quarumcunque poteſtatum, quibus nulla ratione obediant, neque citati in magnis vel parvis cauſis coram ipſis comparere & reſpondere tenebuntur. Sed duntaxat cum ad præſentiam noſtram, & per ſpeciale ſigillum noſtrum citati fuerint, tunc coram nobis aut coram ſpeciali commiſſario noſtro ad hoc deputando reſpondere tenebuntur, jure ſuo Maydenburgenſ. & quilibet eorum reſpondebit. Ut autem præmiſſa omnia robur obtineant perpetuæ firmitatis, præſens privilegium de conſilio & conſenſu prædictorum omnium aſſeſſorum noſtrorum, ſcribi & ſigilli noſtri Majeſtatis Regalis majoris appenſione fecimus communiri. Actum & datũ Cracoviæ, Anno Domini 1376. in craſtino S. Franciſci, præſentibus præfatis Archiepiſcopo, & Epiſcopis, nec non magnificis viris Dominis Jura Caſtellano, Imramo palatino, Andrea Judice Cracovienſi, Wijlczkone Sandomirienſi, Raphaele Viſlicienſi, Petro Sandecenſi, Caſtellanis, & aliis quam pluribus fidibus fide dignis.

Petitionibus itaque præfatorum judicum & conſervatorum præfati juris Theutonici ſupremi benigniter acclinati, & ſubditorum noſtrorum commodis & profectibus commoniti hujusmodi literas, conſtitutionem, gratiam & conceſſionem, grata & rata habentes, atq; firma auctoritate noſtra Regali, robur ipſis apponimus, & Sigilli noſtri majoris communitione firmamus. Harũ tenore mediante. Actum ferta quinta poſt conductum paſchæ, Anno Domini 1421. præſentibus reverendiſſimis in Chriſto patribus, Dominis Nicolao dictæ Gneznenſi. Eccleſiæ Archiepiſcopo & Primate, Alberto Cracovienſ. Andrea Poſnanienſ. Jacobo Ploczenſ. Joanne Chelmenſi. Eccleſiarum Epiſcopis nec non magnificis validiſq; viris Chriſtino de oſtrovv Caſtellano Cracovienſ. Sandiuogio de Oſtrohroh Poznenſ Joanne de Tarnovv Cracovienſ. Nicolao de Michalovv Sandomirienſ. Matthia de Vanſzoſzijo Caliſſienſ. Nicolao de Oporovv Lancicienſ. Jacobo de Conijeczpole Siradienſ. Matthia de Labijſznijn Breſtenſ. Johanne de Coſczijelecz Gnevvconienſ. Palatinos Michaele de Ciſſovv. Sandomirienſ. Miſtino Poznanienſ. Martino de Clenovv, Chriſtino de Coſzijeglovvij Sandicenſ. Floriano de Coriithniicza Viſlicienſ. Joanne de Sc. kocznn Lublinenſ. Caſtellanis: Nbigneo de Brzezye Regni Poloniæ Marſcalco, Petro Schafranyecz Succamerario Cracovienſ. Andrea Cziolek de Zelecho, Dapifero Sandomirienſ. & aliis quam pluribus fide dignis, noſtris fidelibus dilectis. Datum per manus reverendi in Chriſto Patris Domini Alberti Epiſcopi Cracovienſ. ſupremi Cancellarij, & Joannis Decani Cracovienſ. & Vice Cancellarij Regni Poloniæ, ſincere nobis dilectorũ

Nos

Nos vero Vladislaus Dei gratia Rex præfatus de consilio consiliariorum nostrorum ad latus nostrum, tunc assistentium, petitionibus taliter coram nostra Majestate oblatis tanquam justis, rationabilibus, & rationi consonis acclinati, hujusmodi literam, ratificationem, innovationem Privilegij præscripti cum contentis in eodem confirmamus, ratificamus, approbamus & invocamus, decernentes ipsam in omnibus suis punctis, clausulis, conditionibus & articulis robur obtinere perpetuæ firmitatis per præsentes. Harum, quibus est appensum sigillum nostrum, testimonio literarum Actum in insula Czijepel oppido Coni in alias Racze, die Dominico post festum Sancti Stanislai tempore Maij proximo, Anno Domini millesimo quadringentesimo quadragesimo quarto, præsentibus ibidem venerabilibus, magnificis, strenuis & generosis Laurentio de Edervvar Regni Hungariæ, Nicolao de Naiiszohi Luca de Gorka Poznaniensi Hinkone de Pomoizani terræ Podoliæ, Palatinis; Nicolao de Zahrzovv Marscalco, Creslao de Voijscheck de VVoijza Dapifero Curiæ nostræ, Petro de Schamotuli, Paulo de Sijenno, Nicolao de Czessavv, & Hijnkone de Balijcze, familiaribus nostris, & aliis fide dignis testibus circa præmissa. Datum per manus Magnificorum Joannis de Conijeczpole Cancellarij, & Petri de Scekoczijn.

Vicecancellarii Regni Poloniæ, sincere
nobis dilectorum.

SUMMUS

SUMMUS PONTIFEX GREGORIUS REPROBAT

certos Articulos Iuris Saxonici & Magdenburgensis, tanquam Juri divino contrarios.

GRegorius Episcopus servus servorũ Dei venerabilibus fratribus Archiepiscopo Rigensi ejusdẽ suffraganeis salutẽ & Apostolicam benedictionẽ. Ad reverentiã Dei, extirpationem errorum, & exaltationem Catholicæ fidei atque justitiæ & animarum salutem. Quædam execrabilia scripta, Leges seu Speculum Saxonum appellata, multa examinatione & maturitate in hac parte præhabita, authoritate Apostolica reprobamus, dãnamus, & decernimus irrita & inania, & carere omni robore firmitatis, prout continetur in nostris literis, inde confectis, quarũ tenor est talis.

Gregorius Episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Salvator humani generis Dominus noster Jesus Christus, cujus licet indigne vices gerimus, cernens ipsum genus humanum, quod ad delicias paradisi creaverat, ex lapsu prothoplasti diabolica fraude deceptum per peccatum inobedientiæ corruisse. Et quod futurorum præscius prævidebat inter statutum purissimum triticũ hostem invidum seminaturum zizania, & inter sacra prophana, inert sincera fermentum, & inter recta, iniqua hostilibus callidisque machinationibus & astutiis positurum, cultores agri sui, videlicet beati Petri principis Apostolorum, cui & successoribus suis, per eundem tradidit plenissimam potestatem, aliorum Apostolorum & Discipulorum successores, sc. Ecclesiarum præsules, qui supernatum evellerent lolium, ne inficeret semen bonum, Ideoq; ad nostrum principaliter, aliorumq; prælatorum Ecclesiæ sanctæ Dei spectat officium, ut animarum saluti solerti solicitudine intendentes, & agrũ hujusmodi, prout expedit, sæpius expurgantes: Ea quæ noverimus humanæ saluti contraria. studio pastoralis solicitudinis evellamus. Sane fide digna & admodum molesta pluriesque inculcata relatio plurimorũ ad nostrum perduxit auditum, quod in Saxonia, & nonnullis aliis partibus, quædam detestabilia scripta, Leges seu speculum Saxonum vulgariter nuncupata, & inferius annotata, apud nonnullos Nobiles atq; plebejos reperiuntur, quæ judices & incolæ partium earundem, omissis Canonibus aliisque Scripturis sacris contemptis, quæ naturæ legibus ac civilibus & bonis moribus, procul pulsis & longis retroactis temporibus observarunt, & observant etiam de præsenti. Ex quorum quidem observantia Deus offenditur, proximus gravatur, vera justitia & æquitas dissipatur, canones & leges condemnuntur. Etenim judicium enormiter subvertitur, veritas impugnatur, contra bonos mores & legem naturæ agitur, dehonestatur honestas, libertasque Ecclesiastica conculcatur, & quod est deterius, apostolica denegatur potestas, & veritati catholicæ fidei derogatur. Nos igitur de hi stanto dolẽtes amarius, quando exinde illa servantium animæ longioribus temporibus, strictioribus laqueis fuerunt allegati. Et propterea paternis desiderantes affectibus tot & tantis malis periculis obviare. Ne nobis prædicta dissimulantibus, sanguis peripsa peccantium de nostris manib. à domino requiratur, ipsa scripta seu leges, quæ nos mature vidimus, & per nonnullos ex fratribus nostris sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales & alios in sacra pagina magistros ac utriusque juris Doctores diligenter examinari fecimus. Habita super eis deliberatione matura, tanquam falsa, temeraria, iniqua & injusta, & in quibusdam hæretica & schismatica, & contra bonos mores existentia periculosaq; animabus de ipsorum fratrum nostrorum consilio, auctoritate Apostolica, tenore præsentium reprobamus, damnamus, & decernimus irrita & inania, & carere omni robore firmitatis, nec non processus & sententias, si quas forsan ipsarum reprobatarum scriptarum legum prætextu fieri contingit, in posterum penitus non valere. Universis Christi fidelibus per Apostolica scripta mandamus, quatenus ipsis scriptis & legibus reprobatis de cætero non utantur, sed Domini terrarum tam ecclesiastici quã seculares, suos ubi subditos non permittant. Alioquin contrarium præsumentes, cujuscunque præeminentiæ, dignitatis, status vel conditionis, existant, et iamsi Pontificali, vel Imperiali, aut Regali, vel alia qualibet præfulgeant dignitate, excommunicationis sententiam incurrere volumus ipso facto. Et ut reprobatio, damnatio & mandatum nostrum hujusmodi, tam salubrem effectũ irrefragabiliter consequatur, universos & singulos, ac dominos temporales tam ecclesiasticos, quam etiam seculares, per præsentes requirimus & rogamus, ut per eorum constitutiones & statuta perpetua ordinent & mandent sub gravioribus temporalibus pœnis, quod nullus subditorum suorum deinceps utatur his reprobatis scriptis, seu legib. memoratis, ipsaq; in contrarium facientes taliter exequantur, quod eorum scriptorum seu legum detestãta iniquitas de terris eorum totaliter extirpetur. Nulli ergo hominum omnino liceat hanc paginam nostræ damnationis, prohibitionis, constitutionis, mandati, voluntatis & requisitionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis a, hoc attemtare præsumpserit, indignationem Dei Omnipotens & beatorũ Petri & Pauli Apostoloruin ejus se noverit incursurum. Datum Avinione, 6. Idus April, pontificatus nostri Anno tertio.

Ad Idem.

Gregorius Episcopus servus servorum Dei charissimo in Christo filio Carolo Romanorum Imperatori, & semper Augusto salutem & apostolicam benedictionem: Fili charissime, jam longum tempus est & præteritum, quod de erroribus & de execrabilitate quorundam scriptorum detestabilium

lium, quæ leges seu speculum Saxonum appellantur, quibus nonnulli de partibus tuarum Imperii & regni terrarum uti seu potius abuti dicebantur, per fide dignas, & intelligentes personas fuimus informati, & petitum fuit à nobis, ad quos spectat de talibus providere, ut super eis ad salutem animarum provisionem adhibere dignaremur. Nos scripta ipsa mature vidimus, & per nonnullos tam fratres nostros sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, quam per alios in sacra Theologia solennes magistros ac utriusque juris doctores examinari fecimus diligenter, & illa ex eis, quæ falsa, temeraria schismatica contra bonos mores existentia & periculosa nimium animabus fore repetimus, authoritate apostolica reprobamus, condemnamus, & decernimus irrita & inania, & carere omni robore firmitatis, prout ex nostris liter. is inde confectis, quarum tenorem præsentibus inclusum, quasque venerabilibus fratribus nostris Moguntinensi, Colonien si, Bremensi, Magdeburgensi, Progensi & Rigensi Archiepiscopis, eorumque suffraganeis dirigimus, videre poteritis plenius contineri. Quare devotam excellentiam tuam, quæ sancta, justa, & honesta veneratur & colit, ac contraria detestatur, requirimus & rogamus attentius, quatenus in publicatione dictarum literarum, & ut pareatur contentis in eis, digneris pro reverentia Dei, & Apostolicæ sedis & nostra, dictaque animarum pro salute & reformatione mo um, tuæ Imperialis & regalis potestatis favorem efficaciter impartiri. Datum Avinione, Idus Octobris, pontificatus nostri anno tertio.

QUATUORTECIM ARTICULI ERRONEI JURIS SAXONICI SEU THEUTONICI ET

Maydenburgensis, per sedem Apostolicam condemnati, tanquam juri naturali & divino contrarii, quos etiam nos Alexander, Rex Poloniæ, &c. Apostolico decreto inhitentes reprobamus, condemnamus, nulliusque roboris & momenti decernimus perpetuo, ac per quoslibet Judices & subditos nostros, ubilibet in dominiis nostris consistentes, districtius sub pœnis nostris eosdem teneri inhibemus.

PRimus Articulus continet: Quod quicquid homo fecerit extra judicium, quantumcunque hæc sit notorium, se liberare poterit per suum juramentum, nec contra talem valet aliquod testimonium.

Secundus Articulus: Papa non potest, nec aliquis alius, Dominum Imperatorem excommunicare, postquam consecratus est, & unctus, nisi solum in tribus casibus, si dubiis sit in fide, si repudiat uxorem suam legitimam, si destruat Ecclesiam.

Tertius Articulus, quod excommunicatio neminem debilitat in jure terræ seu feudi, nisi sequatur regularis proscriptio.

Quartus Articulus, quod Papa non potest aliquo modo ejus condere vel statuere, per quod valeat jus nostrum, hoc est, statutum terræ vel feudi Saxonicum, deteriorari.

Quintus articulus, quod nulla sententia tam justa dari potest in Saxonem coram Rege vel judicio Regali, quin si velit Saxo talem sententiam reprehendit, testans in manum suam dextram, & majorem communitatem met septimus pugnare volens, contra septem alios pro dicta sententia, tunc ubi major pars triumpha verit, talis sententiam obtinebit.

Sextus Articulus, quod si quis fuerit interfectus spolio vel furto, pro quo consanguineus interfecti se præbeat ad duellum, talis per duellum repellit omne testimonium, nec talis mortuus sine duello poterit vinci seu convinci.

Septimus Articulus, quod si duo dictant in judicio simul contrarias sententias, tunc quicunq; talium habuerit majorem sequelam, talis sententiam obtinebit.

Octavus Articulus, quod quicunque fuerit appellatus ad duellum secundum istius libri formam, talis non potest denegare duellum, nisi appellans eum sit minus bene natus, quam appellatus.

Nonus Articulus, quod quicunq; perdit jus suum ratione furti vel spoli, talis accusatus secundo de furto vel spolio non potest se liberare juramento suo, sed dilationem habet ad ferrum ignitū aut aquā bulientem, vel ad duellum, hujus quidem articuli pars ultima, quæ ad ferrum ignitum & cætera electionem concedit, & erronea.

Decimus Articulus, quod quicunque cognoverit aliquam fœminam, si postea ducat eam in matrimonium, nunquam ex ea poterit prolem legitimam generare.

Undecimus Articulus, quicunque cognoverit publice uxorem alicujus vivente marito, si post mortem mariti illius talis eam ducat in uxorem, nunquam ex ea prolem legitimam generabit.

Duodecimus Articulus, quod heres non tenetur de furto vel spolio perpetrato per illum, cui succedit in hæreditate, respondere, quod erroneum est saltem in foro conscientiæ.

Tredecimus Articulus, quod quicunque succinctus cum gladio, clypeum tenens non potest de ligno vel lapide pollicis unam quantum ad altitudinem habentem supra dextrarium scandere, talis nō potest cedere, dimittere, vel intendare, vel etiam mobilia bona alicui dare, sic quod iste custoditus sit, qui talia post mortem dantis expectat. Iste Articulus est erroneus, in quantum Eleemosinas, testamenta & alia pietatis opera prohibet.

Quartus decimus Articulus est, quod nullus sine licentia suorum hæredū sine judicio bannito, quod Saxonico dicitur, gehegetDing/potest dare proprietatem suam vel suos homines. Et si talia daret alicui, hæredes acquirent ista per judicium, ac si dans illa mortuus esset, isti duo articuli sunt erronei, in quantum Eleemosinas & alia pietatis opera prohibent. Hæc in quadam extravagante beati Gregorii Papæ Noni ponuntur, & reprobata sunt pro eo, quod non continent conditiones suppositas ad legem requisitas, sed magis militant contra pietatem & salutem animarum.

CON-

CONTINUATIO DECRETI REGII IN PRIVILEGIO COMMUNI.

De Universis Regni nostri privilegiis, etsi nos Alexander Rex dum taxat supra scripta ad presens Commune inservervimus, , habuimus tamen & habemus numerosiora in publico Regni Thesauro ad communem tam Reipublicæ quam subditorum nostrorum statum feliciter dirigendum & instituendum, ac tutelam pertinentia. Verum quia presentia plus alijs perpendimus, majoris efficaciæ esse, idcirco per hac finem damus ejusmodi processus laborque nostro. Et nihilominus sicut inter privilegia certas summorum pontificum bullas tam errores & nonnullas constitutionum legalium exorbitantias tanquam contra pietatem & salutem animarum militantes, quam fragilitatis humanæ excessus corrigentes, per præfatum Joannem de Lasko Regni nostri Cancellarium scribi, sic etiam constitutiones juris civilis, Saxonici, Maydenburgensis, quarum ipse Cancellarius ante proœmium Privilegii communis meminit, quam vigilantissime de eorum Theutonico stylo originalibus libris per eum ipsum Cancellarium castigatas, emendatas & novis rubricis distincte titulatas inseri jussimus eas ipsas, siquidem juris Civilis constitutiones nusquam correctas & in suis sententijs integras, immo in toto earum tenore vitiatas & a suis originalibus longe vagantes invenimus. Postremo vero summam doctissimi Raymundi Parthenopei, quæ omnia vidimus per nullos prudentes subditos nostros pro singulari eruditione, & suorum subditorum gubernacula conducibilia esse. Et quod eorum practica communiter fit in certis Regni nostri locis Jus Maydeburgense ac Theutonicum habentibus. Ideo nos ea a privato illorum usu sumentes ad communem universorum subditorum nostrorum cognitionem eruditionemque per hac scripta legavimus & tradidimus. Primum vero posumus librum, qui a nonnullis titulatur Ottonis Cæsaris Russi: deinde alios Provincialis & Feudalis jurium libros, qui divorum Caroli & Constantini Imperatorum constitutionibus ascribuntur, sic ut legentibus patebunt singulariter inserti & inserta.

JOHANNES DE LASKO REGNI POLONIÆ CANCELLARIUS IN PRÆFAT. IN PRIVILEGIUM CONSTITUTIONUM REGNI POLONIÆ, &c.

ALiquas etiam Leges externas in privilegiis Apostolicis ordinariis Ecclesiasticis & Imperialibus, ad optimos tamen Chranonne. mores scriptas, & nonnullas pro aliis provinciis editas, ut sunt Leges civiles sive Juris Maydemburgensis. Quod quidem Jus Maydemburgense, etsi Imperiali Majestate Ottonis Russi Cæsaris constitutum fuerit, tamen quia illud Serenissimus olim Kazimirus Magnus fatetur, ad utilitatem & profectum regnicolarum Reges Poloniæ acceptasse, illudque reposuisse in thezauro Regni communi, ut de hoc privilegium Juris supremi Castri Cracovienſis perstringit. Cujus juris ac legum Civilium in oppidis & villis Regni Poloniæ Jus Civile habentibus sit practica & observatio. Idcirco in nata ejusdem Serenissimi Principis ac Domini Alexandri Regis gratiosissimi pietas, intelligens jura ipsa atque leges Reipub. quam communiæ privatæ cujuslibet justitiæ, utiles & pernecessarias, decrevit eas ordine infrascripto colligere, &c.

CONSUE-

CONSVETUDINES VETERUM GALLORUM

Germanorumque in moribus & institutis generalibus: conscriptæ à C. IULIO CÆSARE Lib. VI. de Bello Gallico.

Cæsaris verba: *Non alienum videtur de Galliæ Germaniæque moribus, & quo differant hæ nationes inter se, proponere.*

PARS I.

DE MORIBUS GALLORUM.

TITULUS I.

De Statu Reipublicæ.

IN Gallia non solum in omnibus civitatibus, atque in omnibus pagis partibusque, sed pene etiam in singulis domibus factiones sunt: earumque factionum principes sunt, qui summam authoritatem eorũ judicio habere existimantur. quorum ad arbitrium judiciumque summa omnium rerum consiliorumque redeat.

2. Idque ejus rei causa antiquitus institutum videtur, ne quis ex plebe contra potentiorem auxilii egeret. Suos enim quisque opprimi & circumveniri non patitur: neq;, aliter si faciat, ullam inter suos habet authoritatem.

3. Hæc eadem ratio est in summa totius Galliæ. Namque omnes civitates in partes divisæ sunt duas.

4. Qui populus tantum potentia anteceſſit, ut finitimos agros per vim occupatos possideret, Galliæque totius principatum obtineret, is magnam partem clientium ab aliis ad se traducit, obsidesque ab his Principum filios accipit, & publice jurare cogit, nihil se contra eum consilii inituros.

5. Qui Principatus iterum dimitti cogitur, si clientes sese gravari sentiant. qui sese ad ejus amicitiam aggravant, apud quem meliore conditione, atque æquiore imperio se uti vident.

6. Tum qui ante imperaverat, se novo Principatui in clientelam dat. Hunc ille diligenter tuetur.

TIT. II.

De Statu Hominum.

1. In omni Gallia, eorum hominum, qui aliquo sunt numero atque honore, genera sunt duo.

2. Nam plebs pene servorum habetur loco, quæ nihil audet per se, nulli adhibetur consilio.

3. Plerique cum aut ære alieno, aut magnitudine tributorum, aut injuria potentiorum premuntur, sese in servitutem dicant Nobilibus. In hos eadem omnia sunt jura, quæ dominis in servos.

4. Sed de his duobus generibus, alterum est Druidum, alterum est Equitum.

TIT. III.

De Druidum sive Sacerdotum disciplina & officio.

1. Druides rebus divinis interſunt, sacrificia publica ac privata procurant, religiones interpretantur.

2. Ad hos magnus adolescentium numerus disciplinæ causa concurrit, magnoque hi sunt apud eos honore.

3. Nam fere de omnibus controversiis publicis privatisque constituunt. & si quod est admissum facinus, si cædes facta, si de hereditate, de finibus controversia est, iidem decernunt, præmia pœnasq; constituunt.

4. Si quis aut privatus aut publicus eorum decreto non steterit, sacrificiis interdicunt. Hæc pœna apud eos est gravissima. Quibus ita est interdictũ, ii numero impiorum ac sceleratorum habentur:

tur: iis omnes decedunt: aditum sermonemque desugiunt, ne quid ex contagione incommodi accipiant: neque iis petentibus jus redditur, neque honos ullus communicatur.

5. His autem omnibus Druidibus præest unus, qui summam inter eos habet authoritatem. Hoc mortuo, si quis ex reliquis excellit dignitate, succedit: aut si sunt plures pares, suffragio Druidum allegitur. nonnunquam etiam armis *a* de principatu contendunt.

a quasi imitantur nostri Papa & Episcopi.

6. Hi certo anni tempore in finibus Carnutum, quæ regio totius Galliæ media habetur, considunt in loco consecrato, huc omnes undique, qui controversias habent, conveniunt, eorumque decretis judiciisque parent.

7. Disciplina in Britannia reperta, atque inde in Galliam translata esse existimatur. Et nunc, qui diligentius eam rem cognoscere volunt, plerunque illo discendi causa proficiscuntur.

8. Druides bello abesse consueverunt, neque tributa una cum reliquis pendunt. militiæ vacationem, omniumque rerum habent immunitatem. Tantis excitati præmiis, & sua sponte multi in disciplinam conveniunt, & à parentibus propinquisque mittuntur.

b. Rithmorum.

9. Magnum ibi numerum *b* versuum ediscere dicuntur. Itaque annos nonnulli vicenos in disciplina permanent. neque fas esse existimant ea literis mandare, cum in reliquis fere rebus, publicis privatisque rationibus, Græcis literis utantur. Id mihi duabus de causis instituisse videntur: quod neque in vulgum disciplinam efferri velint: neque eos, qui discunt, literis confisos, minus memoriæ studere: quod fere plerisque accidit, ut præsidio literarum diligentiam in perdiscendo ac memoriam remittant.

10. In primis hoc volunt persuadere, non interire animas, sed ab aliis post mortem transire ad alios. atque hoc maxime ad virtutem excitari putant, metu mortis neglecto.

11. Multa præterea de sideribus, atque eorum motu; de mundi ac terrarum magnitudine; de rerum natura; de Deorum immortalium vi ac potestate disputant, & juventuti tradunt.

TIT. IV.

De Equitum seu Procerum instituto.

1. Alterum genus est Equitum. Hi, cum est usus, atque aliquod bellum incidit, omnes in bello versantur; atque eorum, ut quisque est genere copiisque amplissimus, ita plurimos circum se *c* ambactos clientesque habet. Hanc unam gratiam potentiamque noverunt.

c. Ampten sive Ampteus, id est, Officiales.

TIT. V.

De religionibus & sacrificiis.

1. Natio est omnium Gallorum admodum dedita religionibus, atque ob eam causam, qui sunt affecti gravioribus morbis, quique in prœliis periculisque versantur, aut pro victimis homines immolant, aut se immolaturos vovent: administrisque ad ea sacrificia Druidibus utuntur: quod pro vita hominis, nisi vita hominis reddatur, non posse Deorum immortalium numen placari arbitrantur. publiceque ejusdem generis habent instituta sacrificia.

2. Alii immani magnitudine simulacra habent, quorum contexta viminibus membra vivis hominibus complent; quibus succensis circumventi flamma exanimantur homines.

3. Supplicia eorum, qui in furto, aut latrocinio, aut in aliqua noxa sint comprehensi, gratiora Diis immortalibus esse arbitrantur; sed cum ejus generis copia deficit, etiam ad innocentium supplicia descendunt.

TIT. VI.

De Diis, & eorum cultu.

1. Deum maxime Mercurium colunt. huius sunt plurima simulacra. Hunc omnium inventorem artium ferunt: hunc viarum atque itinerum ducem: hunc ad quæstus pecuniæ mercaturasque habere vim maximam arbitrantur.

2. Post hunc Apollinem, & Martem, & Jovem, & Minervam. De his eandem fere, quam reliquæ gentes, habent opinionem: Apollinem morbos depellere; Minervam operum atque artificiorum initia tradere; Jovem imperium Cœlestium tenere; Martem bella gerere.

3. Huic, cum prœlio dimicare constituerunt, ea, quæ bello ceperint, plerunque devovent: quæ superaverint animalia capta immolant, reliquasque res in unum locum conferunt. Multis in civitatibus harum rerum extructos cumulos locis consecratis conspicari licet. namque sæpe accidit, ut neglecta quispiam religione aut capta apud se occultare, aut posita tollere auderet: gravissimumque ei rei supplicium cum cruciatu constitutum est.

TIT. VII.

De temporum observatione.

1. Galli se omnes à Dite Patre prognatos prædicant: idque à Druidibus proditum dicunt.

2. Ob eam causam spatia omnis temporis, non numero dierum, sed noctium definiunt. & dies natales, & mensium, & annorum initia sic observant, ut noctem dies subsequatur.

TIT. VIII.

De liberorum educatione.

1. In reliquis vitæ institutis hoc fere à reliquis differunt, quod suos liberos, nisi cum adoleverint, ut munus militiæ sustinere possint, palamque ad se adire non patiuntur.

2. Filiumque puerili ætate in publico in conſpectu patris, aſſiſtere, turpe ducunt.

TIT. IX.

De jure dotium, & matrimonij.

1. Viri, quantas pecunias ab uxoribus dotis nomine acceperunt, tantas ex ſuis bonis æſtimatione facta cum dotibus communicant.

2. Huius omnis pecuniæ conjunctim ratio habetur, fructusque ſervantur.

3. Uter eorum vita ſuperarit, ad eum pars utriusque, cum fructibus ſuperiorum temporum, pervenit.

4. Viriin uxores, ſicut in liberos, vitæ necisque habent poteſtatem.

5. Et cum paterfamilias illuſtriore loco natus deceſſit, eius propinqui conveniunt, & de morte, ſi res in ſuſpicionem venit, de uxoribus in ſervilem modum quæſtionem habent. & ſi compertum eſt, igni atque omnibus tormentis excruciatas interficiunt.

TIT. X.

De cultu funerum.

1. Funera ſunt pro cultu Gallorum magnifica, & ſumptuoſa. omniaque, quæ vivis cordi fuiſſe arbitrantur, in ignem inferunt, etiam animalia.

2. Ac paulo ſupra hanc memoriam ſervi & clientes, quos ab his dilectos eſſe conſtabat, juſtis funeribus confectis una cremabantur.

TIT. XI.

De rumoribus coercendis.

1. Quæ Civitates commodius ſuam Rempublicam adminiſtrare exiſtimantur, habent legibus ſancitum, ſi quis quid de Republica à finitimis rumore aut fama acceperit, uti ad Magiſtratum deferat, neve cum quo alio communicet: quod ſæpe homines temerarios atque imperitos falſis rumoribus terreri, & ad facinus impelli, & de ſummis rebus conſilium capere cognitum eſt.

2. Magiſtratus, quæ viſa ſunt, occultant; quæque eſſe ex uſu judicaverint, multitudini produnt.

TIT. XII.

De rebus publicis.

1. De Republica, niſi per Concilium, loqui non conceditur.

PARS II.

DE MORIBUS GERMANORUM.

TITULUS I.

De Druidibus, & eorum inſtituto.

1. Germani multum ab hac conſuetudine differunt.

2. Nam neque Druidas habent, qui rebus divinis præſint: neque ſacrificiis ſtudent.

TIT. II.

De cultu Deorum.

1. Deorum numero eos ſolos ducunt, quos cernunt, & quorum operibus aperte juvantur, Solem, & Vulcanum, & Lunam. reliquos ne fama quidem acceperunt.

TIT. III.

De ſtudio rei militaris.

1. Vita omnis in venationibus, atque in ſtudiis rei militaris conſiſtit.

2. A parvulis labori ac duritiæ ſtudent.

TIT. IV.

De continentia impuberum & ætate conjugii.

1. Qui diutiſſime impuberes permanſerunt, maximam inter ſuos ferunt laudem. Hoc aliſtaturam, ali vires, nervosque confirmari putant.

2. Intra annum vero vigeſimum feminæ notitiam habuiſſe, in turpiſſimis habent rebus. cui rei nulla eſt occultatio, quod & promiſcue in fluminibus perluuntur, & pellibus aut paruis rhenonum regumentis utuntur, magna corporis parte nuda.

TIT. V.

De cultu agrorum; & de poſſeſſionibus.

1. Agriculturæ non ſtudent. majorque pars victus eorum in lacte, caſeo, carne conſiſtit.

2. Neque quisquam agri modum certum, aut fines habet proprios; ſed Magiſtratus ac Principes in annos ſingulos gentibus cognationibusque hominum, qui una coierunt, quantum eis & quo loco viſum eſt, attribuunt agri, atque anno poſt alio tranſire cogunt.

3. Ejus rei multas afferunt cauſas: ne aſſidua conſuetudine capti, ſtudium belli gerendi agricultura commutent: ne latos fines parare ſtudeant, potentioresque humiliores poſſeſſionibus expellant: ne accuratius ad frigora atque æſtus vitandos ædificent: neque oriatur pecuniæ cupiditas, qua

ex re factiones dissensionesque nascuntur: ut animi æquitate plebem contineant, cum suas quisque opes æquarium potentissimis posse videat.

TIT. VI.
De Civitatum instituto adversus subitas incursiones.

1. Civitatibus maxima laus est, quam latissimas circum se vastatis finibus solitudines habere. Hoc proprium virtutis existimant, expulsos agris finitimos cedere, neque quemquam prope audere consistere. Simul hoc se fore tutiores arbitrantur, repentinæ incursionis timore sublato.

TIT. VII.
De jure Magistratuum in bello & pace.

1. Cum bellum Civitas aut illatum defendit, aut infert, Magistratus, qui ei bello præsint, ut vitæ necisque habeant potestatem, deliguntur.

2. In pace nullus est communis Magistratus, sed Principes regionum atque pagorum inter suos jus dicunt, controversiasque minuunt.

TIT. VIII.
De Latrociniis & Rapinis.

1. Latrocinia nullam habent infamiam, quæ extra fines cujusque civitatis fiunt: atque ea juventutis exercendæ, ac desidiæ minuendæ causa fieri prædicant.

2. Atque ubi quis ex Principibus in concilio se dixit ducem fore, qui sequi velint, profitean-tur: consurgunt ii, qui & causam & hominem probant, suumque auxilium pollicentur, atque à multitudine collaudantur. Qui ex his secuti non sunt, in desertorum ac proditorum numero ducuntur: omniumque his rerum postea fides derogatur.

TIT. IX.
De jure hospitalitatis.

1. Hospitem violare fas non putant.

2. Qui quacunque de causa ad eos venerunt, injuria prohibent, sanctosque habent: hisque omnium domus patent, victusque communicatur.

STRABO Lib. VI. Geographiæ.

Quales diximus Gallos esse, superioribus temporibus tales eos fuisse intelligimus, ex Germanorum adhuc durantibus consuetudinibus. Nam & natura, & vitæ institutis gentes hæ invicem similes sunt & cognatæ, confinem habitantes regionem, Rheno divisam, & pleraque inter se similia habentem.

CONSVE-

CONSVETUDINES VETERUM GERMANORUM

in moribus & institutis generalibus: conscriptæ à C. CORNELIO TACITO in Lib. de Moribus Germanorum.

Tacitus de Germania: Plus ibi boni mores valent, quam alibi bonæ leges.

TITULUS I.

De Mercatura.

ARGENTEA vasa, Legatis & Principibus muneri data, non in alia vilitate, quem quæ humo finguntur: quamquam proximi Romanis ob usum commerciorum aurum & argentum in pretio habent, formasque quasdam pecuniæ Romanæ agnoscunt, atque eligunt: interiores simplicius & antiquius permutatione utuntur.

TIT. II.

De moneta.

1. Pecuniam probant veterem & diu notam, Serratos Bigatosque.

2. Argentum quoque magis, quam aurum, sequuntur, nulla affectione animi, sed quia numerus argenteorum faciliori usui est promiscua ac vilia mercandi.

TIT. III.

De armis.

1. Rari gladiis, aut majoribus lanceis utuntur. hastas, vel ipsorum vocabulo frameas gerunt, angusto & brevi ferro, sed ita acri & ad usum habili, ut eodem telo, prout ratio poscit, vel cominus vel eminus pugnent.

2. Et eques quidem scuto frameaque contentus est. pedites & missilia spargunt, pluraque singuli, atque in immensum vibrant, nudi aut sagulo leves.

3. Nulla cultus jactatio: scuta tantum lectissimis coloribus distinguunt.

4. Paucis loricæ: vix uni alterive cassis, aut galea.

TIT. IV.

De re militari.

1. Equi non forma, non velocitate conspicui.

2. Sed nec variare gyros in morem Romanum docentur. In rectum aut uno flexu dextros agunt, ita conjuncto orbe, ut nemo posterior sit.

3. In universum æstimanti, plus penes peditem roboris: eoque mixti prœliantur, apta & congruente ad equestrem pugnam velocitate peditum, quos ex omni juventute delectos ante aciem locant.

4. Definitur & numerus. centeni ex singulis pagis præsunt: idque ipsum inter suos vocantur: & quod primo numerus fuit, jam nomen & honor est.

5. Acies per cuneos componitur.

6. Cedere loco, dummodo rursus instes, consilii quam formidinis arbitrantur.

7. Corpora suorum etiam in dubiis prœliis referunt.

8. Scutum reliquisse præcipuum flagitium. nec aut sacris adesse, aut concilium inire ignominioso fas est. multique superstites bellorum, infamiam laqueo finierunt.

TIT. V.

De Regibus, Ducibus, &c. eorumq; potestate.

1. Reges ex nobilitate, Duces ex virtute sumunt.

 2. Nec

2. Nec Regibus infinita aut libera potestas; & Duces exemplo potius quam imperio, si prompti, si conspicui, si ante aciem agant, admiratione sunt.

TIT. VI.

De Sacerdotum militarium officio.

1. Neque animadvertere, neque vincire, neque verberare quidem, nisi Sacerdotibus, permissum: non quasi in pœnam, nec Ducis jussu, sed velut Deo imperante, quem adesse bellantibus credunt.

2. Effigiesque, & signa quædam detracta lucis in prœlium ferunt.

TIT. VII.

De jure militari.

1. Quod præcipuum fortitudinis incitamentum est, non casus, nec fortuita conglobatio turmam aut cuneum facit, sed familiæ & propinquitates. & in proximo pignora: unde feminarum ululatus audiri, unde vagitus infantium. hi cuique sanctissimi testes, hi maximi laudatores.

2. Ad matres, ad conjuges vulnera ferunt: nec illæ numerare, aut exsugere plagas pavent. Cibosque & hortamina pugnantibus gestant.

3. Acies inclinatas jam & labantes feminæ restituunt, constantia precum, & objectu pectorum, & monstrata cominus captivitate.

4 Captivitatem longe impatientius feminarum suarum nomine timent.

5. Efficacius obligantur animi civitatum, quibus inter obsides puellæ quoque nobiles imperantur.

TIT. VIII.

De mulicbri imperio.

1. Inesse feminis sanctum aliquid & improvidum putant: nec aut consilia earum aspernantur, aut responsa negligunt.

2. Feminas sapientia præditas venerant, non adulatione, nec tamquam faciant Deas.

TIT. IX.

De Diis, eorumq; religione.

1. Deorum maxime Mercurium colunt, cui certis diebus, humanis quoque hostiis litare fas habent.

2. Herculem ac Martem concessis animalibus placant.

3. Pars Suevorum & Isidi sacrificat.

4. Nec cohibere parietibus Deos, neque in ullam humani oris speciem assimilare, & magnitudine cœlestium arbitrantur.

5. Lucos ac nemora consecrant, Deorumque nominibus appellant secretum illud, quod sola reverentia vident.

TIT. X.

De sortibus & auspiciis.

1. Auspicia sortesque ut qui maxime observant.

2. Sortium consuetudo simplex. virgam frugiferæ arbori decisam, in surculos amputant, eosque notis quibusdam discretos super candidam vestem temere ac fortuito spargunt: mox si publice consulatur, Sacerdos civitatis; sin privatim, ipse paterfamiliæ precatus Deos, cœlumque suspiciens, ter singulos tollit, sublatos secundum impressam ante notam interpretatur. Si prohibuerunt; nulla de eadem re in eundem diem consultatio: sin permissum; auspiciorum adhuc fides exigitur.

3. Et illud quidem etiam hic notum, avium voces, volatusque interrogare.

4. Proprium gentis, equorum præsagia ac monitus experiri. public e aluntur iisdem nemoribus ac lucis, candidi & nullo mortali opere contacti, quos presso sacro curru Sacerdos, ac Rex vel Princeps civitatis comitantur, hinnitusque ac fremitus observant. Nec ulli auspicio major fides non solum apud plebem, sed apud Proceres, apud Sacerdotes. Se enim ministros Deorum, illos conscios putant.

5. Est & alia observatio auspiciorum, qua gravium bellorum eventus explorant. Ejus gentis, cum qua bellum est, captivum quoquo modo interceptum, cum electo popularium suorum, patriis quemque armis committunt. victoria huius vel illius, pro præjudicio accipitur.

TIT. XI.

De judiciis & Consultationibus Comitialibus.

1. De minoribus rebus Principes consultant, de majoribus omnes. ita tamen, ut ea quoque, quorum penes plebem arbitrium est, apud Principes pertractentur.

2. Coeunt, nisi quid fortuitum & subitum inciderit, certis diebus, cum aut inchoatur luna aut impletur. nam agendis rebus hoc auspicatissimum initium credunt.

3. Nec dierum numerum, ut Romani, sed noctium computant. sic constituunt, sic condicunt. nox ducere diem videtur.

4. Illud

4. Illud ex libertate vitium, quod non simul, nec jussi conveniunt, sed & alter, & tertius dies contatione cocuntium absumitur.

5. Ut torbæ placuit, considunt armati.

6. Silentium per Sacerdotes, quibus tum & coercendi jus est, imperatur.

7. Mox Rex vel Princeps, prout ætas cuique, prout nobilitas, prout decus bellorum, prout facundia est, audiuntur, auctoritate suadendi magis quam jubendi potestate. Si displicuit sententia, fremitu aspernantur: sin placuit, frameas concutiunt. honoratissimum assensus genus est, armis laudare.

8. Licet apud Concilium accusare quoque, & discrimen capitis intendere.

TIT. XII.

De pœnarum judicialium discriminibus.

1. Distinctio pœnarum ex delicto.

2. Proditores & transfugas arboribus suspendunt.

3. Ignavos, & imbelles, & corpore infames, cœno ac palude, injecta insuper crate, mergunt.

4. Diversitas supplicii illuc respicit, tamquam scelera ostendi oporteat, dum puniuntur, flagitia abscondi.

5. Sed & levioribus delictis pro modo pœnarum, equorum pecorumque numero convicti multantur.

6. Pars multæ Regi vel Civitati, pars ipsi, qui vindicatur, vel propinquis ejus exsolvitur.

TIT. XIII.

De Principum & Comitum electione.

1. Eliguntur in iisdem conciliis & Principes, qui jura per pagos vicosque reddunt.

2. Centeni singulis ex plebe Comites, consilium simul, & auctoritas adsunt.

TIT. XIV.

Quomodo adolescentibus arma sumenda.

1. Nihil neque privatæ rei, nisi armati, agunt.

2. Sed arma sumere non ante cuiquam moris, quam civitas suffecturam probaverit. Tum in ipso concilio vel Principum aliquis, vel pater, vel propinquus scuto frameaque juvenem ornant. hæc apud illos toga, hic primus juventæ honos: ante hoc domus pars videntur, mox Reipublicæ.

TIT. XV.

De Comitum ordinibus, & studio.

1. Insignis nobilitas, aut magna patrum merita, Principis dignationem etiam adolescentulis assignant.

2. Ceteris robustioribus ac jampridem probatis aggregantur, nec rubor inter Comites aspici.

3. Gradus quin etiam & ipse Comitatus habet, judicio ejus quem sectantur.

4. Magnaque & Comitum æmulatio, quibus primus apud Principem suum locus: & Principum, cui plurimi & acerrimi Comites.

5. Hæc dignitas, hæ vires, magno semper electorum juvenum globo circumdari, in pace decus, in bello præsidium.

6. Nec solum in sua gente cuique, sed apud finitimas quoque civitates id nomen, ea gloria est, si numero ac virtute Comitatus emineat. expetuntur enim legationibus, & muneribus ornantur, & ipsa plerumque fama bella profligant.

7. Cum ventum in aciem, turpe Principi virtute vinci; turpe Comitatui, virtutem Principis non adæquare.

8. Jam vero infame in omnem vitam ac probrosum, superstitem Principi suo ex acie recessisse. Illum defendere, tueri, sua quoque fortia facta gloriæ ejus assignare, præcipuum sacramentum est; Principes pro victoria pugnant; Comites pro Principe.

TIT. XVI.

De otio vitando, & exercitiis bellicis.

1. Si civitas, in qua orti sunt, longa pace & otio torpeat; plerique nobilium adolescentium petunt ultro eas nationes, quæ tum bellum aliquod gerunt. quia & ingrata genti quies, & facilius inter anfractus clarescunt, magnumque Comitatum non nisi vi belloque tueantur. Exigunt enim Principis sui liberalitate illum bellatorem equum, illam cruentam victricemque frameam.

2. Nam epulæ, & quamquam incompti, largi tamen apparatus, pro stipendio cedunt.

3. Materiæ munificentiæ per bella & raptus.

4. Nec arare terram, aut exspectare annum, tam facile persuaseris, quam vocare hostes, & vulnera mereri. Pigrum quinimmo & iners videtur, sudore acquirere, quod possis sanguine parare.

5. Quotiens bella non ineunt, multum venatibus, plus per otium transigunt, dediti somno ciboque.

6. Fortissimus quisque ac bellicosissimus nihil agens, de legata domus & penatium & agrorum cura feminis senibusque, & infirmissimo cuique ex familia: ipsi habent.

TIT. XVII.

De tributis & collationibus in Principe.

Mos est civitatibus ultro ac viritim conferre principibus vel armentorum, vel frugum, quod pro honore acceptum, etiam necessitatibus subvenit.

TIT. XVIII.

De muneribus honorariis populorum vicinorum.

Gaudent præcipue finitimarum gentium donis, quæ non modo à singulis, sed publice mittuntur: electi equi, magna arma, phaleræ, torquesque.

TIT. XIX.

De urbium, vicorum & domuum exstructionibus.

1. Nullæ Germanorum populis urbes habitantur: nec patiuntur quidem inter se junctas sedes.

2. Colunt discreti ac diversi, ut fons, ut campus, ut nemus placuit.

3. Vicos locant, non in Romanum morem, connexis & cohærentibus ædificiis: suam quisque domum spatio circumdat, sive adversus casus ignis remedium, sive insciti ædificandi.

4. Nec cæmentorum quidem apud illos aut tegularum usus. Materia ad omnia utuntur informi, & citra speciem aut delectationem.

5. Quædam loca diligentius illinunt terra ita pura ac splendente, ut picturam ac lineamenta colorum imitetur.

6. Solent & subterraneos specus aperire, eosque multo insuper fimo onerant, suffugium hiemi & receptaculum frugibus: quia rigorem frigorum ejusmodi locis molliunt: & si quando hostis advenit, aperta populatur, abdita autem & defossa, aut ignorantur, aut eo ipso fallunt, quod quærenda sunt.

TIT. XX.

De vestitu.

1. Tegumen omnibus sagum, fibula, aut, ú desit, spina consertum. Cetera intecti, totos dies juxta focum atque ignem agunt.

2. Locupletissimi veste distinguuntur, non fluitante, sicut Sarmatæ ac Parthi, sed stricta & singulos artus exprimente.

3. Gerunt & ferarum pelles, proximi ripæ negligenter, ulteriores exquisitius, ut quibus nullus per commercia cultus.

4. Eligunt feras, & detracta velamina spargunt maculis, pellibusque belluarum, quas exterior Oceanus, atque ignotum mare gignit.

5. Nec alius feminis quam viris habitus, nisi quod feminæ sæpius lineis amictibus velantur, eosque purpura variant, partemque vestitus superioris in manicas non extendunt, nudæ brachia ac lacertos. Sed proxima pars pectoris patet.

TIT. XXI.

De religione matrimonii, & sponsis ac dotibus.

1. Quamquam severa illis matrimonia. Nam prope soli singulis uxoribus contenti sunt, exceptis admodum paucis, qui non libidine, sed ob nobilitatem plurimis nuptiis ambiuntur.

2. Dotem non uxor marito, sed uxori maritus offert.

3. Intersunt parentes & propinqui, ac munera probant: munera non ad delicias muliebres quæsita, nec quibus nova nupta comatur, sed boves & frenatum equum, & scutum cum framea, gladioque. In hæc munera uxor accipitur. atque invicem ipsa armorum aliquid viro affert. hoc maximum vinculum, hæc arcana sacra, hos conjugales Deos arbitrantur. Ne se mulier extra virtutum cogitationes, extraque bellorum casus putet, ipsis incipientis matrimonii auspiciis admonetur, venire se laborum periculorumque sociam, idem in pace, idem in prœlio passuram ausuramque. hoc juncti boves, hoc paratus equus, hoc data arma denuntiant. sic vivendum, sic pereundum. acciperе se, quæ liberis inviolata, ac digna reddat, quæ nutus accipiat, rursusque ad nepotes referant.

4. Ergo septa pudicitia agunt, nullis spectaculorum illecebris, nullis conviviorum irritationibus corruptæ.

TIT. XXII.

De studiis liberalibus.

1. Litterarum secreta viri pariter ac feminæ ignorant.

TIT. XXIII.

De adulteriorum pœna, & digamia.

1. Adulteriorum pœna præsens, & maritis permissa.

2. Accisi-

2. Acciſis crinibus nudatam coram propinquis expellit domo maritus, ac per omnem vicum verbere agit.

3. Publicatæ etiam pudicitiæ nulla venia. non forma, non ætate, non opibus maritum invenerit. Nemo enim illic vitia ridet; nec corrumpere, & corrumpi, ſæculum vocatur.

4. Melius quidem adhuc cæcivitates, in quibus tantum virgines nubunt, & cum ſpe votoque uxoris ſemel tranſigitur. Sic unum accipiunt maritum, quo modo unum corpus, unamque vitam; ne ulla cogitatio ultra, ne longior cupiditas, ne tamquam * maritum, ſed tamquam matrimonium amant. *al. meritum.*

TIT. XXIV.

De liberorum educatione.

1. Numerum liberorum finire, aut quempiam exagnatis necare, flagitium habetur.

2. In omni domo nudi ac ſordidi, in hos artus, in hæc corpora, quæ miranturRomani, excreſcũt.

3. Sua quemque mater uberibus alit, nec anciſſis ac nutricibus delegantur.

4. Dominum ac ſervum nullis educationis deliciis dignoſcas.

5. Inter eadem pecora, in eadem humo degunt, donec ætas ſeparet ingenuos, virtus agnoſcat.

6. Sera juvenum Venus, eoque inexhauſta paubertas. nec virgines feſtinantur. eadem juventa, ſimilis proceritas: pares validique miſcentur, ac robora parentum liberi referunt.

7. Sororum filiis idem apud avunculum, qui apud *a* patrem, honor. Quidam ſanctiorem ar- *a for. pa-*
ctioremque hunc nexum ſanguinis arbitrantur, & in accipiendis obſidibus magis exigunt, tamquam *truum,*
ij & animum firmius & domum latius teneant.

TIT. XXV.

De heredibus & ſucceſſoribus.

1. Heredes ſucceſſoresque ſui cuique liberi: & nullum teſtamentum.

2. Si liberi non ſunt, proximus gradus in poſſeſſione, fratres, patrui, avunculi.

3. Quanto plus propinquorum, quo major affinium numerus, tanto gratioſior ſenectus. nec ulla orbitatis pretia.

TIT. XXV.

De inimicitiarum & homicidii expiatione, & mulctatione.

1. Suſcipere tam inimicitias ſeu patris, ſeu propinqui, quam amicitias neceſſe eſt. Nec implacabiles durant. Luitur enim etiam homicidium certo armentorum ac pecorum numero, recipitque ſatisfactionem univerſa domus; utiliter in publicum, quia periculoſiores ſunt inimicitiæ juxta libertatem.

TIT. XXVI.

De hoſpitalitate.

1. Convictibus & hoſpitiis non alia gens effuſius indulget.

2. Quemcunque mortalium arcere tecto, nefas habetur. pro fortuna quisque apparatis epulis excipit. Cum defecerit, qui modo hoſpes fuerat, monſtrator hoſpitii & comes, proximam domum non invitati adeunt, nec intereſt: pari humanitate accipiuntur.

3. Notum ignotumque, quantum ad jus hoſpitii, nemo diſcernit. Abeunti, ſi quid poposcerit, concedere moris: & poſcendi invicem eadem facilitas.

4. Gaudent muneribus: ſed nec data imputant, nec acceptis obligantur.

5. Victus inter hoſpites comis.

6. Statim è ſomno, quem plerumque in diem extrahunt, lavantur; ſæpius calida, ut apud quos plurimum hiems occupat.

7. Lauti, cibum capiunt. ſeparata ſingulis ſedes, & ſua cuique menſa.

TIT. XXVII.

De armis portandis.

1. Ad negotia, nec minus ſæpe ad convivia, proceduntarmati.

TIT. XXVIII.

De conviviis: & deliberationibus.

1. Diem noctemque continuare potando, nulli probrum.

2. Crebræ, ut inter vinolentos, rixæ raro convitiis, ſæpius cædeb & vulneribus tranſiguntur.

3. Sed & de reconciliandis invicem inimicis, & jungendis affinitatibus, & adſciſcendis Principibus, de pace denique ac bello plerumque in conviviis conſultant: tamquam nullo magis tempore aut ad ſimplices cogitationes pateat animus, aut ad magnas incaleſcat. Aperiunt adhuc ſecreta pectoris, licentia loci.

4. Ergo detecta & nuda omnium mens, poſtero die retractatur: & ſalva utriusque temporis ratio eſt. Deliberant, dum fingere neſciunt: conſtituunt, dum errare non poſſunt.

TIT.

TIT. XXIX.

De victu & potu.

1. Potui humor ex hordeo aut frumento, in quandam similitudinem vini corruptus. Proximi ripæ & vinum mercantur.

2. Cibi simplices, agrestia poma, recens fera, aut lac concretum.

3. Sine apparatu, sine blandimentis expellunt famem.

4. Adversus sitim non eadem temperantia. Si indulseris ebrietati, suggerendo quantum concupiscunt, haud minus facile vitiis, quam armis vincentur.

TIT. XXX.

De spectaculis & ludis.

1. Genus spectaculorum unum atque in omni cœtu idem. Nudi juvenes, quibus id ludicrum est, inter gladios se atque infestas frameas saltu jaciunt. Exercitatio artem paravit, ars decorem: non in quæstum tamen aut mercedem, quamvis audacis lasciviæ pretium est, voluptas spectantium.

2. Aleam sobrij inter seria exercent, tanta lucrandi perdendive temeritate, ut cum omnia defecerunt, extremo ac noviſſimo jactu de libertate & de corpore contendant.

TIT. XXXI.

De servis.

1. Victus eo modo voluntariam servitutem adit. Quamvis junior, quamvis robustior, alligari se ac vænire patitur. Ea est in re prava pervicacia: ipsi fidem vocant.

2. Servos conditionis hujus per commercia tradunt, ut se quoque pudore victoriæ exsolvant.

3. Cæteris servis, non in nostrum morem descriptis per familiam ministeriis, utuntur. Suam quisque sedem, suos penates regit.

4. Frumenti modum dominus, aut pecoris, aut vestis, ut colono injungit: & servus hactenus paret. Cætera domus officia, uxor ac liberi exsequuntur.

5. Verberare servum, ac vinculis & opere coercere, rarum.

6. Occidere solent, non disciplina & severitate, sed impetu & ira, ut inimicum, nisi quod impune.

TIT. XXXII.

De libertis.

1. Liberti non multum supra servos sunt, raro aliquod momentum in domo, numquam in civitate, exceptis dumtaxat iis gentibus, quæ regnantur. ibi enim & super ingenuos, & super nobiles ascendunt.

2. Apud cæteros, impares libertini libertatis argumentum sunt.

TIT. XXXIII.

De usura.

1. Fœnus agitare, & in usuras extendere, ignotum: ideoque magis servatur, quam si vetitum esset.

TIT. XXXIV.

De agrorum cultu; & dispositione anni.

1. Agri pro numero cultorum ab universis per vices occupantur, quos mox inter se secundum dignationem partiuntur. facilitatem partiendi, camporum spatia præstant.

2. Arva per annos mutant, & superest ager. nec enim cum ubertate & amplitudine soli labore contendunt, ut pomaria conserant, & prata sepiant, & hortos rigent. sola terræ seges imperatur.

3. Unde annum quoque ipsum non in totidem digerunt species. Hiems, & ver, & æstas intellectum ac vocabula habent: autumni perinde nomen ac bona ignorantur.

TIT. XXXV.

De funeribus & sepultura.

1. Funerum nulla ambitio. Id solum observatur, ut corpora clarorum virorum certis lignis crementur.

2. Struem rogi, nec vestibus, nec odoribus cumulant.

3. Sua cuique arma, quorundam igni & equus adiicitur.

4. Sepulchrum cespes erigit.

5. Monumentorum arduum & operosum honorem, ut gravem defunctis, aspernantur.

6. Lamenta ac lachrymas cito, dolorem & tristitiam tarde ponunt.

7. Fœminis lugere honestum est: viris meminisse.

Hæc in commune, de omnium Germanorum moribus accepimus.

LOM-

LOMBARDA

Sive

LEGES LONGOBARDORUM PER IMPERATORES

ac Reges Romanos latæ & sancitæ, atque in unum corpus congestæ à PETRO DIACONO CASSINENSI, S. Rom. Imperii per Italiam Logotheta, Exceptore, Cartulario & Capellano.

Anno Christi 1140.

LIBER PRIMUS INCIPIT.

TIT. I.

De maleficiis & publicis criminibus.

REX ROTHARIS.

SI quis contra animam Regis cogitaverit, aut consiliatus fuerit, animæ suæ incurrat periculum, & res ejus infiscentur.

IDEM.

II. Si quis foris provinciam fugere tentaverit, mortis incurrat periculum, & res ejus infiscentur.

IDEM.

III. Si quis inimicum publicum intra provinciam invitaverit, aut introduxerit, animæ incurrat periculum, & res ejus fisco socientur.

IDEM.

IV. Si quis *a* Scameram intra provinciam celaverit aut annonam dederit, animæ suæ incurrat periculum, aut certe componat solidos DCCCC. Regi. *a l. Scaram.*

IDEM.

V. Si quis foris in exercitu seditionem levaverit contra Ducem suum, aut contra eum, qui ordinatus est à Rege ad exercitum gubernandum, aut aliquam partem exercitus seduxerit, animæ suæ incurrat periculum.

IDEM.

VI. Si quis contra inimicum pugnando collegam suum dimiserit, aut astalium fecerit, id est, si eum deceperit, & cum eo non laboraverit, animæ suæ incurrat periculum.

IDEM.

VII. Si quis qualemcunque hominem ad Regem accusaverit, quod ad animæ suæ pertineat periculum, liceat ei, qui accusatus fuerit, cum sacramento satisfacere, & se idoneare. Et si talis causa emerserit, ut adsit homo in præsentia, qui crimen mittit, liceat ei per campionem, id est, per pugnam, crimen ipsum desuper se (si potuerit) eiicere. Et si probatum fuerit ei, aut de anima sua, aut qualiter Regi placuerit, componat. Et si probare non potuerit, & cognoscitur dolose accusasse, tunc ipse, qui accusaverit, & probare non potuerit, guidrigilt suum componat, medietatem Regi, & medietatem ei, cui crimen injecerit.

TIT. II.

De scandalis & compositionibus ad Regem pertinentibus.

REX ROTHARIS.

I. Si quis in consilio, vel in quolibet conventu, scandalum commiserit, DCCCC. solid. sit culpabilis Regi.

IDEM.

II. Si quis in ecclesia scandalum perpetraverit, XL. solid. sit culpabilis, ipsi venerabili loco, ex- *b for Sculdaceptis plagis & feritis, cui fecerit. & prædicti XL. solidi per b* Scandasium suum aut Judicem, qui in *sium.* loco ordinatus fuerit, exigantur, & in sacro altari, ubi injuria facta fuerit, ponantur.

IDEM.

IDEM.

III. Si quis intra palatium, ubi præest Rex, scandalum perpetrare præsumpserit, animæ suæ incurrat periculum, aut animam suam redimat, si obtinere potuerit à Rege.

IDEM.

IV. Si quis liber homo in eadem civitate, ubi præest Rex, & tunc inveniatur esse, scandalum perpetrare præsumpserit; si incitaverit, & non percusserit, sit culpabilis in palatio Regis solid. XII. Nam si percusserit, sit culpabilis solidorum XXIV. exceptis plagis & feritis, si fecerit, sicut subter adnexum est, componat.

IDEM.

V. Si quis servus in eadem civitate, in qua Rex præest, scandalum incitaverit, & non percusserit, sit culpabilis in palatio Regis solid. VI. & si percusserit, sit culpabilis solid. XII. exceptis plagis & feritis, si fecerit, sicut subter adnexum est, componat.

IDEM.

VI. Si quis liber homo in alia civitate scandalum incitaverit, & non percusserit, sit culpabilis in palatio Regis solid. VI. & si percusserit, sit culpabilis solid. XII. exceptis plagis & feritis, cui fecerit, sicut subter adnexum est.

IDEM.

VII. Si servus in alia civitate, in qua scandalum commiserit, sit culpabilis in palatio Regis solid. III. si autem fecerit plagas aut feritas, sit culpabilis solid. VI. exceptis plagis & feritis, cui fecerit, componat.

IDEM.

VIII. Omnes vero Regales causæ, quæ ad manum Regis pertinent, unde compositio expectatur, aut culpa quæritur, dupliciter secundum antiquam consuetudinem componantur, excepto mundio de libera, aut morte, aut aliis, quæ similes sunt, unde DCCCC. sol. judicantur, quas in suo jugere constituimus permanere: reliquæ vero omnes, ut supra diximus, in duplum exigantur.

REX ASTULPHUS.

IX. Relatum est nobis, quod usque nunc fuisset talis consuetudo, ut monasteria, vel xenodochia, seu venerabilia loca, quæ in defensione sacri nostri palatii esse noscuntur, compositionem dupliciter exigebant ab hominibus, qui ad ipsa venerabilia loca componere debebant, sicut Curtis Regia exigere videtur. Nunc autem constituimus, ut monasteria, basilica, vel xenodochia, quæ sub palatij defensione esse videntur, compositionem exigere si debuerint, non exigant duplum, sicut de causa Regis, sed sicut alia venerabilia loca, quæ ad palatium non pertinent.

IMP. PIPINUS.

a leg. commonuerit. X. De compositionibus, quæ ad palatium nostrum pertinent, si Comes ipsas causas a commoverit ad requirendum, ille tertiam partem ad ejus recipiat opus; duas vero ad palatium. & si per ejus negligentiam remanserit, & Missus Dominicus ipsas causas requirat, tunc volumus, ut ille Comes illam tertiam partem non habeat, sed eum integritate ad palatium perveniat.

IMP. LUDOVICUS.

XI. Ut de debito, quod ad nostrum opus fuerit guadianum, talis consideratio fiat, ut is, qui ignoranter peccaverit, non totum secundum legem componere cogatur, sed juxta quod visum fuerit possibile. Is vero, qui tantum malum voluntarie perpetraverit, totam legis compositionem cogatur exsolvere.

TIT. III.

De consilio mortis.

REX ROTHARIS.

I. Si quis cum Rege de morte alterius fuerit consiliatus, aut hominem per ejus jussionem occiderit, in nullo sit culpabilis; nec ille, nec hæredes ejus, quoquo tempore ab illo aut hæredibus ejus requisitionem aut molestiam patiatur: quia cor Regis postquam in manu DEI esse credimus, non possibile est, ut homo possit idoneare, quem Rex occidere jussit.

IDEM.

II. Si quis liber homo in morte alterius consiliatus fuerit, & ex ipso consilio mortuus non fuerit, tunc ipse consiliator componat solid. XX.

IDEM.

III. Si homines liberi inter se de morte alterius consiliati fuerint sine Regis consilio, & ex ipso consilio mortuus non fuerit, componat unusquisq; ut supra, solid. XX. Et si ex ipso consilio mortuus fuerit, tunc ille, qui homicida est, componat ipsum mortuum, sicut appreciatus fuerit.

IDEM.

IV. Si quis liber homo aut mulier venenum temperaverit, & alii ad bibendum dare voluerit, componat solid. XX. sicut ille, qui in morte alterius consiliatus fuerit.

IDEM.

X. Si liber aut libera venenum alii ad bibendum dederit, & qui accepit, ex ipso veneno mortuus non fuerit, componat, qui venenum dederit, medium pretii ipsius, ac si eum occidisset.

IDEM.

IDEM.

VI. Si mulier in morte mariti sui consiliata fuerit per se aut per suppositam personam, sit in potestate mariti sui de ea facere quod voluerit, similiter & de rebus ipsius mulieris. Et si illa negaverit, liceat parentibus eam purgare aut per sacramentum aut per pugnam, id est, per campionem.

TIT. IV.

De illicito consilio.

REX LUITPRANDUS.

I. Si quis liber homo ad alium liberum hominem consilium dederit de perjurare, aut casam alienam incendere, ubi homo cum rebus suis inhabitat, aut mulierem alienam aut puellam tollere aut rapere, & causa approbata fuerit, componat pro illicito consilio, quod contra rationem minister avit, solid. C. ita tamen ut inter ista capitula, quæ dicimus, unde compositio per ipsum datur, qui ipsum malum fecit, solid. DCCC. C. ipse Consiliator componat solid. C. Et unde compositio sit de solidis tricentum, consiliator componat solid. L. & si minus de solidis tricentum fuerit ipsa compositio, consiliator componat solid. XL. Minus, non medium, ex istis capiat palatium Regis: medium ei, cujus causa fuerit. Et si ipse, de quo dicitur, qui ista mala consiliatus fuerit, vetare voluerit, quod tale consilium non dedisset, præbeat sacramentum cum legitimis sacramentalibus suis, juxta qualis causa fuerit, & sit solutus à culpa. nam per pugnam non fatigetur: Nam si res veritas manifesta fuerit, componat, ut supra.

TIT. V.

De convitiis.

REX ROTHARIS.

I. Si quis aliam argam per furorem clamaverit, & negare non potuerit; & dixerit, quod per furorem dixisset: tunc juratus dicat, quod eam argam non cognovisset, & postea componat pro ipso injurioso verbo sol. XII. Et si perseveraverit, & dixerit, se posse probare, per pugnam convincat eum, si potuerit; aut certe componat, ut supra.

IMP. GUIDO.

II. Si quis judicibus nostris in judicio residentibus minas aut convicia intulerit, eosque verbis aut factis turpiter dehonestaverit, guidrigild illi, quem læserit, componat. Si vero aliquis ex ipsis judicibus nostris pro ipso judicio falsidicos dixerit, aut pro ipsa intentione ex hac causa quemlibet hominem interfecerit, L. libras auri optimi componat, medium Regi, & medium heredibus defuncti.

TIT. VI.

De a feritis liberorum hominum.

al. De his qui insidiando, vel subito surgente rixa, ferierunt.

REX ROTHARIS.

I. Si quis homini libero insidiatus fuerit cum virtute aut solatio, videns eum imparatum, & simpliciter stantem aut ambulantem, & subito super eum adveniens turpiter eum tenuerit, aut batuerit sine jussione Regis, medium precij ipsius, ac si eum occidisset, ei componat, eo quod in turpitudinem & in ridiculum ipsius male tractaverit eum.

IDEM.

II. Si quis hominem liberum ligaverit absque jussione Regis sine causa, duas partes precii ipsius, ac si eum occidisset, ei componat.

IDEM.

III. Si quis hominem liberum, surgente rixa, percusserit, & livorem aut vulnus fecerit, pro una ferita componat ei solid. III. si duas, solvat VI. si tres, IX, si quatuor, XII. si vero amplius duraverint, feritæ non numerantur, sed sibi contentus.

IDEM.

IV. Si quis hominem liberum subito surgente rixa, per barbam aut per capillos traxerit, componat solid. VI. si servum ministralem, aut aldium, seu servum alienum rusticanum, componat, sicut pro una ferita, unum solidum.

IDEM.

V. Si quis hominem liberum impincerit ut cadat, componat ei solid. VI. si tamen aliquam læsionem in corpore ipsius non fecerit: si autem fecerit, componat sicut subter in hoc edicto legitur. Si autem sic impincerit ut non cadat, componat solid. III.

IDEM.

VI. Si quis homini libero brachium super cubitum, hoc est, morioc. ruperit, componat solid. XX. si autem subtus cubitum, hoc est, tremum, componat solid. XVI. si vero coxam supra genuculum, hoc est, largica, componat solid. XX. si autem subtus genuculum, quod est tibia, componat solid. VI. si vero scævus aut claudus fuerit, componat sicut in hoc edicto legitur, id est, quartam partem precii ipsius.

IDEM.

VII. Si quis alium pugno percusserit, componat solid. III. si alapam dederit, solid. VI.

TIT. VII.

a De plagis & compositionibus liberorum hominum.

a alias: De plagis & compositionibus plagarum, quæ inter liberos homines evenerint, per hunc tenorem, sicut subter annexum est, componatur, cessante faida.

REX ROTHARIS.

I. Si quis alii plagam fecerit in capite, ut cutica tantum rumpatur, quam capilli cooperiunt, componat solid. VI. si duas plagas fecerit, XII. si usque tres fecerit, XVIII. si vero amplius fecerit, non numerantur, nisi istæ tres componantur.

IDEM.

II. Si quis alium plagaverit in capite, ut os rumpatur, pro uno osse componat solid. XII. si duo fuerint, componat XXIV. si tria fuerint, componat solid. XXXVI. si plura fuerint, non numerentur. Ita tamen, ut os tale inveniatur, quod ad pedes duodecim super viam sanum in scuto facere possit, & ipsa mensura de certo pede mediocris hominis mensuretur. nam non ad manus.

IDEM.

III. Si quis alii nasum absciderit, medium precium ipsius componat ei, ut supra.

IDEM.

IV. Si quis alii labrum absciderit, componat solid. XVI. Et si dentes apparuerint, unus, aut duo, aut plures, componat solid. XX.

V. Si quis alii dentes excusserit, qui in risu apparuerint, pro uno dente componat solid. XVI. si duo aut plures fuerint in risu apparentes, numerantur, & per hunc modum componantur.

IDEM.

VI. Si quis dentes maxillares excusserit, unum aut plures, componat pro uno dente solid. VIII.

IDEM.

VII. Si quis alii aurem absciderit, quartam partem precii ipsius componat ei.

IDEM.

VIII. Si quis alii plagam in facie fecerit, componat ei solid. XVI. si quam in naso fecerit plagam, componat solidos sedecim, si resolidaverit tantum, ut cicatrix appareat: si non resolidaverit, quartam partem precii ipsius componat, ut supra.

IDEM.

IX. Si quis in aurem plagam fecerit, componat solid. XVI. si resolidaverit.

IDEM.

X. Si quis alium intra capsum plagaverit, componat ei solid. XX.

IDEM.

XI. Si quis alium in coxa punxerit, aut plagaverit, si transforaverit, componat solid. XXI. & si non transforaverit, componat solid. VIII. si plagæ fuerint plures, usque ad tres tantummodo numerentur, & pro unaquaque plaga componatur, ut supra. Nam amplius si fuerint, non componantur.

IDEM.

XII. Si quis alium in brachium punxerit, & non transforaverit, componat solid. VIII. si transforaverit, componat solid. XVI.

IDEM.

XIII. Si quis alii manum absciderit, medium precium ipsius, quod appreciatus fuerit tanquam si eum occidisset: & si demptafuerit, & non excusserit à corpore, quartam precii partem ipsius ei componat.

IDEM.

XIV. Si quis alii digitum pollicem de manu excusserit, sextam partem, quod homo appreciatus fuit, ac si eum occidisset, ei componat.

IDEM.

XV. Si quis alii secundum digitum de manu excusserit, componat ei solid. XVI. si tertium, qui est medius, solid. VI. si quartum, VIII. si quintum, XVI.

IDEM.

XVI. Si quis alii pedem excusserit, medium precii ipsius componat. & si scinderatus, & non excusserit, quartam partem precii componat.

IDEM.

XVII. Si quis alii pollicem de pede excusserit, componat solid. X. si secundum digitum de pede excusserit, solid. VI. si tertium, III. si quartum, similiter; si quintum, duos.

IDEM.

XVIII. In omnibus istis plagis ac feritis superius descriptis, quæ inter homines liberos eveniunt, ideo majorem compositionem posuimus, quam antiqui nostri, ut fayda, quæ est inimicitia, post

post compositionem acceptam postponatur,& amplius non requiratur,nec dolus teneatur, sed causa sit finita,amicitia manente. Et si contigerit de ipsis plagis & feritis infra anni spatium mori hominem,qui plagatus est,tunc ille,qui plagaverit,eum componat,qualiter in gargathangi, id est, secundum qualitatem personæ.

IDEM.

XIX. Si quis alii oculum excusserit,pro mortuo apprętietur, secundum qualitatem personæ, medium precii ipsius componat ei,cui oculum excusserit.

IDEM.

XX. Si quis homini libero unum oculum habenti, ipsum excusserit, duas partes precii ipsius, quod appretiatus fuerit,ac si eum occidisset, componat. si autem aldio aut servo unum oculum habenti ipsum excusserit,componat eum pro mortuo.

IMP. CAROLUS.

XXI. Si quis alium præsumptive sua ex sponte castraverit, & ei ambos testiculos amputaverit,integrum guydrigild suum juxta conditionem personæ componat. Si virgam absciderit, similiter. si unum testiculum,medium persolvat. Et hæc de oculis,manibus,pedibus,& lingua sancimus, ut si unus eorum abscisus fuerit,medium guydrigild componat. Si ambo, integritas perfecta emendatione componatur.

TIT. VIII.

De plagis aut feritis servorum vel aldiorum.

REX ROTHARIS.

I. De aldiis & servis ministerialibus dicimus,qui docti domi & nutriti aut probati sunt.

IDEM.

II. Si quis aldium alienum aut servum ministerialem percusserit, si livor aut vulnus apparuerit,pro una ferita componat solid.I.si duas fecerit, solid.II.si tres, solid.III.si quatuor,IV.si vero amplius fuerunt,non numerentur.

IDEM.

III. Si quis aldium alienum aut servum ministerialem percusserit in capite, ut os non rumpatur,pro una plaga det duos solid.Si duas solid,IV.excepta opera & mercede medici. Si vero plures plagæ capitis fuerint,non numerent.

IDEM.

IV. Si quis aldium alienum aut servum ministerialem ita in capite plagaverit, ut ossa rumpantur,unum vel plura,componat solid.IV.Excepta opera & mercede medici.

IDEM.

V. Si in facie plagaverit,componat ei solid.II.si nasum abscideriit,componat solid.VIII.

IDEM.

VI. Si oculum excusserit,medium precium ipsius,quod appreciatus fuerit,ac si eum occidisset,componat.

IDEM.

VII. Si aurem abscideriit,componat solid.II.excepta opera & mercede medici. Si dentes excusserit,unum aut plures,in risu apparentes,pro uno componat solid.IV. Si plures fuerint, per hunc numerum componantur.

IDEM.

VIII. Si labrum abscideriit ut dentes appareant,componat solid.VI.excepta opera & mercede medici.

IDEM.

IX. Si dentem maxillarem excusserit,pro uno componat solid.II. Si vero plures fuerint, per hunc modum componantur.

IDEM.

X. Si brachium ruperit,componat solid.VI.excepta opera & mercede medici.

IDEM.

XI. Si manum abscideriit,componat medium precii ipsius.

IDEM.

XII. Si policem de manu excusserit,componat solid.VIII.excepta opera & mercede medici.

IDEM.

XIII. Si secundum digitum de manu excusserit, componat solid.VI. si tertium, solid.III. si quartum,solid.II.si quintum,solid.IV.

IDEM.

XIV. Si coxam aut tibiam ruperit,componat solid.III.excepta opera & mercede medici.

IDEM.

XV. Si pedem excusserit,medium precii ipsius componat.

IDEM.

XVI. Si policem de pede excusserit, componat solid.IV. excepta opera & mercede medici, si secundum digitum de pede,componat solid.II.de aliis ex uno quogs solid,I.

IDEM.

XVII. Si plagam infra capſum fecerit, aut cum ſagitta, aut cum quibuslibet armis, componat ſolid. VI. excepta opera & mercede medici.

IDEM.

XVIII. Si brachium aut coxam transforaverit, componat III. excepta opera & mercede medici; & ſi plagaverit, & non transforaverit, componat ſolid. I.

IDEM.

XIX. Si plagam in capite fecerit, ut cutica tantum rumpatur, quam capilli cooperiunt, pro una plaga det ſolid. I. pro duabus, ſolid. II. excepta opera & mercede medici: Si vero plures fuerunt, non numerentur. Si autem oſſa rumpantur, unum, aut plura, componat ſolid. III. & amplius non numerentur.

IDEM.

XX. Si quis ſervo alieno ruſticano plagam in capite fecerit, componat ſolid. I. ſi oculum excuſſerit, componat medium precii ipſius domino ejus. Si naſum abſciderit, ſolid. IV. excepta opera & mercede medici. Si labrum ut dentes appareant, componat ſolid. IV. ſi dentes excuſſerit, qui in riſu apparent, pro uno ſol. II. pro maxillari, I. ſi plures fuerunt, per hunc numerum componantur.

IDEM.

XXI. Si quis aurem abſciderit, componat ſolid. II. excepta opera & mercede medici.

IDEM.

XXII. Si brachium aut coxam transforaverit, componat ſolid. II. ſi autem plagaverit, & non transforaverit, componat ſolidum unum, excepta opera & mercede medici.

IDEM.

XXIII. Si intra capſum plagaverit, componat ſolid. III. excepta opera & mercede medici.

IDEM.

XXIV. Si brachium aut tibiam ruperit, componat ſolid. II. excepta opera & mercede medici. & ſi de ipſa ruptura intra anni ſpatium ſanus factus non fuerit, & ad priſtinam ſanitatem non redierit, quartam partem precii ipſius domino ejus componat.

IDEM.

XXV. Si manum abſciderit, medium precii ipſius componat domino ejus.

IDEM.

XXVI. Si policem de manu excuſſerit, componat ſolid. IV. ſi ſecundum digitum, ſol. III. ſi tertium aut quartum, ſolid. I. ſi quintum, ſolid. II. excepta opera & mercede medici.

IDEM.

XXVII. Si pedem abſciderit, medium precii ipſius componat, ut ſupra. Si policem, ſolid. II. ſi ſecundum aut tertium, ſolid. I. & quartum, I. ſi quintum, ſolidum dimidium.

IDEM.

XXVIII. Si batiderit aut percuſſerit, pro una ferita, ſi vulnus aut livor apparuerit, componat ſolidum medium; ſi vero usque quatuor fecerit, componat ſolid. II. amplius feritæ non numerentur.

IDEM.

XXIX. Si de plagis aut feritis ſuperius ſcriptis aldii aut ſervi miniſterialis aut ruſticani, atque aldiæ ſeu ancillæ, manus, aut pedes, vel quod ubi membrum quod plagatum aut percuſſum eſt, ſi tueri[a] ſcideratum, & non excuſſerit à corpore, ſimili modo componat tanquam ſi eum excuſſiſſet.

a al. *ſcinderatum, id eſt,* geſplidert.

IDEM.

XXX. Omnes vero plagæ aut feritæ tam de aldiis, quam de ſervis miniſterialibus, ſeu de ſervis ruſticanis, atque aldiis, aut ancillis, quæ evenerint, per hunc tenorem, ſicut ſupra conſtitutum eſt, finiantur. Si autem aliqua dubietas inde fuerit, quod evadere aut citius ſanare non poſſit, tunc medium precii de plaga, quod arbitratum fuerit, dominus ejus accipiat; reliqua vero medietas ſuſpendatur usque dum cognoſcatur, ſi intra anni ſpacium evadere poteſt de ipſa plaga. Si evaſerit, quod reliquum eſt compleatur: ſi autem de ipſa mortuus fuerit intra anni ſpacium, ſicut ſubter annexum eſt, ita componatur. Quod pro plaga acceptum eſt, in ipſa ſumma compoſitionis mortui computetur.

IDEM.

XXXI. Qui plagas fecerit, ipſe quærat medicum. & ſi neglexerit quærere, tunc ille, qui plagatus eſt, aut certe dominus ejus inveniat medicum. & ille, qui caput ruperit, aut ſupra ſcriptas plagas fecerit, operas reddat & mercedes medico perſolvat, quantum per doctos homines arbitratum fuerit.

IDEM.

XXXII. Si quis percuſſerit ancillam gravidam, & abortum fecerit, componat ſolid. III. ſi autem ex ipſa percuſſura mortua fuerit, componat eam, ſimul & quod in utero ejus mortuum fuerit.

IDEM.

XXXIII. Si quis porcarium de libero homine batiderit, ipſum quidem, qui in curte ejus erit: nam non de caſa maſſarii: componat ſolid. XX. tantum eſt, ut ipſe porcarius feritas prius non faciat, aut ſcandalum non committat. Nam ſi fecerit plagas aut feritas, arbitrentur, & componantur.

IDEM.

IDEM.

XXXIV. Si duo porcarii inter se batiderint, aut scandalum commiserint, si plagas aut feritas fecerint, componant nam alia culpa non requiratur.

REX LUITPRANDUS.

XXXV. Si quis aldium aut aldiam, servum aut ancillam batiderit, & per ipsam batituram ponderosi facti sunt, medium precii Domino ejus componat, licet patrono eorum tanquam si eum occidisset, exceptis plagis & feritis, componat, sicut anterius edictum continet.

TIT. IX.

De homicidiis liberorum hominum.

REX ROTHARIS.

I. Si duo aut tres homines, seu amplius, liberi, homicidium perpetrarint, & noluerint se adjuvare in unum ut componant ipsum mortuum, sicut appretiatus fuerit, sit eis licentia adjuvandi. & si aliquis ex ipsis se subtraxerit, & non potuerit se purificare sicut lex habet, id est, quod nec plagam, nec feritam in ipso homine, qui occisus est, fecisset, tunc sit culpabilis sicut & alii qui eum composuerunt. & si se purificaverit, sit absolutus à culpa homicidii. Si tamen in consilio fuerit, componat, ut supra, solid. xx. aut de ipso consilio purificet se, si potuerit.

IDEM.

II. Si quis dominum suum occiderit, ipse occidatur. & si quis ipsum hominem defensaverit, qui dominum suum occiderit, sit culpabilis DCCCC. solid. medium Regi, & medium parentibus mortui. & qui illius mortui injuriam vindicandam denegarit solatium, si quidem rogatus fuerit, unusquisque componat solid. medium Regi, & medium cui solatium denegaverit.

IDEM.

III. Si quis homicidium perpetraverit absconse in Barone libero, vel servo vel ancilla, & unus fuerit, aut duo tantum, qui ipsum homicidium fecerit, componat DCCCC. solid. si vero plures fuerint; si ingenuus fuerit, qualiter in gargahangi, ipsum homicidium componat. Si servus aut libertus, componat ipsum mortuum, ut appretiatus fuerit. & si spolia de ipso mortuo tulerit, id est, plus layp, componat solid. XC.

IDEM.

IV. Si infans in utero matris suæ nolendo occisus fuerit ab aliquo, si ipsa mulier libera est, & evaserit, apprecietur, ut libera secundum nobilitatem suam, & medium, quod ipse valuit infans, ipse componat. Nam si ipsa mortua fuerit, componat ipsam secundum generositatem suam; excepto qui in utero ejus mortuus fuerit, componat, ut supra, cessante faida quod nolendo fecit.

IDEM.

V. Si duo aut tres homines liberi seu amplius in unam arborem inciderint, & alium hominem supervenientem occiderint, aut quodlibet damnum fecerint; tunc incidentes arborem quanticunqs fuerint, ipsum homicidium aut damnum pariter componant. & si casu faciente ab ipsa arbore aliquis ex ipsis, qui inciderint, mortuus fuit: si duo fuerint collegæ, medium precii reputetur illi mortuo, & medium reddat parentibus collegæ. Et si plures fuerint, eodem modo portio una reputetur illi mortuo, & quanticunqs fuerint, similiter reddant summam precii, cessante faida, eo quod nolendo fecerint.

IDEM.

VI. Si quis alii venenum ad bibendum dederit, & qui acceperit mortuus fuerit, precium mortui secundum qualitatem personæ in integrum componat.

IDEM.

VII. Si servus aut ancilla venenum alteri dederit ad bibendum, & ille qui acceperit mortuus non fuerit componat Dominus servi vel ancillæ medium precii ipsius, quantum ipse valuerit qui acceperit. & per omnia ipse servus vel ancilla in ipsa compositione, pro quanto appretiatus fuerit, ad occidendum tradatur. Et si ille mortuus fuerit, qui acceperit, tunc Dominus servi vel ancillæ ipsum mortuum integrum componat, sic tamen ut servus vel ancilla in ipsa compositione pro quanto appretiatus fuerit, ad occidendum tradatur; & nulla sit redemptio aut excusatio in morte servi vel ancillæ.

IDEM.

VIII. Si homo occisus fuerit liber aut servus, & de ipso homicidio compositio facta fuerit, & pro amputanda inimicitia, sacramenta præstita fuerint; & postea si contigerit, ut ille qui compositionem acceperit, revindicandi causa occiderit hominem de parte, de qua compositionem acceperat, jubemus ut ipsam compositionem in duplum reddat, aut parentibus, aut domino servi. Simili modo de plagis aut feritis, qui polt compositionem acceptam revindicare tentaverit, ut in duplum quod accepit, restituat, excepto si hominem occiderit componat, ut supra, in integrum.

IDEM.

IX. Si magister comacinus cum collegis suis domum ad restaurandum vel fabricandum super se placito finito de mercede susceperit: & contigerit aliquem per ipsam domum aut materiam,

aut lapide lapso mori, aut quodlibet damnum fieri non requiratur domino cujus domus fuerit, nisi magister comacinus cum consortibus suis ipsum homicidium aut damnum componat, qui postquam fabulam firmatam de mercede pro suo lucro susceperit, non immerito sustinet damnum.

IDEM.

X. Si quis magistrum comacinum unum aut plures rogaverit, aut conduxerit, ad operam dictandum, aut solatium diurnum præstandum, inter suos servos ad domum aut casam faciendam; & contigerit per ipsam casam aliquem ex ipsis comacinis mori, non requiratur ab ipso cujus casa est. Nam si cadens arbor aut lapis ex ipsa fabrica, & occiderit aliquem extraneum, aut quodlibet damnum fecerit, non reputetur culpa magistro, sed ille qui conduxit, ipsum damnum sustineat.

IDEM.

XI. Si quis operarios conduxerit aut rogaverit in opera, & casu faciente contigerit unum ex ipsis aut in aqua mori, aut flumine percuti, aut vento arbore mota occidi, aut propria morte mori, non requiratur ab ipso qui conduxit aut rogavit; tantum est, ut per ipsius factum, qui conduxit aut rogavit, aut per hominem ejus non moriatur; & si à quocunque unus eorum occisus fuerit, aut læsus fuerit, ipse componat qui eum occiderit aut læserit.

IDEM.

XII. Si maritus uxorem suam occiderit immerentem, per quamlibet occasionem, quæ per legem non sit merita mori, componat solid. mille ducentos, medium illis parentibus, qui eam ad maritum dederint & munsium susceperint, & medium Regi. Ita ut per actorem Regis distinguatur, & pœnas suprascriptas componat. Et si filios de ipsa muliere habuerit legitimos, habeant filii morgincap, & philadelphum matris; & si filios de ipsa non habuerit, revertatur ipsa facultas ad parentes, qui eam ad maritum tradiderunt. & si parentes non habuerit, tunc ipsa compositio & prædicta facultas ad curtem Regis perveniat.

IDEM.

XIII. Si quis puellam aut mulierem liberam, per quamlibet occasionem, occiderit, componat solid. M. CC. medium parentibus ejus, ad quos mundium de ea pertinet, & medium Regi; & si parentes non habuerit, tunc ipsa compositio in integrum ad curtem Regis perveniat, sic tamen si astato animo, id est, voluntarie, occiderit.

IDEM.

XIV. Si mulier maritum suum occiderit, ipsa occidatur; & res ejus (si filium non habuerit) parentes mariti habebunt in potestate.

IDEM.

XV. Si servus Regis mori fecerit, ita decernimus ut componat ipsam personam, sicut appretiata fuerit. & servus ipse super fossam ipsius mortui appendatur, ut in eo vindicta detur, & sit causa finita.

IDEM.

XVI. Si quis feuldasium aut actorem Regis occiderit, utilitatem Regis facientem, appretietur pro libero homine, sicut in edicto legitur, & parentibus legitimis componatur; excepto quod in curte Regis, qui eum occiderit, componat solid. LXXX. & si eum batiderit, aut legaverit, simili modo componat pro libero homine secundum nationem suam, sicut in edicto constitutum est, excepto in curte Regis pro culpa componat LXXX. solid.

IDEM.

XVII. Si quis hominem liberum casu faciente nolendo occiderit, componat sicut appreciatus fuerit, & faida non requiratur, eo quod nolendo occiderit.

REX LUITPRANDUS.

XVIII. Si quis Longobardus ab aliquo homine, quod Deus avertat, interemptus fuerit: & causa secundum legem ad compositionem venerit: & ipse qui occisus est, filium masculum non reliquerit, quanquam filiam instituissemus heredem, sicut masculos, in omnem substantiam patris aut matris, ipsam tamen compositionem volumus, ut accipiant parentes ejusdem propinqui qui occisus fuerit, illi qui per caput succedere possunt, quia filiæ ejus, eo quod fœmineo sexu esse probantur, non possunt ipsam faidam levare. Ideo prospeximus, ut ipsam compositionem non recipiant, nisi, ut supra diximus, præfati parentes. & si propinqui non fuerint, tunc medium de ipsa compositione suscipiant filiæ ejus, si una aut plures fuerint, & medium curtis Regia.

IDEM.

XIX. Si quis liber homo se defendendo liberum hominem occiderit, & si probatum fuerit, quod se defendendo liberum hominem occiderit, sic eum componat sicut in anteriori edicto continetur, quod ROTHARIS instituit. Nam qui super alium ambulaverit, & sic eum pro quacunque causa occiderit, omnem substantiam suam amittat, & habeant eam heredes ipsius, qui occisus fuerit, in hoc ordine; ita sane, ut si minus ipsa substantia homicidæ, quam antiqua compositio erat,

erat, aut non nisi tantum, tunc res suas perdat ipse homicida, & persona ejus tradatur ad propinquos defuncti. Nam si amplius habuerit substantiæ, quam ipsa compositio anterior erat, amittat omnes res suas, & accipiant heredes mortui in antiqua tantum, quantum antiqua compositio fuerat, & quod superfuerit, habeat curtis regia, & medium heredes defuncti, & ipse homicida animam suam liberet.

IDEM.

XX. Si servus cum voluntate domini sui hominem liberum occiderit, & probatum fuerit, tunc dominus ejus omnes res suas amittat in eo ordine, sicut supra annexum est. Et si dominus ejus negaverit, quod per ipsius consilium factum non fuisset, purificet se ad legem Dei, & componat ipsum mortuum, sicut antea fuerat consuetudo, & ipse in super servum tradat in manibus parentum defuncti.

IDEM.

XXI. Recolimus, qualiter jam statuimus, ut qui hominem liberum occidere præsumpserit, res suas in integrum perdat. Et qui se defendendo liberum hominem occiderit, componat secundum qualitatem personæ. Nunc autem statuere prævidimus, quomodo sit ipsa quantitas consideranda. Consuetudo enim est, ut pro minima persona, quæ exercitalis homo inveniturr esse, CL. sol. componat; & pro eo qui primus, CCC. solid. De casindiis vero nostris volumus, ut quicunque ex minimis occisus fuerit, in tali ordine pro eo quod nobis deservire videtur, C. solid. fiat compositio. Majores vero secundum quales personæ fuerint, ut in nostra consideratione vel successorum nostrorum debeat permanere, quomodo ipsa compositio usque ad CCC. solid. debeat ascendere.

IDEM.

XXII. Si quis liber homo in terra aliena residens libellario nomine homicidium fecerit, & fuga lapsus fuerit, tunc ille, cujus terram ipse homicida laboraverit, aut inhabitaverit, habeat spacium mensis unius ad ipsum hominem perquirendum; & si eum invenerit, habeat licentiam ipsum hominem, quamvis liber sit, comprehendendi & tradendi in manu illius, cui fecerit homicidium. & si hoc non fecerit, dare debet med um de omnibus rebus mobilibus (excepto tecto) quas in ipsa casa habuerit ipse homicida, quod si neque facere voluerit, ipse cujus terra est, dare debeat libellario nomine ipsam terram, ei cui homicidium fecerit, ut reddat ei exinde, sicut reddebat, qui ipsum homicidium fecit. Tamen de his tribus capitulis, in illius sit potestate eligendi cujus terra est, & faciat exinde quod voluerit.

TIT. X.

* De Monomachiis.

* Aliàs non est hic rubrica.

REX LUITPRANDUS.

I. Recolimus enim, quod statuimus cum nostris judicibus, ut qui liberum hominem occidere præsumpserit, omnem suam substantiam amittat, modo vero dum repeterent singuli homines, quos forte aliqua duritia detinebat, quod parens illorum, qui in lectulo mortuus fuerit, per venenum occisus fuerit. & dum per pugnam ipsam causam, sicut antiqua fuerat consuetudo, quærere disponebant, gravis causa nobis esse comparuit, ut sub uno scuto, per unam pugnam, omnem suam substantiam homo amittat. Ideoque statuere prævidimus, & si à modo talis cauia emerserit, ut ille, qui post mortem parentis sui per pugnam probare voluerit, quod eum per venenum occidisset. Et observatis his, quæ in anteriori edicto affiximus, per evangelia affirme, quod asto animo causa ipsa nō requirat, nisi quod ei certa suspicio sit, postea potestatem habeat quærere per pugnam, sicut antiqua fuit consuetudo. Et si ei ferita evenerit, cui crimen ipsum mittitur, aut ad campionem ipsius, quem conductum habuerit, non amittat omnem substantiam suam, sed componat secundum qualitatem personæ, sicut antea fuerit lex componendi: quia incerti sumus de judicio Dei, & multos audivimus per pugnam sine justa causa suam causam perdere. Sed propter consuetudinem gentis nostræ Longobardorum legem impiam vetare non possumus.

IDEM.

II. Item annunciatum est nobis, quod quidam habebat puteum in curte sua, & secundum consuetudinem furcam & tolenum ad hauriendam aquam; veniens autem homo stetit sub ipso toleno, & cum venisset quidam ad hauriendum aquam de ipso puteo, & incaute ipsum tolenum dimisisset: venit super eum, qui sub ipso stabat, qui mortuus est. Dum autem requisitio de morte ejus fieret, quis eum deberet componere, & nobis relatum fuisset: Ita nobis & nostris judicibus rectum esse comparuerit, ut ipse homo, qui ibi mortuus fuerit, quia non fuit animal, sed sensum rationalem habuit, sicut homo debet habere, debuit prospicere in quo loco se poneret ad standum, aut quale pondus super se habebat. Adeo computet sibi duas partes precii de compositione, tertiam, quantum ipse secundum edicti tenorem appreciatus fuerit, componat ipse, qui ipsam aquam hauriebat incaute, & det eum filiis aut propinquis parentibus, vel eis qui heredes extiterint: & sit causa finita absque omni faida & dolo, eo quod nolendo factum est. Ille autem cujus puteus est, nullam habeat calumniam, quia si ei calumniam ingerimus, nullos postea permittere de puteo suo aquam haurire, quia omnes homines puteum habere non possunt, reliqui pauperes siti morerentur, etiam itinerantes necessitatem paterentur.

IDEM.

III. Hæc autem rei veritas pervenit ad nos, quod quidam homo, diabolo instigante, dixisset ad servum alienum: veni & occide dominum tuum, & ego tibi habeo facere bonitatem quam volueris. Ille autem persuasus ab ipso intravit in causam ipsam malam, & idem qui eum suasit in tanta malitia perductus est, ut & præsentialiter diceret eidem puero, ferì ipsum dominum tuum, & ipse ei pro peccatis ferìtam fecit, & iterum dixit; feri eum & adhuc: nam si non feceris, ego te ferire habebo. Ipse autem puer conversus fecit eidem domino alteram feritam, & mortuus est. Dum autem requisitio & compositio de morte ejus fieret, volebat aliquis dicere, quod tantum deberet componere is qui puero suasit, & in sua præsentia hominem ferire jussit, quantum antea edictum continet de consilio mortis. Sed nobis nostrisque judicibus hoc nullo modo placuit, quoniam consilium mortis in occulto sit concinatum, & aliquotiens perficitur, aliquotiens non. Nam hoc homicidium præsentialiter factum est, & nos non dicimus hoc esse consilium, quando homo alteri verbotenus & præsentialiter ostendendo dicit: feri hominem istum. Ideoque qui tale malum commisit, & sic probatum fuerit, non componat consilium mortis, sed componat sicut in nostro tempore in edicto affixum, hoc est, ut perdat omnem suam substantiam, & medium accipiant heredes defuncti, & medium curtis Regia, excepta illa compositione antiqua, quam heredes mortui in antea tollant, sicut in edicto nostro tempore, ut supra diximus, est affixum.

Rex RACHIS.

IV. Si quis Longobardus qualemcunque hominem aldium aut servum suum facere voluerit, & ipse ad palatium venerit ad proclamandum, & jussione Regis accepta eidem portaverit, ut aut ipse judicet, aut veniat ad præsentiam Regis vel judicis cum ipso homine ad judicium habendum. & si ipse neglexerit, & furore accepto eum batiderit, aut, quod absit, eum occiderit, sicut nunc factum ex peccatis cognovimus, componat guidrigild suum in palatio. Et si ipse homo vivus fuerit: Si servus aut aldius sit, perdat eum cum rebus suis, & in libertate permaneat ipse & filii ejus, si vero fuerit liber, & guidrigild suum componat: & si eum batiderit, componat sicut ad alium liberum hominem. nam si ipsum occiderit, pro hoc capitulo, sicut supra secundum legem, componat mortem ipsius, & simul guidrigild suum Regi pro præsumptione. Si vero aldius fuerit aut servus, perdat filios ejus, & res ipsius componat in palatio Regis guidrigild.

IMP CAROLUS.

V. Qui sub diaconum occiderit, CCC. solid. componat: qui diaconum, CCCC. qui Presbyterum, DC. qui Episcopum, DCCCC. qui Monachũ, CCCC. De Episcopis & Sacerdotibus occisis, sicut statutum habemus, fiat, & de reliquis quibuslibet causis. Veruntamen de Presbyteris videtur nobis, ut si liber est natus, Presbyter, per triplam compositionem secundum legem suam sit compositus, ab eo qui hoc perpetraverit. Et si plagatus fuerit secundum qualitatem & quantitatem plagarum vel disciplinæ, per triplam compositionem secundum legem suam emendetur ab eo qui hoc perpetravit. Si autem servus Presbyter natus fuerit, sed illius nativitatem per triplam compositionem solvatur in plagis & in disciplinis. & de Diaconibus similiter fiat.

IMP. PIPINUS.

VI. De advenis & peregrinis, qui in Dei servitio vel Romam vel ad alia loca festinant, ad sanctorum corpora, ut salvi vadant & revertantur sub nostra defensione. & qui ex ipsis peregrinis ausus fuerit occidere, LX. solid. in nostro palatio componat, & insuper compositio ipsa fiat de ipso homicidio, cui legibus leudum ipsum pertinuit. Et hoc damus in mandatis, cunctis Episcopis Abbatibus seu Actionariis nostris, ut hæc omnis supra scripta justitia, de præsenti absque ulla tarditate adimpleta fieri debeat. ut qui in tantos annos justitiam habere non potuerit, vel modo per Dei omnipotentis misericordiam & præceptum Domini & genitoris CAROLI Regis Francorum & Longobardorum, ac Patricii Romanorum, simul & per nostram præceptionem, unusquisque justitiam suam accipiat.

IMP. LUDOVICUS.

VII. Si quis ex levi causa, aut sine causa, homines in Ecclesia interfecerit, de vita sua componat. Si vero foris rixati fuerint, & unus post alterum fugerit in Ecclesia, & ibi se defendendo eum interfecerit; si hujus facti testes non habuerit, cum XII. juratoribus per Sacramentum affirmet, ut se defendendo eum interfecisset, & pro hoc DC. solid. componat, & insuper bannum nostrum. Is vero, qui interfectus est, absque compositione jaceat, ac deinde interfector secundum canonum judicium congruam faciat pœnitentiam accipiat. Si proprius servus hoc admiserit, judicio aquæ ferventis examinetur, utrum hoc sponte, an se defendendo fecisset. Et si manus exusta fuerit, interficiatur; si vero non fuerit, tunc dominus ejus juxta quod guidrigild ejus fuerit, ad Ecclesiam persolvat, aut si voluerit, ipsum servum Ecclesiæ tradat.

IDEM.

VIII. De Ecclesiastico, & fiscalino, & benedicario servo volumus, ut pro una vice guidrigild suum ei componat; altera vero vice ipse servus ad supplicium tradatur; hereditas tamen liberi hominis, qui pro tali facinore ad mortem fuerit judicatus, ad legitimos heredes illius perveniat. Si vero in atrio ipsius Ecclesiæ, cujus portæ reliquiis Sanctorum fuerint confectæ, hujusmodi homicidium perpetratum fuerit, simili modo emendetur, vel componatur. Si vero portæ non fuerint confectæ,

fecratæ, eo modo componatur, quod in atrio committitur, ſicut & componere debet, quod in immunitate violenter committitur.

IDEM.

IX. Qui hominem liberum publicam pœnitentiam agentem interfecerit, bannum noſtrum componat in triplo, & guidrigild ejus ad primos parentes perſolvat.

IDEM.

X. Quicunque liberum hominem ex levi cauſa, aut ſine cauſa interfecerit, guidrigild ejus his, ad quos legibus pertinet, componat; ipſe vero propter talem præſumptionem in exilium mittatur quantum temporis nobis placuerit, res ſuas tamen non amittat.

IDEM.

XI. In compoſitione guidrigild volumus, ut ea dentur quæ in lege continentur, excepto accipitre & ſpata, quia propter illa duo aliquotiens perjurium committitur, quando majoris pretii quam illa ſint eſſe jurantur.

IDEM.

XII. Si quis aliqua neceſſitate cogente homicidium commiſerit, Comes, in cujus miniſterio res perpetratur, compoſitionem ſolvere, & faidam per Sacramentum pacificare faciat, quod ſi una pars conſentire ei ad hoc noluerit, aut ille qui homicidium commiſit, aut is qui compoſitionem accipere debet; tunc Comes illum, qui contumax fuerit, ad præſentiam noſtram venire faciat, ut eum ad tempus quod nobis placuerit in exilium mittamus, donec ibi caſtigetur, ut Comiti ſuo inobediens eſſe ultra non audeat, & majus damnum inde non accreſcat.

IMP. LOTHARIUS.

XIII. De homicidiis in Eccleſiis vel in atriis eorum commiſſis hoc obſervetur, & teneatur, ſicut in priori capitulari conſtitutum eſt. Si quis ex levi cauſa, aut ſine cauſa hominem in Eccleſia interfecerit, de vita componat: ſi vero foris rixati ſunt, & unus alterum in Eccleſia fugerit, & eum ibi ſe defendendo interfecerit, ſi hujus facti teſtes non habuerit, cum XII. juratoribus legitimis per Sacramentum affirmet, quod ſe defendendo eum interfecerit. & ſi ipſe actor commotæ rixæ inter eos extiterit, leudum interfecti. & inſuper bannum noſtrum ſolvere cogatur, & publicam agat pœnitentiam. Sin autem non ille, qui alterum interfecerit, ſed is qui interfectus eſt, eandem rixam commoverit, absque compoſitione jaceat, & is qui eum interfecerit, ſecundum canonum judicium publicam agat pœnitentiam. Si cujus libet ſervus proprius hoc commiſerit, judicio aquæ ferventis examinetur, utrum hoc ſponte an ſe defendendo feciſſet, & ſi manus ejus exuſta fuerit, interficiatur: ſi autem non fuerit, publicam pœnitentiam * mulctetur, niſi forte ipſe actor commotæ rixæ inter eos fuerit inventus, tunc enim ejus dominus juxta quod guidrigild illius eſt, ad Eccleſiam perſolvat, aut ſi voluerit eidem Eccleſiæ tradat. * *For. mulctatur.*

IDEM

XIV. De Eccleſiaſtico, & fiſcalino, & beneficiario ſervo volumus, ut pro una vice guidrigild ejus pro eo componat: altera vero vice ipſe vero ſervus ad ſupplicium tradatur: hereditas tamen liberi hominis, qui propter tale facinus ad mortem fuerit judicatus, ad legitimos heredes illius perveniat. Si in atrio ipſius Eccleſiæ, cujus portæ reliquiis ſanctorum ſunt conſecratæ, hujusmodi homicidium perpetratum fuerit, ſimili modo componat. Si vero portæ Eccleſiæ conſecratæ non ſunt, eo modo componat, quod in atrio committitur, ſicut componi debet, quod in immunitate violenter commiſſum eſt.

IDEM.

XV. De homicidio, unde lex pro ſimplicitate probationem trium teſtium quærit, & ſi teſtes habere non poterit, concedimus ut cum duodecim juratoribus juret, & ab eadem ſimplicitate ſit abſolutus, proprium tamen non amittat.

IMP. HENRICUS.

XVI. Qui vero intra treuguam poſt datum oſculum pacis, aliquem hominem interfecerit, & negare voluerit, pugnam pro ſe faciat, nec campionem pro ſe dare debet, niſi ſicut dictum eſt ſupra. Si vero convictus fuerit, manum, quæ homicidium fecit, amittat.

IDEM.

XVII. Decet Imperialem ſolertiam Reipub. curam agere, & ſic ſollicitetur erga præſentiam, quatenus ea quoque diligenter provideat, quæ poſteris ſunt utilia atque profutura. Id autem ſatis competenter agitur, cum bonis virtutis premium, impiis autem digna ultio, ſibi ad vindictam, aliis ad exemplum recompenſatur. ſed quoniam omnia, quæ habet humanum genus, excidit. de ejus ſalute, tanto præcipue curandum eſt, quanto manifeſtius conſtat, quod omnipotens quoq; Deus, pro redemptione ejus unigenitum ſuum ab æterna ſede divinitatis ſuæ, in terram miſit. Quapropter quoniam plerunque, proh dolor, beneficio ac diverſo genere furtivæ mortis perire audivimus, ſuper hoc dum in Regni univerſali conventu Longobardorum ſederemus, hujusmodi legem Epiſcoporum, Marchionum, Comitum, aliorumq; multorum fidelium conſenſu & autoritate probare ſancimus. Quicunque beneficio ſeu quolibet modo furtive ad aliquem pervenerit, vel conſentiens fuerit, mortis ſententiam incurrat, omniumq; ſuarum rerum mobilium & immobilium facultatem amittat. Ita tamen, ut precium x. librarum auri pro legitimo guidrigild propinquis parentibus perempti præmium detur; reliqua rurſus medietas ejus propinquis veniat, altera autem medietas ad fiſcum accedat. Si quis vero

vero prælicti criminis aut de facto aut de consensu, accusatus negare voluerit, aut per duellum, si liber est, si vero servus, per judicium defendat se, aut similem sententiam incurrat. Ad hoc autem volumus, nostraque imperiali autoritate sancimus: ut quicunque hominibus prædicti reatus noxis refugium aut subsidium aliquod præbuerit, omnis possessio ejus in publicum perveniat, ipse vero in nostram omniumque nostrorum indignationem incurrat.

TIT. XI.

De parricidiis.

REX ROTHARIS.

I. Si quis in morte parentis sui insidiatus fuerit, id est, si frater in morte fratris sui, aut barbam, quod est, patruus, seu consobrini insidiatus fuerit; & ille, cui insidiatus fuerit, filium non reliquerit, non sit ille heres de cujus anima tractavit, sed alii parentes proximi, & si alios parentes proximos non habuerit, tunc illi curtis regia succedat. De anima autem illius homicidæ sit in potestate Regis judicare, quod illi placuerit; res vero, quas homicida reliquerit, parentes proximi & legitimi habeant: & si parentes proximos non habuerit, tunc curti Regiæ socientur.

REX LUITPRANDUS.

II. Si frater fratrem occiderit in peccatis, quanquam anterius edictum contineat ut proximi parentes homicidæ succedant: nos autem *proximos* * fratres appellamus, si frater relictus fuerit, in res homicidæ frattis succedat, ita ut secundum qualitatem personæ de ipsa substantia homicidæ, ille qui occisus est filios reliquerit, compositionem illis dare debeat: reliquum autem, quod super fuerit, sibi habeat. Et si pecunia ipsius homicidæ in tantum fuerit sub æstimatione, quantum compositio est, aut forte minus, habeant eam filii ipsius qui occisus est. Quod si non reliquerit fratres unum aut plures is qui occisus est, quantumcunque fuerit substantia homicidæ filius ipsius qui occisus est in ea succedere debeat. quod si non habuerit filios legitimos, proximi succedant parentes per gradum, quod si nec parentes fuerint, qui ei legitime succedere possint, succedat ei curtis Regia: de anima vero homicidæ illius sit in potestate Regis, sicut in anteriore edicto legitur:

* *Nota, quod frater sit proximior agnatus, quam nepos: & quod proinde patruus nepoti præferatur, ut hic est manifestum textus, & ad hunc leg. notavit Boerius.*

IMP. CAROLUS.

III. Si quis de libertate sua interpellatus fuerit, timens ne in servitium cadat, aliquem de propinquis, per quem in servitium cafurum timens occiderit, id est, patrem vel matrem, patruum vel avunculum, vel quamlibet hujusmodi propinquitatis personam: ipse qui hoc perpetravit moriatur: cognatio ejus & consanguinitas in servitutem cadant: & si negaverit ipsum occidisse, ad novem vomeres ignitos ad judicium Dei examinandum accedat.

IMP. HENRICUS.

IV. Quicunque propter cupiditatem rerum, patrem, aut matrem, aut fratres, aut sorores, vel nepotem, aut aliquem suum propinquum, per se, aut per alium interfecerit, hereditas interfecti ad alios suos legitimos heredes perveniat: hereditas vero interfectoris in fiscum redigatur: ipse vero ordinante Episcopo publicam pœnitentiam subdatur. Quod si ille cui crimen mittitur, negare voluerit, per se pugnam faciat, nec liceat campionem pro se dare, nisi decrepita ætas aut juvenilis, aut infirmitas pugnare prohibuerit.

TIT. XII.

De homicidiis servorum ministerialium, vel aldiorum.

REX ROTHARIS.

I. Si quis aldium alienum occiderit, componat solid. LX.

IDEM.

II. Si quis servum ministerialem probatum, ut supra, aut doctum domi occiderit, componat solid. L. de alio vero servo ministeriali, quod secundus ejus invenitur esse, tantum nomen ministeriale habet, si quem occiderit, componat solid. XXV.

IDEM

III. Si quis servum alienum rusticanum, quod sub massario est, occiderit, componat solid. XVI.

IDEM.

IV. Si quis servum alienum bubulcum de sala occiderit, componat solid. XX.

IDEM.

V. Si quis servum alienum massarium occiderit, componat solid. XX.

IDEM.

VI. Si quis porcarium alienum occiderit, magistrum tamen illum, qui sub se discipulos habet duos, aut quatuor aut amplius, componat solid. L. de inferioribus autem porcariis si quis occiderit, componat solid. XXV.

IDEM.

VII. Si quis porcarium, aut caprarium seu armentarium occiderit, magistrum tamen, componat solid. XX. pro discipulis aut qui sequentes sunt, si quis occiderit, componat solid. XVI. de illis vero pastoribus dominicis, qui ad liberos homines servierunt, & de sala propria exeunt,

IDEM.

IDEM.

VIII. Si quis infantem parvulum de servo massario casu faciente occiderit, arbitretur à judice secundum qualem habuerit ætatem, aut quale lucrum facere potetat, ita componat.

IDEM.

IX. Nullus præsumat aldiam alienam aut ancillam quasi stringam, quæ dicitur masca, occidere, quia Christianis mentibus nullatenus est credendum, nec possibile est ut hominem mulier vivum intrinsecus possit commedere. Si quis deinceps talem illicitam rem perpetrare præsumpserit, si aldiam occiderit, componat pro statu ejus solid. LX. & insuper addat pro culpa solid. C. medium Regi, & medium cujus aldia fuerit. Si autem ancilla fuerit, componat pro statu ejus, sicut supra constitutum est: Si ministerialis aut rusticana fuerit, & insuper pro culpa solid. LX. medium Regi, & medium cujus ancilla fuerit. Si vero Judex hoc malum perpetrare jussus fuerit, de suo proprio pœnam supra scriptam componat.

TIT. XIII.

De sepulcro violato, & de eo qui hominem mortuum expoliavit.

REX ROTHARIS.

I. Si quis hominem mortuum in flumine aut foris invenerit, & expoliaverit, & celaverit, componat parentibus mortui solid. LXXX. & si eum invenerit, & expoliaverit, & mox vicinis patefecerit, & cognoscitur quia pro mercedis causa fecerit, nam non furandi animo reddat spolia quæ super eum invenerit, & amplius ei calumnia non generetur.

IDEM.

II. Si quis sepulturam hominis mortui ruperit, & corpus expoliaverit, aut foris jactaverit, DCCCC. solid. sit culpabilis parentibus defuncti. & si parentes proximi non fuerint, tunc castaldus Regis, aut sculdasius requirat culpam ipsam, & ad curtem Regis exigat.

TIT. XIV.

Ne ad Regem venientibus injuria fiat.

REX ROTHARIS.

I. Si quis ex Baronibus nostris ad nos venire voluerit, securus veniat, & illæsus ad suos revertatur, & nullus de adversariis illius illi aliquam injuriam in itinere aut molestiam facere præsumat, tantum est, ut illi, qui ad Regem venire festinat, honeste veniat, & nullam læsionem aut damnum quoquo in ipso itinere, ad Regem veniendo aut redeundo faciat. Nam si fecerit, sicut subter in hoc edicto dictum est, componat.

IDEM.

II. Si quis ex adversariis nostris manum armatam super quemcunque hominem ad Regem venientem injecerit, pro sua injuria, aut propter qualemcunque culpam vindicandam DCCCC, solid. sit culpabilis, medium Regi, & medium cui injuria illata fuerit.

IMP. CAROLUS.

III. Si quis liber super Missum dominicum cum collecta & armis venerit, & missaticum illi junctum contradixerit, aut contradicere voluerit, & hoc ei approbatum fuerit, quod se sciente esse Missum dominicum, ad resistendum venisset, de vita componat; & si negaverit, cum XII. sacramentalibus suis se idoneum faciat, & pro eo quod cum collecta esse Missum dominicum armatus venerit ad resistendum, bannum dominicum componat. Simili vero dominus Imperator de suis vassis judicavit, & si servus hoc fecerit, disciplinæ corporali subjaceat.

TIT. XV.

De exercitalibus, & his qui in hostem ire contempserint.

REX ROTHARIS.

I. Si quis de exercitalibus Ducem suum contempserit ad justitiam faciendam, XX. solid. Duci suo & Regi componat.

IDEM.

II. Si quis de ipso exercitu Duci suo ad justam causam prosequendum denegaverit solatium, unusquisque componat Regi & Duci suo solid. XX.

IDEM.

III. Si Dux exercitalem suum molestaverit injuste, gastaldius eum solaciet, dum usque ad præsentiam Regis, aut certe apud suum judicem eum ad justitiam perducat.

IDEM.

IV. Si quis res suas ab alio in exercitu requisierit, & noluerit ille reddere, tunc ambulet ad Ducem; & si Dux illi aut Judex, qui in loco ordinatus est à Rege, veritatem aut justitiam non conservaverit, componat tam Regi, quam ei cujus causa est, solid. XX. & causa manente.

IDEM.

V. Si castaldius exercitalem suum contra rationem molestaverit, Dux eum solaciet, quousque veritatem suam inveniat.

IDEM.

IDEM.

VI. Si quis in exercitu ambulare contempserit, aut in seulcam, det Regi & Duci suo solid. XX.

IDEM.

VII. De omnibus judicibus, quomodo in exercitu ambulandi causa necessitas fuerit, non mittant alios homines nisi tantummodo qui unum caballum habeant, hoc est, homines quinque, & tollant ad sumas suas ipsos caballos sex. De minoribus hominibus, qui nec casas nec terras habeant, dimittant homines X. & ipsi homines ad ipsum judicem faciant per hebdomadam unam operas tres, usque dum ipse judex de exercitu revertatur. Scultasius vero dimittat tres homines, qui caballos habeant, ut tollant ad sumas suas ipsos caballos tres, & de minorib. hominib, dimittantur v, qui faciant ei operas. dum ipse reversus fuerit, sicut ad judicem diximus per hebdomadam operas III. * Saltariis, qui caballum unum tollat & hominibus minimis qui ei operas faciunt, & tollat hominem unum, & faciant operas, sicut supra legitur. Et si amplius aut judex, aut sculdasius aut saltarius dimittere præsumserit homines sine Regis permissu aut jussione, qui ad exercitum ambulare deberet, componat guidrigild suum in sacro palatio. P. Hæc autem omnia superius comprehensa, quæ per judicem finita & statuta sunt; quæ autem modo emerserint, sic numerentur, sicut nunc in præsenti pagina affiximus.

* *Pro, Saltuarius id est, Forestarius.*

REX ASTULFUS.

VIII. Et hoc diffinimus, ut postquam jussio Regis fuerit in exercitu ambulandi, & constituto posito ad monitionem faciendam, nullus præsumat fidejussorem aut debitorem pro quacunque causa pignorare. & si de una judiciaria fuerint ad dies XII. antequam eant ad exercitum. Et si quietus, & XII. dies post eaquam de exercitu fuerit reversus. Si autem de aliis judiciariis fuerit spacium sit ad dies XXIV. Nam si quis quem inter ista spatia pignoraverit, componat ipsa pignora sicut qui contra rationem pignus absstulit.

IMP. CAROLUS.

IX. Si quis domum alienam cuilibet fregerit, quicquid ex inde per virtutem abstulerit, aut rapuerit, aut furatus fuerit, secundum legem & totum illi cujus domus fuerit fracta aut expoliata, in triplo componat, & insuper bannum dominicum solvat. Si servus hoc faciat, sententiam superiorem accipiat, & insuper secundum legem componat.

IDEM.

X. Si quis liber homo aliquod damnum cuilibet fecerit, pro quo plenam compositionem facere non valeat, semetipsum inguadiare studeat, usque dum plenam compositionem adimpleat.

IDEM.

XI. Si quis messem aut annonam in hoste super bannum dominicum rapuerit, aut furatus fuerit, vel usurpaverit, aut cum caballis vastaverit, extimato damno secundum legem & in triplo componat. Et si liber homo hoc fecerit, bannum dominicum pro hac re componere cogatur: servus verò secundum legem triplum componat, damnum in loco restituat, & pro banno disciplinæ corporali subjaceat.

IDEM.

XII. Si quælibet persona de hoc, quod interpellata fuerit, aut præsentialiter emendet, aut sacramentum reddat solus, quod nec ipse fecerit, nec vere qui fecisset sciat: accusator vero prius juret, quod non cum injuste se sciente interpellasset.

IDEM.

XIII. Quicunque liber homo in hoste bannitus fuerit, & venire contempserit, plenum eribannum componat secundum legem Francorum, id est, LX. solid. solvat; aut si non habuerit, unde nullam summam persolvat, semetipsum per guadiam in servitio Principis tradat, donec per tempora ipsum bannum ab eo fiat persolutum, tunc iterum ad statum suæ libertatis revertatur. & si ille homo, qui propter eribannum in servitio se tradiderit, & in servitio illo defunctus fuerit, heredes ejus hereditatem, quæ ad illos pertinet, non perdant, nec libertatem, nec de ipso eribanno obnoxii fiant.

IDEM

XIV. Si quis liber homo contemta jussione nostra, cæteris in exercitu pergentibus domi residere præsumserit, plenum eribannum secundum legem Francorum, id est, LX. solid, sciat se debere componere. Similiter & pro contemptu singulorum capitulorum, quibus per nostram Regalem autoritatem bannum promulgavimus, id est, quod pacem Ecclesiarum Dei, & viduarum, & orphanorum, & pupillorum pauperum ac minus potentum irruperit, aut raptum intra patriam fecerit, aut alienas domos incenderit, vel cum collecta multitudine vim cuilibet intulerit, LX. solid, pœnâ mulctetur.

IDEM.

XV. Si quis contumax adeo aut superbus extiterit, ut dimisso exercitu absque jussu & licentia Regis domum revertatur, & quod nos Teutisca lingua dicimus eriliz fecerit, ut ipse sit reus Majestatis, vitæ periculum incurrat, & res ejus fisco nostro socientur.

IMP. LUDOVICUS.

XVI. Ut nullus ad palatium vel in hostem pergens, de palatio vel de hoste rediens, tributum, quod transitorium vocatur, solvere cogatur.

IMP.

IMP. LOTHARIUS.

XVII. Postquam Comes & pangenses de qualibet expeditione hostili reversi fuerint, ex ea die super XL. noctes sit bannum relcissum, quod Teutisca lingua criliz, id est, ermorum depositio, vocatur.

TIT. XVI.

De eo qui alii in viam antestetit, vel aliquem de caballo jactaverit.

REX ROTHARIS.

I. Si quis homini libero in viam antesteterit, XX. solid. sic tamen, ut aliquam læsionem in carne ipsius non faciat, nam si fecerit, & XX. solid. ei componat, pro eo quod antesteterit in via, & feritas aut plagas si fecerit, sicut subter adnexum est in hoc edicto, componat.

IDEM.

II. Si quis servo alieno, aut ancillæ, seu aldio, vel aldiæ, aut liberto, vel libertæ viam antesteterit, domino ejus componat solid. XX.

IDEM.

III. Si quis messem suam, aut pratum, seu quamlibet clausuram vindicando prohibuerit homini, ut non ingrediatur, non sit culpabilis sicut ille, qui homini simpliciter ambulanti viam antesteterit, eo quod laborem suum vindicaverit.

IDEM.

IV. Si quis hominem liberum de caballo in terra per quodlibet ingenium iniquo animo jactaverit, LXXX. solid. ei componat; & si aliquam læsionem ei fecerit, sicut in hoc edicto subter annexum est, componat.

IDEM.

V. Si quis homini libero violentiam injuste fecerit, id est, gualapur, LXXX. solid. ei componat. gualapur est, dum quis se furtivum vestimentum induxerit, aut sibi caput latrocinandi animo aut faciem transfiguraverit.

TIT. XVII.

De injuriis mulierum.

REX ROTHARIS.

I. Si quis mulieri liberæ aut puellæ in via se anteposuerit, aut aliquam injuriam intulerit, DCCCC. solid. componat, medium Regi, & medium cui ipsa injuria illata fuerit, aut ad quem mundium de ea pertinuerit.

IDEM.

II. Si quis puellam aut mulierem liberam, quæ in alterius mundio est, fornicariam aut stringam clamaverit, & pullatus pœnitens manifestaverit se per furorem dixisse, tunc præbeat sacramentum cum XII. sacramentalibus suis, quod per furorem ipsum nefandum crimen dixisset, & non de certa causa cognovisset. Tunc pro ipso vano improperii sermone, quod non convenerat loqui, componat solid. XX, & amplius non calumnietur. Nam si perseveraverit, & dixerit se probare posse, tunc per campionem causa, id est, per pugnam ad Dei judicium decernatur; & si probatum fuerit, quod illa de ipso crimine sit culpabilis, componat sicut in hoc edicto legitur. Et si ille, qui hoc crimen mittit, probare non potuerit, guidrigild ipsius mulieris secundum nativitatem suam componere compellatur.

IDEM.

III. Si mulier libera in scandalum cucurrerit, ubi vim litigant, si plagas aut feritas factas habuerit, aut forsitan impincta aut occisa fuerit, apprecietur secundum nobilitatem suam; & sic componatur, tanquam si in fratrem ipsius mulieris perpetratum fuisset. nam altera culpa pro injuria sua, unde DCCCC. solid. judicantur, non requiratur, eo quod ipsa mulier ad litem cucurrerit, quod inhonestum est mulieribus facere.

REX LUITPRANDUS.

IV. Si quis furore accepto batiderit hominem liberum, vel mulierem liberam, aut puellam quæ in scandalum, ubi viri litigant, venit, & per ipsas feritas ponderosi, aut ponderosæ, effecti fuerint, sicut & modo factum audivimus, componat medium precii ipsius masculi, tanquam si eum occidisset; & de fœmina simili modo medium precii, tanquam si fratrem ejus occidisset, excepto si plagas aut feritas fecerit, componat sicut anterius edictum continet.

IDEM.

V. Si quis dolose aut per superbiam, sicut & modo factum esse cognoscimus, mulierem aut puellam liberam sedentem ad necessitatem corporis sui, vel in alio loco ubi ipsa fœmina pro sua necessitate nuda esse videatur, pungere aut percutere præsumpserit, componat ad mundualdum ejus solid. LXXX. si aldius aut servus fuerit, qui hoc facere præsumpserit, componat dominus ejus solid. XL. & ipsam personam, qui hoc malum fecerit, tradere debet in manus mundualdi ejusdem fœminæ.

IDEM.

VI. Annunciatum est nobis, quod aliquis perversus homo, dum se quædam fœmina in fluvio

lavaret, & pannos ejus quos ibi habuerit totos tulisset, & ipsa remansisset nuda, & qui ibant & transibat per locum illum pro peccatis videbant turpitudinem ejus, ipsa autem in ipso fluvio semper stare non poterat, reverti autem ad casam suam nuda erubescebat. Providè statuimus, quod qui talem illicitam præsumptionem fecerit, componat eidem fœminæ, cui talem turpitudinem illicitam fecerit, ipse guidrigild suum, ideoque hoc dicimus, quia si invenisset eam frater, aut vir, aut propinquus parens eidem fœminæ scandalum committeret, & qui superare potuisset unus alterum interficeret; propterea melius est, ut se vivo componat guidrigild in suum, quam de morte crescat fayda inter parentes, & compositio fiat.

IDEM.

VII. Si quis invenerit liberam puellam aut mulierem per campum suum seminatum ambulantem, & viam indicantem, pignoret eam, & parentes aut mundualdus, componat pro ipsa puella solid. VI. sicut lex est. Nam si ipsam comprehendere præsumpserit, & ad casam suam ligatam aut submanicatam adduxerit, componat solid. C. medium Regi, & medium cujus causa est. Sic tamen, ut illa compositio de VI. solid. in illa compositione computetur. Quia si pullatus fuerit ille, in cujus mundio est mulier aut puella, quod asto animo & iniquo, fœminam ipsam ambulare per laborem alterius fecisse, ut ei componeret; tunc præbeat sacramentum, quod cupiditatem habendo de compositione ista, & asto animo per laborem ipsius, ipsam fœminam ambulare non fecisse, nec damnum asto animo faciendo; & si juraverit, tunc ipse, quod eam comprehendere præsumpserit, componat solid. C. & si jurare non poterit, parentes aut mundualdus ipsius fœminæ, ut supra dictum est, componat solid. VI. pro via indicata, & ille, qui eam comprehenderit, sit absolutus à culpa.

REX ASTULPHUS.

VIII. Pervenit ad nos, quod quidam, dum ad suscipiendam sponsam cujusdam sponsi, cum paranymphis aut trotingis ambularent, perversi homines aquam sordidam & stercora super ipsam jactasse. Sed quia cognovimus malum hoc per singula loca fieri, providimus, ne pro hac causa scandala & homicidia surgant. Si quæcunque liberæ mulieri talem rem facere præsumpserit, componat solid. DCCCC. medium Regi, & medium mundualdo. Nam si homines pertinentes sine voluntate domini sui hoc fecerint, & dominus per sacramentum se purificaverit, quod per ejus consilium non fuisset factum, servi ipsi tradantur in manus de mundualdo ejus, & ipse faciat de iis quod ei placuerit, & amplius patronus non calumnietur. Quod si jurare non poterit, componat, ut supra dictum est, solid. DCCCC.

TIT. XVIII.

De aggressione in vico facta, & de collectionibus.

REX ROTHARIS.

I. Si quis pro injuria sua vindicanda, super quemcunque hominem manu armata aut cum exercitu usque ad IV. homines in vicum intraverit, ille pro illicita præsumptione moriatur, aut componat solid. DCCCC. medium Regi & medium ei, qui injuriam passus est, & illi, qui cum ipso fuerint, si liberi sunt, unusquisque componat solid. LXXX. medium Regi, & medium ei qui injuriam passus. Excepto si in ipso vico casam incenderit, aut hominem occiderit, secundum quod appreciatus fuerit ita componatur illi, cujus casa fuerit incensa, aut parentes, aut servus occisus fuerit.

IDEM.

II. Si servi, per consilium rusticanorum, manu armata in vicum intraverint ad malum faciendum, & quicunque homo liber, sub Regni nostri ditione positus, cum illis consiliatus in capite fuerint, animæ suæ incurrat periculum, aut certe componat solidos DCCCC. medium Regi, & medium ei cui injuria illata fuerit. Servi enim, qui eum ipso sunt ex eodem consilio, unusquisque componat solid. XL. medium Regi, & medium cui supra diximus. & si liber homo in capite non fuerit, ille prior servus, qui eos conduxit moriatur: servi vero reliqui, qui cum eo fuerint, ex eodem consilio, unusquisque servus XL. solid. pro eo componat, medium Regi, & medium cui malum fecerit.

IDEM.

III. Si pro quacunque causa homines rusticani se collegerint, id est, consilium & seditionem facere præsumpserint, & cuicunque se anteposuerint, aut mancipium aut peculium de manu tulerint; quod de casa servi sui dominum tollere voluerint, tunc ille qui in capite fuerit ex ipsis rusticis moriatur, aut animam suam redimat quantum appreciatus fuerit, & unusquisque quod in ipsam seditionem cucurrerit ad malum faciendum, componat solid. XII. medium Regi & medium cui injuria illata fuerit, aut se anteponeret præsumpserit. Et si ille, qui rem suam quærere aut exigere videatur, ab ipsis rusticis feritas aut plagas factas habuerit, sicut superius statutum est, ei componatur. Nam pro præsumptione tantum pœnam suprascriptam patiatur. & si aliquis ex ipsis rusticis occisus fuerit, non requiratur, quia ille qui eum occiderit se defendendo, & res suas vindicando hoc egerit.

REX LUITPRANDUS.

IV. Si homines in uno vico habitantes aliquam intentionem inter se habuerint de terra, vinea,

vinea, prato, aut sylva, vel de alia re, & collegerit se una pars cum virtute, & dixerit; eamus & expellamus eos de ipso loco per virtutem foras, & ambulaverint, & scandalum ibi commissum fuerit, & plagæ vel feritæ factæ, aut homo occisus fuerit; ita decernimus, ut plagas aut feritas & hominem mortuum secundum anterius edictum, quod gloriosissimus Rex ROTHARIS, vel Nos instituimus, componat. Sed pro illicita præsumptione de ipsa collectione componat solid. XX. ad illam partem, quæ in campo, aut in vinea, vel prato, aut in sylva suum laborem faciebat. Quia autem ideo statuimus, ut nullus præsumat malas causas in quolibetcunque loco excitare aut facere, & non potuimus causam istam assimilare ad arascild, nec ad consilium rusticanorum vel ad seditionem, & plus nobis congruum paruit esse de consilio malo, id est, de consilio mortis; quia quando se colligunt & super alios vadunt pro peccatis, ad id vadunt, ut faciant malum, aut si casus evenerit, ut hominem occidant & plagas aut feritas faciant; ideo, ut diximus, assimilavimus causam istam ad consilium mortis, quod est, sicut supra diximus, solid. XX.

IDEM.

V. Relatum est nobis, quod aliqui perfidi homines & in malitia astuti, dum per se, ut præsumpsissent, manu forti aut violento ordine intrare in vicum aut in casas alienas timentes, illas compositiones, quæ in edicto antiquo compositæ sunt, fecerunt colligere mulieres suas, quascunque habuerunt, sive liberas, vel ancillas; & miserunt super homines, qui minorem habebant virtutem, & apprehendentes homines de ipso loco & plagas fecerunt, & aliqua mala violento ordine plus crudeliter quam viri exercuerint. Dum autem hoc ad nos pervenisset, & homines ipsi pro sua violentia, qui minus poterant, interpellabant, ita prospeximus in hoc edicto, ut semel modo affigere, ut si à modo mulieres hoc facere in qualicunque loco præsumpserint, primum omnium decernimus, si aliquam injuriam aut opprobrium vel plagas, aut feritas, aut mortem ibi acceperint, nihil ad ipsas mulieres, vel ad viros, aut ad mundualdos earum componant illi, qui se defendendo aliquam eis fecerunt læsionem aut interemptionem. Insuper & publicus, qui est in loco ubi factum fuerit, comprehendat ipsas mulieres, & faciat eas decalvare, & tultare per vicos civitatis ipsius loci, ut cæteræ mulieres talem malitiam facere non præsumant. Et si in ipsa casa feritas aut plagas ipsæ mulieres cuicunque homini fecerint, mariti componant ipsas plagas aut feritas quas ipsæ fecerint, secundum tenorem edicti. Hoc autem ideo prospeximus, tam de disciplina, quam de compositione, quia non possumus mulierum collectionem ad arascild assimilare, neque ad seditionem rusticanorum, quia viri istam causam faciunt, non autem mulieres; & ideo de ipsis mulieribus fiat, sicut supra statuimus.

IDEM.

VI. Si quidem simpliciter in scandalum qualiscunque mulier cucurrerit, & mortem aut feritas vel plagas ibi acceperit, sic fiat justitia sicut decessor noster ROTHARIS Rex instituit vel judicavit.

Imp. CAROLUS.

VII. De Sacramentis per guildioniam adinvicem conjurandis, ut nemo facere præsumat; alio vero modo de illorum alimoniis, aut de incendio, aut de naufragio quamvis convenientiam faciant, nemo in hoc jurare præsumat.

Imp. LUDOVICUS.

VIII. Si servi per contumaciam, collecta multitudine, vim intulerint alicui, id est, aut homicidium, aut incendium, aut qualecunque damnum fecerint, domini eorum, quorum negligentia evenerit, hoc, pro eo quod constringere voluerint, ut talia facere non audeant, bannum nostrum solvere cogantur.

Imp. LOTHARIUS.

IX. Volumus de obligationibus, ut nullus per sacramentum nec per aliam obligationem ac adunationem faciat. & si hoc facere præsumpserit, tunc ille, qui prius consilium inchoavit, & hoc factum habet, in exilio ab ipso Comite in Corsicam mittatur, & illi alii bannum componant. & si talis fuerit qui non habeat unde componat, LX. ictus accipiat.

IDEM.

X. Collectam ad malum faciendum omnibus modis prohibemus fieri, ut ubicunque huiusmodi præsumptiones factæ fuerint, digna emendatione corrigantur. & si per negligentiam Comitis factæ sunt, vel non emendatæ remanserint, hoc ad nostram notitiam perferatur. Autor vero facti, si fuerit Advocatus vel præpositus, sive seculdius, vel qualibet alia dignitate præditus libera persona, post legalem emendationem in loco factam sub fidejussoribus, ad nostram præsentiam veniat; multitudo vero, de liberis sive de servis sit, legitima emendatione mulctetur.

IDEM.

XI. De conspirationibus considerandum est, ut quicunque facere præsumpserit, & per sacramentum quamcunque conspirationem confirmaverit, triplici ratione judicentur. Primo, ut ubicunque tale malum perpetratum fuerit, autores facti interficiantur; adjutores vero eorum singuli alter ab altero flagellentur, & capillos suos vicissim, & nares suas invicem præcidant. Ubi vero nihil mali perpetratum est, similiter inter se flagellentur, & capillos suos vicissim detundant. Si vero per dexteram aliqua conspiratio firmata fuerit, si liberi sunt, aut jurent cum idoneis juratoribus, hoc per malum non feciſſe, aut si facere non potuerunt, suam legem componant. Si vero servi fuerint, flagellen-

tur, ut de cætero in Regno modo nulla hujusmodi conspiratio fiat, nec per sacramentum, nec sine sacramento.

TIT. XIX

De seditione contra Judicem vel civitatem levata.

REX LUITPRANDUS.

I. Si quis sine voluntate Regis in qualicunque civitate contra Judicem suum seditionem levaverit, aut aliquod malum fecerit, vel eum sine jussione expellere quæsierit, aut alteri homines de altera civitate, contra aliam civitatem, aut alium Iudicem, ut supra, sine Regis jussione fecerint, aut eum expellere quæsierint; tunc is, qui in capite fuerit, animæ suæ incurrat periculum, & omnes res suæ ad palatium deveniant; reliqui vero homines, qui cum illo in malo consentientes fuerint, unus quisque componat in palatio guidrigild suum. Et si casam cujuscunque brutaverint, aut res eorum tulerint, qui eam palatio tenent, aut ipsis qui fidem in palatio conservant, componat omnes res ipsas cui eas tulit in octogild, & guidrigild suum, ut diximus, componat in palatio. Hoc autem omnino providimus in præsenti edictipagina scribere, ut malum vitium accrescat, sed amputetur, ut omnes in pace & gratia Dei & Regis vivere valeant.

REX RACHIS.

II. Cognovimus enim, quod per singulas civitates mali homines, & tanas, id est, adunationes contra judicem suum agentes faciunt. Sed ita statuimus, ut si amodo quicunque homo adunationem cum IV. vel V. aut amplius hominibus fecerit, dicendo, quod voluntatem Iudicis sui non faciat, & quod ille recte dixerit, aut ad ejus judicium non vadat, confidens in alicujus patrocinio, & alios & circa se aggregare voluerit, ut ipsi similiter faciant, componat, sicut anterius edictum, *de seditione contra judicem levata*, continere videtur. Si vero de causa Regis aliquid dicere voluerit, si ei licentia veniendi ad palatium, & si supra quam dixerit veritatem approbaverit, suscipiat sententiam secundum qualitatem causæ, sicut anterius dictum continet, & si veritatem approbare non potuerit, hæc ei datus in manibus cum rebus suis, & faciat de eo quod voluerit. Violentiam quidem si sustinuerit aliquis à Judice suo, aut ab alio homine, & Judex neglexerit judicare, aut forsitan attenderit ad gasindium, aut ad parentes, aut ad amicum suum, vel ad præmium, & legem non indicaverit, tunc veniat ad palatium, & reclamet suam violentiam, & si probatum fuerit, non computetur in adunatione ei qui proclamaverit, sed ipse Judex componat guidrigild suum, medium Regi, & medium cui justitiam dene gavit & honorem suum amittat. Arimannus ille quidem, si mentitus fuerit & dolose hoc egerit, si ante venerit ad palatium, quam ad judicis sui vadat judicium si habuerit unde componere possit, componat solid. I. medium Regi, & medium judici suo, & si talis homo fuerit, quod non habeat unde componere possit, accipiat disciplinam ut emendatus fiat, & ut alij facere hoc non præsumant.

TIT. XX.

De damno in via dato, & de incendio.

REX ROTHARIS.

I. Si quis casam alienam asto animo, quod est voluntarie, incenderit, in triplo eam, quod est sibi tertia sub æstimatione precij cum omnibus, quæ ibi cremata fuerint (secundum quod vicini homines bonæ fidei appreciaverint) restauret, & si aliqua de hoc, quod intrinsecus crematum est, orta fuerit intentio, tunc ille, qui damnum pertulit, juratus dicat, quantum in eadem casa perdiderit, & omnia, ut dictum est, in triplo restaurentur ab illo, qui hoc damnum voluntarie perpetraverit.

IDEM.

II. Si quis focum super novem pedes à foculare portaverit, & damnum ex ipso foco sibi aut alteri factum fuerit, ipse qui focum fecit, damnum ferquidum, id est, similem componat, ideo quia volendo fecit; & intra ipsos novem pedes de foculare damnum fecerit, sibi aut alteri non requiratur.

IDEM.

III. Si quis focum in itinere fecerit, antequam egrediatur, extinguat eum & non negligenter dimittat. Nam si contigerit post egressum ipsius alicui ex ipso foco damnum aut læsionem fieri, ipse qui focum fecerit, & negligenter eum dimisit, damnum sicut appreciatum fuerit, componat tantum; sic tamen ut post relictum focum à qua hora reliquerit, usque ad aliam talem horam diei aut noctis computetur, quæ sunt horæ XXIV. Nam si contigerint transire ipsum focum super publicam viam aut civum, si damnum fecerit, non requiratur ei qui focum dimisit.

IDEM.

IV. Si quis molinum alterius asto animo incenderit, id est, voluntarie, in triplum eum restituat sub æstimatione precij cum omnibus, quæ intus cremata sunt.

IDEM.

V. Si quis molinum alterius scapellaverit, aut clausuram ruperit sine auctoritate judicis, componat solid. XII. illi, cujus molinum esse invenitur, & si judicem interpellaverit, & Judex dilaturit ipsum causam de liberare, aut licentiam dederit adverſæ parti ipsum molinum evertendi, componat solid. XX. in palatio Regis districtus ab autorizat.

IDEM.

IDEM.

VI. Si quis sepem alienam ruperit, id est, idreon, componat solid. VI.

IDEM.

VII. Si quis plonum, aut *ararum alienum iniquo animo scapellaverit, componat solid. III. & si furatus fuerit, componat in octogildt.

VIII. Si quis vitem alienam de una fossa asto animo scapellaverit, componat solid. I. si autem succiderit, componat solid. III.

IDEM.

IX. Si quis tranicem de vite aliena inciderit, componat medium solidum.

IDEM.

X. Si quis roborem, aut certum, seu quercum, quod est modula iscol, aut glandem, quod est, faia, inter agrum alienum, aut inter culturam vel clausuram in cuius vicino inciderit, componat pro arbore tremisses duos. Nam si iterans homo propter utilitatem suam foris clausuram scapellaverit, non sit ei culpa.

IDEM.

XI. Si quis castaneam, nucem, pirum, aut malum inciderit, componat solid. III.

IDEM.

XII. Si quis olivam scapellaverit, aut succiderit, componat solid. III.

IDEM.

XIII. Si homo aut quodlibet peculium in sepe alterius testa cum vimine se impinserit, & mortuus aut aliquam læsionem passus fuerit, tunc ille qui sepem ipsam miserit, & componat majus aut minus de vimine foris dimiserit, ipse sit culpabilis homicidii aut læsionis.

IDEM.

XIV. Si quis caballum aut quodlibet peculium in clausura alterius intus saliendo se impalaverit, non requiratur ab ipso cujus sepis est. & si ab infra foras saliendo se impalaverit, tunc ille cujus sepis esse invenitur, eum componat, & si damnum infra ipsam clausuram fecerit, componat ei cujus clausura est.

IDEM.

XV. Si quis fossatum circa campum suum fecerit, & caballus, aut quodlibet pecus inciderit, aut homo periclitaverit, non requiratur ab ipso cujus fossatum esse invenitur; quia pro salvatione campi sui fecit; nam non dolose tractaverit; & si eum occulte cooperuit, & damnum factum fuerit, componat ipse qui occulte fecit.

IDEM.

XVI. Si animal in puteo alterius ceciderit, & mortuum aut debilitatum fuerit, non requiratur cuius puteus est, quia putei aqua communis omnium est utilitas.

IDEM.

XVII. Si quis cervum domesticum alienum intricaverit, qui non fugit, componat domino ejus solid. VI. nam si furatus fuerit, reddat in octogild.

IDEM.

XVIII. Si quis cervum domesticum, qui tempore suo rugire solet, instringaverit, componat domino ejus solid. XII. nam si furatus fuerit, reddat in octogild.

IDEM.

XIX. Si quis ancipitrem, grucm, aut cignum domesticum alienum intricaverit, componat solid. VI.

IDEM.

XX. Si quis peccatis imminentibus homo rabiosus aut dæmoniacus factus fuerit, & damnum fecerit in homine aut quolibet peculio, non requiratur ab heredibus ejus, & si ipse occisus fuerit, simili modo non requiratur, tantum est ut sine culpa non occidatur.

IDEM.

XXI. Si quis se vindicando occiderit canem alienum cum spata, aut virga, aut quibuslibet armis, manutenendo, non requiratur, tantum est ut ipsa virga talis inveniatur ut mediocris spata. Nam si post ipsum jactaverit, & cum occiderit, reddat ferquidum, id est, similem.

IDEM.

XXII. Si quis canem alienum nocte aut die damnum facientem invenerit in casa sua, si eum occiderit, non requiratur, & si occisus non fuerit, damnum quod fecerit, dominus reddat.

IDEM.

XXIII. Si quis percusserit equam prægnantem, & abortum fecerit, componat solid. III. si autem ex ipsa percussura mortua fuerit, componat eam, simul & quod in utero ejus mortuum est.

IDEM.

XXIV. Si quis percusserit vaccam prægnantem, & abortum fecerit, componat tremissem unu. & si mortua fuerit, reddat eam qualiter appreciata fuerit, simul & pecus.

IDEM.

XXV. Si quis percusserit ancillam gravidam, & abortum fecerit, componat solid. III. si autem ex ipsa percussura mortua fuerit, componat eam, simul & quod in ejus utero mortuum est.

IDEM.

XXVI. Si quis caballo alieno aurem, vel oculum excusserit, aut aliquam læsionem corporis fecerit, recipiat ipsum qui læsus factus est, fecit, & reddat ei ferquidum.

IDEM.

XXVII. Si quis caballo alieno caudam capellaverit, id est, setas traxerit, componat solid. VI.

IDEM.

XXVIII. Si quis caballum alienum plagaverit, aut aliquam læsionem fecerit, tunc dominus caballi reddat ipsum caballum illi homini qui læsionem fecit, ut ipse eum sanet; & dum ipse sanare potuerit, dum illi suum proprium caballum, qualiter utilitatem suam faciat. Et si ipse caballus, qui læsus fuerit, ad pristinam redierit sanitatem, reddat ipsum proprio domino; si autem ex ipsa læsione mortuus fuerit, reddat alium similem. Et si contigerit, ut ipse caballus, qui pignoratus est, apud ipsum moriatur, tunc satisfaciat ille, qui pignoratum habuit, si pulsatus fuerit, quod non per neglectum mortuus fuerit, & postea nulla sit repetitio.

IDEM.

XXIX. Si quis caballos aut armenta asto animo in messem alienam, aut in pratum miserit, aut in quodlibet damnum, componat unum solid. pro capite, excepto damno, sicut appreciatum fuerit, aut loci consuetudo est. Sic tamen si pastor non ausus fuerit jurare, quod asto animo non misisset; & si juraverit, sit absolutus à culpa.

IDEM.

XXX. Si quis campum alienum asto animo cum peculio suo deleverit, aut spicas manibus evulserit, componat solid. VI.

IDEM.

XXXI. Si quis porcos aut pecora asto animo in damnum alterius miserit, si ausus non fuerit jurare, componat solid. I. excepto damno.

IDEM.

XXXII. Si quis cassinam aut tectum alienum foris in curte, ubi viri non habitant, dum intentio est, de terra disturbaverit, aut in terram jactaverit, & terram suam sicut lex habet convincere non potuerit, restauret ipsam cassinam, & componat aliam talem sub æstimatione precij. Nam si casam, ubi viri habitant, disturbaverit, componat sicut in hoc edicto legitur, id est, sibi tertiam.

REX LUITPRANDUS.

XXXIII. Si quis stalariam alterius capellaverit, componat ei, cujus stalaria fuerit, solid. VI.

IMP. LODOVICUS.

XXXIV. Volumus ut si quælibet persona in finibus Regni nostri ignem in sylva comminate ausa fuerit, diligenter inquiratur, & si servus comprobatus fuerit hoc fecisse, dominus ejus ad flagellandum & caput tondendum tradat, ut pro eo quicquid damni fecerit emendare cogatur. Si aliqua libera persona hoc fecisse probata fuerit, emendare cogatur; & in super bannum nostrum componat. & si non habuerit unde componat, flagelletur. Quod si factum fuerit, per meliores illius loci inquiratur, & si in qualibet persona suspectio fuerit: Si servus est, aut dominus ejus mittat eum ad judicium, aut ipsum pro eo sacramentum faciat; quod si libera persona fuerit, proprio sacramento se idoneam reddat.

TIT. XXI.

De eo qui cum armis alterius damnum fecerit.

REX ROTHARIS.

I. Si quis alii arma sua simpliciter præstiterit, & ille qui acceperit aliquod malum cum ipsis fecerit, non reputetur illi culpa qui præstiterit, sed ei qui malum cum eis perpetraverit. Et è contrario, si ille qui præstiterit consensum ad malum faciendum adhibuit, collega sit illi ad ipsum malum sanandum.

IDEM.

II. Si quis sua auctoritate arma alterius tollere præsumserit, & malum cum eis fecerit, non sit illi culpa cujus arma sunt: sed illi qui cum eis malum fecerit.

TIT. XXII.

De pauperie.

REX ROTHARIS.

I. Si quis canes alienos clamaverit aut incitaverit, & damnum fecerit in homine, aut in peculio, non reputetur illi culpa cujus canes sunt, sed illi qui eos incitaverit.

IDEM.

II. Si canis, aut caballus, aut quodlibet peculium rabiosum factum fuerit, & damnum fecerit in homine, aut in peculio, non requiratur à domino, & qui ipsum occiderit, simili modo non requiratur, ut supra.

IDEM.

III. De quadrupedibus, si in homine, aut in peculio damnum fecerit, ipse componat damnum, cujus fuerit pecus.

IDEM

IDEM.

IV. Si caballus cum pede, bos cornu, damnum fecerit, vel si porcus cum dente hominem instricaverit, aut si canis mordierit, excepto, ut supra, rabiosus fuerit, ipse damnum aut homicidium, cujus animal fuerit, cessante faida in hoc capitulo, quia mutata res fecit, non hominis studium.

IDEM.

V. Si quis præstitum aut conductum habuerit caballum, vel bovem aut canem, vel quodlibet peculium, & dum in ipso beneficio & conductura est, homicidium fecerit aut damnum, non requiratur proprio domno, sed illi qui conductum aut præstitum habuit, & ipsum homicidium aut damnum componat.

IDEM.

VI. Si animal alicujus, alienum animal occiderit, aut instricaverit, id est, bos bovem, aut quodlibet peculium: tunc dominus, qui suum animal instricatum invenerit, aut forsitan jam marcidum aut minuatum, jubemus ut consignet, ipsum marcidum aut intricatum illi, cujus animal eum instricavit, & similem, qualem in illa die fuerit fractum vel fragilitatum, recipiat ab ipso, cujus animal hoc fecerit.

REX LUITPRANDUS.

VII. Item relatum est nobis, cum quidam homo præstitisset jumentum suum alteri homini ad vecturam, & pullus indomitus secutus fuerit matrem suam; dum autem per viam ambulasset, congit ut infantes in quodam vico stantes ipse pollenus calce percussisset, & unus ex eis mortuus est. Dum autem parentes requirerent mortem infantuli, & nobis retulissent, ita prospeximus cum nostris judicibus, ut duas partes precii, quantum ipse valuerit infans, componat ille cujus pollenus fuit, & tertiam componat ille, cui jumentum præstitum fuerit. Nam nos scimus, quod in anteriori edicto legitur, si caballus cum calce damnum fecerit, dominus ejus restituat ipsum damnum: sed quia iste præstitus fuerit, & ipse qui eum suscepit in præstito rationalis homo fuit, & potuit dicere, si neglectum non habuisset, ad ipsos infantes ut se custodirent, ut hoc malum non perveniret: ideo pro ipsa negligentia eis justum diximus, ut tertiam partem precii componant.

TIT. XXIII.

De venato, & damno quod per eos acciderit.

REX ROTHARIS.

I. Si quæ vera ab homine plagata fuerit, & in ipso furore hominem occiderit, aut quodlibet damnum fecerit, tunc ipse qui plagaverit, ipsum homicidium aut damnum componat, sub ea videlicet observatione, ut tamdiu intelligatur culpa esse venatoris, quam diu secutus fuerit, aut canes ipsius. Nam si ipsam feram postposuerit, & se ab ea tornaverit, postea quod fera ipsa damnum fecerit, non requiratur ab ipso, qui plagaverit aut incitaverit.

IDEM.

II. Si in pedica aut in tanola fera tenta fuerit, & in homine aut in peculio damnum fecerit, ipse componat qui pedicam misit.

IDEM.

III. Si quis super feram ab alio plagatam, aut in tanola tentam, aut à canibus circumdatam, itet suum postposuerit, & volens eam lucrari super eam se miserit, & ab ipsa fera plagatus vel occisus fuerit, non requiratur ab ipso qui plagaverit vel incitaverit, sed suæ culpæ reputet & audaciæ, quia cum auctoritate sua, lucrandi animo, seu super eam misit.

IDEM.

IV. Si quis feram alienam vulneratam, aut in tanalo tentam, aut à canibus circumdatam invenerit, aut forsitan mortuam, aut ipse occiderit & salvarit, & bono animo manifestaverit, liceat de ipsa fera tollere dextrum a latus cum sex costis, a al. dextrū animum cum VII. costis.

IDEM.

V. Si quis feram ab alio plagatam, aut forsitan mortuam, invenerit & celaverit, componat solid. VI, illi qui eam plagavit.

IDEM.

VI. Si cervus aut quælibet fera, ab aliquo homine sagittata fuerit, tamdiu illius esse intelligatur qui eam sagittaverit, usque ad aliam talem horam diei aut noctis, quæ sunt horæ XXIV. quando eam postposuerit & se ab ea tornaverit. Nam qui eam post transactas horas prædictas invenerit, non sit culpabilis, sed sibi habeat ipsam feram.

IMP. CAROLUS.

VII. Ut nemo pedicas in foresto dominico, nec in quolibet regali loco tendere præsumat. Et si ingenuus hoc perpetraverit, bannum dominicum solvat: & si servus est, dominus illius emendet, sicut lex est.

TIT. XXIV.

De eo qui peculium in damno invenerit.

REX ROTHARIS.

I. Si quis caballum alienum, aut quodlibet peculium, damnum sibi facientem invenerit ipsumq;

in curte clauserit, & non venerit certus dominus qui eum cognoscat; tunc ille, qui eum in damno invenerit, ducat eum ad Judicem qui in loco ordinatus est, aut certe ante Ecclesiam in conventum usq; ad quartam, vel quintam vicem, & omnibus voce præconia innotescat, quia caballum invenit, & nescio cujus sit; & si non venerit, qui eum cognoscat, jubemus ut ille, qui invenerit caballum custodiat eum tanquam suum proprium. Et si mortuus fuerit, signa de corio conservet, ut cum venerit certus dominus, habeat quod ei ostendat. Et si ista neglexerit, & inventum fuerit, sibi novum reddat; & si istam cautelam observaverit, sit absolutus a calumnia.

IDEM.

II. Si quis peculium de damno suo ad clausuram minaverit, & ille cujus peculium est, ei ante steterit, componat solid. I. excepto damno sicut arbitratum fuerit. Et si in curte minaverit, ille cujus peculium est roget eum ut reddat illi, sic tamen ut det ei pignus per ultimum valens siliquas III. aut certe fidejussorem sub tali titulo, ut damnum quod arbitratum fuerit componat, aut secundum fabulam qualiter intra vicinos ipsos est, & si pignus suscipere noluerit, & una nocte apud se peculium habuerit, componat solid. I. & si ille cujus peculium est, tenens duritiam cordis, id liberare despexerit, tunc habeat ille id peculium qui in damno invenerit, & per novem noctes aquam ei tantum det, & de damno in hoc sit contentus, eo quod novem noctes ipsum peculium tenuit. & si ei ipsis peculiis aliquod mortuum fuerit, suæ negligentiæ reputet. qui dispignorare neglexerit.

IDEM.

III. De porcis, si in esca alterius paverint, & inventi fuerint; Si minus sunt X non occidantur, nec unus de ipsis, sed ille qui eos invenerit, teneat unum ex ipsis & habeat salvum, & componantur ei per porcos siliquis ///. nam si supra X. fuerint, aut usque ad decem, unus mediocris occidatur & non requiratur. Nam si minus decem fuerint, & occiderit unum, reddat ferquidum, id est, similem.

REX LUITPRANDUS.

IV. Si quis in prato porcos fossas facientes invenerit, unum aut plures, occidatur unus tantum, & non requiratur.

IDEM.

V. Si quis currum & boves in sylva sua invenerit, & ligna super eum imposita, aut qualicunque re oneratum, & ipsos boves aut currum comprehenderit, & ad propriam domum suam duxerit, non sit culpabilis pro eo, quod in rebus suis invenerit.

IDEM.

VI. Si quis caballum alienum in suum damnum invenerit, & juxta anterius edictum ad clausuram minandi, & illam rationem fecerit, qua anterius edictum continet, sic exinde procedat judicium, sicut gloriosissimus REX ROTHARIS instituit. Nam si in ipso caballo amplius aliquid facere præsumserit, quam in anteriori edicto legitur, si ipse caballus nihil mali passus fuerit, componat pro illicita præsumptione, juxta qualis ipse caballus fuerit, medium precij, quantum ipse caballus appreciatus fuerit, & ipsum caballum restituat sanum domino ejus. Nam si ipse caballus mortuus fuerit, aut læsus sit, componat sicut in anteriori edicto legitur, & insuper pro illicita præsumptione componat, ut supra.

IDEM.

VII. Si quis porcos in sylva aliena defensata miserit, sicut anterius edictum continet, usque ad X. porcos, & occiderit porcum unum, sic sit sicut in anteriori edicto continetur. Si quidem tantum decem invenerit, & plus occiderit quam edictum habet, componat cum in octogild, sicut qui res alienas malo ordine tollit. Nam si ille homo tollit ipsos porcos, & amplius miserit asto animo suos aut alienos in defensata sylva, quam quod edictum habet; & ille, cujus sylva est, occiderit ex ipsis plus quam edictum continet, non requiratur. Et si ille, qui porcos misit, jurare præsumpserit, quod asto animo non misisset sine voluntate ipsius domini, reddat ille qui occidetit ipsos porcos ferquidos. Et ille pastore suo similiter juraverit, similiter reddat. Nam si de pastore suo de asto animo jurare non potuerit, medium reddat, & medium reputat sibi, quia servum habuit indiscipinatum.

TIT. XXV.

De homine in curte aliena noctis tempore invento, & de curtis ruptura.

REX ROTHARIS.

I. Si noctis tempore homo liber in curte alterius inventus fuerit, non dans manus ad ligandum, occidatur, & à parentibus non requiratur. Et si manus dederit ad ligandum, & ligatus fuerit, debet pro se solid. LXXX. quia non convenit rationi, ut homo noctis tempore in curte aliena silentio aut absconse ingrediatur, sed qualemcunque utilitatem habet, antequam intret, clamet.

IDEM.

II. Si servus in curte aliena noctis tempore inventus fuerit, & non dans manus ad ligandum, si occisus fuerit, non requiratur à domino suo: & si manus dederit & ligatus fuerit, liberet se cum XL. solid.

IDEM.

III. Si quis in curte alterius irato animo sagittaverit, aut lanceam jactaverit, aut de foris alium plagaverit intra curtem, componat solid. XX. excepta compositione plagarum aut feritarum, si fecerit, sicut in hoc edicto legitur, persolvatur.

IDEM

IDEM.

IV. Si quis in curte aliena asto animo, id est, irato animo, ingressus fuerit, XX. sol. illi componat, cujus curtis fuerit.

V. Mulier curtis rupturam facere non potest, quod est oberos, quia absurdum esse videtur, ut mulier libera aut ancilla, quasi vir cum armis vim facere possit.

IDEM.

VI. Si quis peculium suum de clausura aliena tulerit occulte, & non rogaverit, componat curtis rupturam, id est, oberos. solid XX.

TIT. XXVI.

De furtis & servis fugacibus: de advenis hominibus, & si quis eis auxilium præstiterit.

REX ROTHARIS.

I. Si quis per murum castri aut civitatis, sine notitia judicis sui, exierit aut intraverit; si liber est, sit culpabilis in curte Regis solid. XX. si autem aldius aut servus fuerit, sit culpabilis in curte Regis solid. X. & si furtum fecerit, sicut in hoc edicto legitur, componat pœnam furti.

IDEM.

II. Si liber homo furtum fecerit, & in ipso furto tentus fuerit, id est, flagrandi: si furtum ipsum usque ad X. siliquas fuerit, sibi novum reddat, & componat pro tali culpa LXXX. solid. aut animæ suæ incurrat periculum.

IDEM.

III. Si quis servus furtum fecerit, & tentus fuerit in ipso furto usque ad X siliquas, sibi novum reddat, & componat pro tali culpa solid. XL. aut certe occidatur.

IDEM.

IV. Si quis per proditorem, id est, per certum indicatorem, furtum invenerit, sibi novum reddat, qui furtum fecerit.

IDEM.

V. Si servus, dum in fuga est, furtum aut damnum fecerit, & in ipsa fuga foris provinciam migraverit, & non redierit; tunc dominus servi medium pro ipsa re, quam furatus fuerit aut damnum si fecerit restituat. Nam si regressus fuerit in potestate domini sui, tunc de quanto tulerit, tantum dominus ejus in integrum reddat. cessante in hoc capitulo pœna furti, eo quod in fuga fuerit.

IDEM.

VI. Si mulier libera sulfreal super furtum comprehensa fuerit, furtum quod fecerit sibi novum reddat. nam alia culpa non requiratur, pro eo quod injuriam suam passa est, & vitio suo reputet, quia operam indecentem facere tentarit.

IDEM.

VII. Si aldia aut ancilla super furtum tenta fuerit, componat dominus earum furtum ipsum sibi novum, excepto pro culpa solid. XI.

IDEM

VIII. Si liber homo puerum aut servum furtum facere jusserit, & ipsum furtum inventum fuerit, sibi novum componat, & alterum tantum in curte Regis persolvat, quia in honestum esse videtur & nulli convenit rationi, ut homo liber debeat in furtum se commiscere, aut consensum præbere.

IDEM.

IX. Si quis aurum, aut vestem, aut quamlibet rem in viam invenerit, & super genuculum levaverit, & non manifestaverit, aut ad judicem non dixerit, sibi novum reddat.

IDEM.

X. Si servus ancillam alienam habens uxorem furtum fecerit, & ancillam & filios servus alienus nutrierit, omne furtum quod fecit componat. nam nihil computetur in damnum nec in culpam illius ancillæ vel filiorum eius; tantum est, ut ancilla & filij similiter cum patre ad furtum faciendum non ambulaverint. nam si fecerint, similem illi efficiantur.

XI. Si servus, dum in fuga est positus, res aliquas cuicunque homini commendaverit, & postea proprius dominus requisiverit eas, & ille qui susceperit denegaverit, & postea inventum fuerit, pro furto eas reddat.

IDEM.

XII. Si plures homines furtum in unum fecerint, tam liberi, quam servi, liceat eis si voluerint se adjuvare, & furtum ipsum in octogild reddere; & si ex ipsis se subtraxerit, pro se tantum legibus componat, id est, furtum sibi novum reddat.

IDEM.

XIII. Si liber aut servus voluerit foris provinciam fugere, & Judex, aut quicunque in loco aut finibus provinciæ residet eum comprehenderit, teneat eum, & res (quas secum tulerit) salvas faciat, & mox mandet ad Judicem de loco unde fugere cœpit, quatenus eum recipiat, & det pro uno fugace solid. II. ita ut cum rebus quas secum detulerit reddatur. & si contigerit fugere de ligamine, præbeat sacra-

ſacramentum ille qui eum tenuit, quod non aſto animo eum laxaſſet, ſed cum tota virtute cum ei diſſet, & poſt datum ſacramentum res quas ei tulerit reddantur; præhenſura autem non requiratur & amplius non calumnietur. Et ſi fugax ille manus ad ligandum non dederit, & occiſus fuerit, non requiratur, niſi tantummodo res, quas tulerit, reddantur; & ſi ille, qui fugacem hominem comprehendere voluerit, ab ipſo occiſus fuerit, non requiratur.

IDEM.

XIV. Si quis portunarium pulſaverit, quod fugacem hominem aut tranſiviſſet, & portunarius negaverit: ita decernimus, ut præbeat ſacramentum ſolus, quod ad conſcientiam ipſius non pervenerit, quod fugitivum hominem aut furem tranſpoſuiſſet, & ſit abſolutus à culpa.

IDEM.

XV. Si portunarius furem hominem ſciens tranſpoſuerit cum aliqua re furtiva, collega furis ſit, & cum eo ipſum furtum componat, excepto quod ſit de palibis in palatio Regis, ſolid. XX.

IDEM.

XVI. Si portunarius mancipium fugitivum ſciens tranſpoſuerit, ſi probatum fuerit, perquirat eum, & proprio domino cum rebus quas ſecum detulerit reſtituat. Et ſi ipſe fugax alibi tranſmigrat verit, ut non inveniatur, tunc portitor ipſum mancipium ſimul & res quas ſecum detulerit, de quanto auſus fuit jurare qui perdit, ab ipſo qui ſciens transpoſuerit, reddat ſub æſtimatione precii, excepto pro culpa componat ipſe portunarius in curte Regis ſolid. XX.

IDEM.

XVII. Si portunarius hominem liberum ſciens tranſpoſuerit fugacem; animæ ſuæ incurrat periculum, aut componat guidrigild ſuum: quia poſtquam cognovit quod fugax erat, ſi eum tenere non potuerit, mox innoteſcere aut antecurrere debuit.

IDEM.

XVIII. Si mancipium cujuſcunque poſt alium hominem fugeret, & dominus ſecutus invitaverit, ut in pace reddatur & in gratia; & ſi in pace redditum fuerit, & poſtea dominus pro ipſa culpa in eum vindictam dederit, componat ſolid. XX. illi de cujus curte id tulerit; & ſi non gaverit quod in eum pro ipſa culpa vindictam non dediſſet, præbeat ſacramentum ſingulus ad Evangelia, & ſit abſolutus à culpa.

IDEM.

XIX. Si ille, poſt quem mancipium alienum fugerit, & noluit id reddere poſt ſecundam & tertiam conteſtationem domino ſuo, tunc conſtrictus reſtituat ipſum mancipium, & aliud ſimile ſub æſtimatione precii componat.

IDEM.

XX. Si mancipium cujuscunque in curte Regis confugium fecerit, & gaſtaldius aut actor Regis poſt ſecundam & tertiam conteſtationem reddere dilataverit: ita decernimus, ut reddat ipſum mancipium, & aliud ſimile de ſuis propriis rebus domino cui dilataverit, reddere cogatur, & ſi ille, qui de curte Regia ipſum mancipium in gratiam recepit, & poſtea pro ipſa culpa in id vindictam dederit, componat in curte Regis, unde id tulerit ſolid. XL.

IDEM.

XXI. Si in Eccleſia aut in domo Sacerdotis mancipium cujuscunque confugium fecerit, & Epiſcopus aut Sacerdos, qui in eo loco præſt. id reddere in gratia poſt ſecundam & tertiam conteſtationem dilataverit, ita decernimus, ut reddat ipſum mancipium, & aliud ſimile de ſuis propriis rebus, ut ſupra. Et ſi in gratia redditum fuerit, poſtea quod dominus pro ipſa culpa in eum vindictam dederit, aut ſe idoneat, & ut ſupra, aut ſit culpabilis ipſi Eccleſiæ ſolid. XL. ita ut per Actorem Regis exigantur, & in ſacro altari ubi injuria facta eſt ponantur.

IDEM.

XXII. Si ſervus intra provinciam in fuga vagaverit, & dominus eum invenerit, & ſervus ipſe fugierit in curte aliena, & dominus ſequens eum apprehenderit, non reputetur culpa domino pro eo quod in curte alterius furorem in ſervum ſuum habens rem ſuam apprehendere viſus eſt. Et ſi ille, cujus curtis fuerit, aut aliquis ex hominibus illius mancipium de manibus ejus tulerit, aut anteſteterit, nullum penitus, qui ſequitur ſervum ſuum, in curte ipſa ſcandalum faciat, & ſi fecerit qualiter in hoc edicto legitur componat. Et qui anteſteterit aut ſervum de manu tulerit, in ipſius ſit periculum. Nam ſi talu faciente ipſum mancipium mori aut alibi aberrare contigerit, ipſe, qui eum de manu domini abſtulerit aut anteſteterit, reſtituat. Et ſi inventum fuerit, reddatur, & non cogatur dominus poſt talem fatigationem eum recipere in gratia, niſi voluerit.

IDEM.

XXIII. Si quis mancipium fugax in caſa ſua neſciente domino ſuper novem noctes habuerit, & contigerit ipſum mancipium, aliquid mali perpetrare, aut mori aut aberrare, ille quid id fuit cepent & celaverit, & mandare neglexerit; reddat ipſum mancipium aut precium ejus, & damnum quod fecerit ipſe componat, qui id apud ſe habuerit.

IDEM.

XXIV. Si mancipium poſt alium hominem confugium fecerit, id eſt, in faida, mox mandet nomino ipſius quam citius poterit aut per ſcriptum, aut per certum hominem, quatenus id in gratia recipiat. & ſi noluerit id recipere, & dilataverit & contigerit id alibi tranſmigrare, nulla culpa illi ſit, qui

prius

prius ipsum in casa sua habuerit. nam qui susceperit & non mandaverit, reddat ipsum mancipium & damnum cui fecerit, simul & operas.

IDEM.

XXV. Si quis mancipium alienum sciens fugax nescience domino susceperit, aut annonam dederit, aut ostenderit viam, aut transposuerit, & mancipium ipsum fuga lapsum in antea fugerit; ipse id perquirat, qui ei annonam dederit, aut viam ostendere præsumpserit. & si id non invenerit, reddat pretium mancipum, similiter & res quas secum portavit; & si inventum fuerit, reddat ipsum, simul & operas ejus.

IDEM.

XXVI. Si quis de lignario alterius lignum furatus fuerit, componat ei, cujus lignarium fuerit, solid. VI.

IDEM.

XXVII. Si quis de casa erecta lignum quodlibet, aut scindalas furatus fuerit, componat sol. VI.

IDEM.

XXVIII. Si quis de lignamine adunato in curte aut in platea ad casam faciendam lignum furatus fuerit, componat solid. VI. Si autem in sylva dispersum fuerit, & furatus fuerit, componat in octogild.

IDEM.

XXIX. Si quis in hortum alterius intraverit, aut salierit, ad furtum faciendum, componat sol. VI. nam si pro sua re ingreditur, & damnum non fecerit, non sit culpabilis.

IDEM.

XXX. Si quis sepem alienam ruperit, id est, iderzon, componat solid. VI.

IDEM.

XXXI. Si quis asseem de sepe assiata unam aut plures tulerit, componat solid. I.

IDEM.

XXXII. Si quis de sepe stantaria facta unam tulerit, componat solid. I. Si autem perticas transversarias tulerit, componat solid. III.

IDEM.

XXXIII. Si quis plonum aut aratrum alienum iniquo animo capellaverit, componat sol. III. si autem furatus fuerit, in octogild reddat.

IDEM.

XXXIV. Si quis tintirinum alterius desuper caballo aut bove furatus fuerit, componat solid. VI.

IDEM.

XXXV. Si quis jugum furatus fuerit, componat solid. VI.

IDEM.

XXXVI. Si quis sogas furatus fuerit de bove vinitorio, componat solid. *VI.* Et si qualemcunque rem mediocrem furatus fuerit, unde *VI.* solid. aut minus in hoc edicto judicantur, si fur ipse supra tentus fuerit, non sit fengandi, sed tantum componat sicut supra constitutum est.

IDEM.

XXXVII. Si quis vitem expoliaverit, id est, amminicula tulerit super *III.* aut *IV.* sit culpabilis solid. *VI.*

IDEM.

XXXVIII. Si quis palum de vite aliena tulerit, componat solid. VI.

IDEM.

XXXIX. Si quis super tres vuas de vinea aliena tulerit, componat solid. *VI.* nam si usque tres tulerit, nulla sit ei culpa.

IDEM.

XL. Si quis capistrum de capite caballi tulerit, componat solid. *VI.*

IDEM.

XLI. Si quis pastorium de caballo alieno tulerit, componat solid. *VI.*

XLII. Si quis rete alienum aut nassum levaverit, aut de piscaria aliena pisces tulerit, componat solid. *VI.*

IDEM.

XLIII. Si quis de apiculari vas cum apibus furatus fuerit, unum aut plura, componat sol. *XII.*

IDEM.

XLIV. Si quis de arbore signata in sylva alterius apes attulerit, componat solid. VI. nam si signata non fuerit, tunc quicunq; invenerit, jure naturali habeat sibi, excepto de gaio Regis, & si contigerit, ut dominus, cujus sylva est, supervenerit, tollat mel, & amplius adversus eum non requirat.

IDEM.

XLV. Si quis ancipitres de sylva alterius tulerit, excepto de gaio Regis; habeat sibi. nam si dominus sylvæ supervenerit, tollat ancipitres, & amplius culpa adversus eum non requiratur. Et hoc idem jubemus, ut si quis de gaio Regis ancipitrem tulerit, sit culpabilis solid. X I. *al. de gayo.*

IDEM.

XLVI. Si quis de arbore signata in sylva alterius ancipitrem de nido tulerit, componat sol. VI.

IDEM.

IDEM.

XLVII. Si quis canem alienum furatus fuerit, novum sibi reddat.

IDEM.

XLVIII. Si lupus animal cujuscunque occiderit, & aliquis id nesciente domino suo excoriaverit & celaverit, & per proditorem suum inventum fuerit, componat solid. XII.

IDEM.

XLIX. Si in flumine animal cuiuscunque mortuum fuerit, aut ubicunque, & alius homo, cujus non fuerit, excoriaverit, componat solid. XII.

IDEM.

L. Si quis caballum alienum ascenderit, & intra viciniam tantum caballicaverit, id est, per ipsum vicum, componat solid. II. Nam si inantea eum caballicaverit, & dominum ejus non rogaverit, in octogild eum reddat.

IDEM.

LI. Si quis caballum alienum apprehenderit, ipsum quod disfiguraverit aut circinaverit, furti pœna sit culpabilis in octogild.

IDEM.

LII. Si quis caballum alienum aut quodlibet peculium credens suum esse apprehenderit, & dominus ejus eum cognoverit, & calumniam generare voluerit, ita decernimus, ut præbeatur sacramentum illi, qui eum tenuit, quia non astu animo aut aliqua causa faciente eum apprehendisset, sed credens suum fuisse sit absolutus à pœna furti, & reddat ipsum caballum proprio domino illæsum. Si autem non præsumpserit jurare, reddat eum in octogild, quia postquam cognovit quod suus non fuisset, mox debuit proprio domino innotescere. Nam si eum postquam cognovit, quod suus non fuerit ascenderit, sit culpabilis solid. II. ut supra.

IDEM.

LIII. Si hominem iterantem caballus aut quodlibet peculium secutum fuerit, & ille quem sequitur in ligamine aut in clausura miserit, ipse id salvum faciat, sicut supra constitutum est, ut venienti proprio domino restituat. Nam si sequi cœperit, & se de via tornaverit, nulla sit ei culpa, quem sequi cœperat. Nam si ille, quem sequitur, eum absconse habuerit, aut eum vendiderit, componat ipsum caballum in octogild.

IDEM.

LIV. Si quis ab alio homine rogatus fuerit caballum, aut quodlibet peculium perditum quærere, signaque ei dictaverit; & ille, qui rogatus fuerit forsitan caballum aut peculium per errorem comprehenderit, si venerit proprius dominus, & calumniam generare voluerit, ita proximus, ut ille, qui per errorem comprehenderit, præbeat sacramentum, quod credidit ipsum esse, unde rogatus fuerit, & tunc reddat caballum, & amplius non calumnietur. Si eum male non tractaverit, & si non venerit proprius dominus, reddat eum illi, per quem ipsum tulit, & ipse juxta legem conservet, sicut supra dictum est.

IDEM.

LV. Si quis verrem alienum furatus fuerit, componat solid. XII. ipsum qui dicitur sonopair, qui omnes alios verres in grege battit & vincit, tamen in uno grege quamvis multitudo porcorum sit, unus computetur sonopair. Nam si minor grex XXX. capitibus, non computetur sonapair, nisi triginta vel supra fuerint. & si in damno ipso sonapair occisus fuerit, aut similem aut meliorem ille, qui occiderit, restituat, & damnum ei componatur. Nam si alios verres aut porcos furatus fuerit, in octogild reddat.

REX GRIMOALDUS.

LVI. Si ancilla furtum fecerit, componat dominus eius furtum sibi novum tantum. Nam XL. solid. unde in hoc edicto legitur, pro culpa, quod est fengangy, non requiratur à domino suo.

REX LUITPRANDUS.

LVII. Si servus, dum in fuga est, furtum fecerit, & in ipsa fuga foris provinciam exierit, sic exinde procedat judicium, sicut gloriosiss. REX ROTHARIS instituit. & si ipse servus intra provinciam se dilataverit, tunc dominus ejus habeat spacium requirendi per menses tres; & si eum invenerit, & causa furti manifesta fuerit, quod servus ille furtum ipsum fecisset, tunc dominus eius componat furtum ipsum, sicut lex est: & si forsitan manifestum non fuerit, & dominus ejusdem servi negaverit, quod ipsum furtum fecisset, servus ejus tunc per pugnam aut per sacramentum se defendat, si potuerit.

IDEM.

LVIII. De servo fugace & advena homine, si in alia judiciaria inventus fuerit, tunc decanus aut saltarius, qui in loco ordinatus fuerit, comprehendere eum debeat, & ad Scultasium suum perducat. Et ipse scultasius Judici suo consignet; & ipse Judex potestatem habeat eum inquirendi, unde ipse est; & si inventus fuerit quod servus sit aut fur, mox mandet ad judicem aut ad dominum ejus unde ipse fugerit, & habeat pro præhensura servo per pompo solid. II. Si vero post inquisitam causam ipse homo, qui comprehensus est, aut inquisitus fuerit, liber apparuerit, nulla sit ei culpa, qui eum comprehendit aut inquisivit. Si vero decanus aut saltarius hoc facere distulerit, componat solid. IV. medium scultasio suo, & medium cujus causa fuerit. Et si scultasius hoc neglexerit facere, componat solid.

solid. VIII. medium judici suo, & medium cujus causa est. Si vero Judex ad eum inquirendum vel mandatum faciendum, unde ipse homo est, distulerit, componat solid. XII. in palatio Regis: & si ille Judex, cui mandatum fuerit, neglectum fecerit ad ipsum hominem recolligendum, aut arimanno suo faciendum mandatum, quod in tali loco homo tuus comprehensus est, & si hoc neglexerit, componat in palatio Regis solid. XII. & sic spacium de ipso mandato faciendo in his partibus in mense uno, & trans alpes in partibus Tusciæ mensibus II.

IDEM.

LIX. Si quis alium de furto pulsaverit, & per pugnam eum vicerit, aut forte per districtionem à publico factam manifestaverit, & compositio facta fuerit, & postea ipsum furtum apud alium hominem inventum fuerit, & certa veritas apparuit, quod ipse qui prius composuerat rem ipsam non furatus fuerit, ab eo omnia, quicquid esse composuerat, reciplat ab eo cui composuerat, & ipse componat apud quem furtum ipsum postea inventum fuerit. Nam si aliquid per sacramentum suum dederit, habeat cui dederit. Nam si certa veritas non apparuerit, quod alter homo furtum ipsum fecisset, & per districtionem manifestaverit & composuerit, habeat sibi ipsam compositionem cui composuerit.

IDEM.

LX. Hoc nobis rectum comparuit esse de his servis, qui in furto comprehenduntur, ut in anteriori edicto continetur, aut redimat eos dominus eorum solid. XL. ut si amodo cuicunque servus comprehensus fuerit, in eo tenore, ut mori debeat, redimat eum dominus suus cum solid. XL. sicut dictum est. & si minime eum redimere voluerit ipse dominus ejus, occidat. Et si dominus ejus ipsum occidere noluerit, occidat eum ille, qui eum comprehenderit. & si nec ille voluerit, tunc occidat curtis nostra, & quomodo jussio nostra fuerit, de eo debeat ordinare. Ipse vero dominus componat ipsum furtum cui factum fuerit, sicut edictum continet, ei cui ipsum factum fuerit furtum.

IDEM.

LXI. Si aldius cujuscunque in casa alterius nesciente domino suo fugerit, cum inventus fuerit; sic debeat dare homo ipse, qui eum habuerit, operas, quomodo de servo.

IDEM.

LXII. De furibus unusquisque Judex in civitate sua faciat carcerem sub terrâ, & cum inventus fuerit cum ipso furto, componat & comprehendat eum, & mittat in ipso carcere ad annos duos vel tres, & postea dimittat eum sanum. Et si talis persona fuerit, ut non habeat unde ipsum furtum componere debeat, Judex debet eum dare in manibus illius cui furtum fecerit, & ipse de eo faciat quod voluerit. & si postea ipse iterum in furto tentus fuerit decalvet eum, & cædat per disciplinam sicut decet furem, & ponat in eo signum in fronte & in facie. & si nec emendare voluerit, & post ipsas districtiones in furto tentus fuerit, vendat eum foris provinciam, & habeat sibi precium ipsius veruntamen ut probata causa sit, & non cum sine vera probatione debeat vendere.

IDEM.

LXIII. Si quis homo caballum perdiderit, aut aliam qualemcunque rem, vadat ad judicem, qui in loco positus est, ubi ipsum furtum fuerit, & dicat ei omnia qualiter ei contigerit. Et si Judex neglectum fecerit ad inquirendum ipsum furem, componat de suo proprio. Et si dixerit, quod neglectum non fecisset, præbeat sacramentum, quod ad inquirendum neglectum non fecisset, nisi quod invenire non potuisset, & si juraverit sit absolutus, quod si jurare ausus non fuerit, componat ipsum furtum à suo proprio.

IDEM.

LXIV. De servis fugacibus, unde quidem antea capitulum istud affiximus, sed non est specialiter dictum, in quo spacio dominus ejus perquirere debeat, ut ei justitiam faciat, qui eum de servo compellat: modo vero ita prospeximus, ut si fuerit in Benevento aut Spoleto, habeat spacium dominus ejus menses tres: quod si fuerit intra Tusciam, habeat spacium per menses duos: si fuerit de ista parte alpium, habeat spacium ad eum perquirendum in mensem unum, & faciat justitiam ei, qui eum de servo compellat.

IDEM.

LXV. Si quis servum aut aldionem alterius per colludium comprehendere præsumpserit, dicendo quod super furtum suum comprehendisset, aut tacite in curte sua noctis tempore invenisset, & colludium ipsum apparuerit, & certa veritas fuerit approbata, componat ipse, qui eum per tale ingenium apprehendere præsumpserit, ei cujus fuerit servus aut aldius, quantum ipse componere debuerat, si absque colludio & fraude eum comprehendisset, id est, furtum ipsum, quod quærebat, in octogild componat, & pro illicita præsumptione componat solid. XL. & si furtum non reperierit, nisi tantum in curte sua comprehensum dixerit, componat solid. XL. si ipsum colludium apparuerit.

IDEM.

LXVI. Si quis homo sciens aldium aut aldiam, servum aut ancillam suam in casa cujuscunque esse aut copulatos, aut aliter, & non eum requisiverit, aut per judicem aut per publicum, & non eum retulerit, & dimiserit eum apud alium hominem diutius permanere, non requirat operas eorum, quia sciens neglexerit requirere servum aut aldium, ancillam aldiam suam. nam si re-

quisierit dominus illorum, & ille, qui eos habuerit, neglexerit reddere, aut antestetcrit, reddat operas eorum sicut lex est.

IDEM.

LXVII. Si cujuscunque servus aut aldius, ancilla aut aldia, in furto comprehensi fuerint, & dominus eorum neglexerit eos liberare, & usque ad dies xxx. eos dimiserit, sint fengingy, & habeat eos in transactum cui furtum fecerint, & componat postea ipsum furtum sicut lex est, & edictum continet.

IDEM.

LXVIII. Si quicunque homo, qui est pauper aut naufragus, qui vendidit aut dissipavit substantiam suam, & non habet unde compositionem faciat: & fecerit furtum, aut adulterium, scandalum aut plagas alii homini intulerit, & fuerit ipsa compositio xx. solid. aut supra, dare debeat eum publicus in manu ejus cui talem fecerit culpam, vel illicitas istas causas egit, & ipse eum habeat pro servo. Si autem minor xx. solid. fuerit ista compositio, sicut solet fieri usque ad VI. aut ad XII. solid. tunc debeat eum publicus dare in manu ejus, cui talem culpam fecerit pro servo, in eo ordine, ut serviat ei tot annis, ut ipsam culpam redimere possit, & vadat postea, ubi voluerit.

IMP. CAROLUS.

LXIX. De latronibus ita præcipimus observandum, ut pro prima culpa non moriatur, sed oculum perdat, de secunda, nasus ei scapelletur, de tertia vero, si se non emendaverit, moriatur.

IDEM.

LXX. De latrone forbannito, si liber homo susceperit eum, XV. solid. componat, & si servus fuerit, CXXV. ictuum percussionibus vapuletur.

IDEM.

LXXI. Ut Comes, qui latronem in forbanno miserit, vicinis suis, & aliis Comitibus notum faciat eundem latronem à se forbannitum esse, ut illi eum non recipiant.

IDEM.

LXXII. Et si hoc volumus, ut omnes de latronibus plenam justitiam faciant per eorum ministeria, ut fures & malefactores non patiantur quiete residere, sed semper eos in quantum valeat infestent.

IDEM.

LXXIII. Ut mancipia adventitia & fugitiva nullus præsumat recipere.

IDEM.

LXXIV. De victa & judicio facto in latronibus, ut testimonio Episcoporum absque peccato Comites facere possint, ita tamen ut absque invidia aut alia occasione mala, & nihil aliud interponatur, nisi vera justitia perficienda & pace confirmanda.

IDEM.

LXXV. Si quis latro de uno furto probatus fuerit, perdat oculum, & si de duobus furtis probatus fuerit, nasus ei scapelletur, & si de tribus furtis, moriatur.

IDEM.

LXXVI. De duobus furtis, unde oculum & nasum perdere debet, constituimus, ut dominus servi illius, secundum legem, cui furta facta fuerint, solvere debeat, de tertio vero furto unde mori debet, mors illius furta illa excludat, & si Comes sine culpa per invidiam, aut occasionem injustam, nisi per justitiam & pacem faciendam, hominem diffecerit, honorem suum perdat, & legibus illi, contra quem injuste fecerit, sed pœnam quam intulerit, emendet.

IDEM.

LXXVII. Si quis latronem morte dignum sibi ad occidendum traditum servaverit, & vitam indigno concesserit, medium damni, propter quod traditus est componat, & si ipse latro rursus in latrocinio comprehensus fuerit, quod prius debuit, capitali sententia persolvat debitum.

IDEM.

LXXVIII. Si quis furem vel latronem comprehenderit, & eum in domum dimiserit, neque illum ad præsentiam Judicis, aut Comitis, qui in loco præst, vel loci servatoris, qui Missus Comitis est, adduxerit, & de hoc facto sine de hac nequitia posthac in præsentia judicis convictus fuerit, ipsius damni existimatione, pro qua fur & latro comprehensus est, componere cogatur.

IDEM.

LXXIX. Ubicunque intra Italiam sive Regis, sive Ecclesiasticus vel cujuslibet alterius servus fugitivus inventus fuerit à domino suo, sine nulla annorum præscriptione vindicetur, & tamen quicunque, si dominus Francus, sive Almanus, aut alterius cujuslibet nationis sit. Si vero Longobardus aut Romanus fuerit, ea lege servos suos acquirat, vel amittat, quæ inter eos antiquitus constituta.

IDEM.

LXXX. De fugitivis & ancillis fugacibus advenis ac peregrinis, ut distringantur, ut scire possimus qui sint, & unde veniant.

IMP.

IMP. PIPINUS.

LXXV. De servis & ancillis fugacibus unusquisque judex studium ponat ad perquirendum juxta ut edictum continet: & hoc damus in mandatis, ut tam in Austria, quam in Neustria, quanquam in Emilia, & Tuscia, & ultore maris per omnia loca perquirantur supra scripti fugaces: & apud locum jurent scultasin, & decani, & saltarii, vel loco positi, ut nullus eos celet, ut ubicunque inventi fuerint, una cum Missо Comitis de ipso loco ad nos perducantur, ita ut jurare valeant quod neminem celassent.

IDEM.

LXXXII. De fugacibus, qui in partibus Beneventi & Spoleti, sive Romaniæ vel Pentapoli, confugium faciunt, ut reddantur, & sint reversi ad propria loca.

IDEM.

LXXXIII. Qui post missam sancti Johannis Baptistæ latroni mansionem dederit, si Francus est, cum x II. similiter Francis juret, quod latronem eum fuisse nesciret, licet pater ejus sit, aut frater, aut propinquus. Et si hoc jurare non potuerit, aut ab alio convictus fuerit, quod latronem in hospicio suscepisset, quasi latro & infidelis judicetur; quia qui latro est, infidelis est in Rostro regno Francorum, & qui illum susceperit similis est illi. Si autem audivit, quod latro est, & ipse tamen nescit firmiter, aut juret solus, quod nunquam audisset, nec per veritatem, nec per mendacium eum latronem esse, aut si paratus, si ille postea de latrocinio convictus fuerit, ut similiter damnetur.

IMP. LUDOVICUS.

LXXXIV. Si quis liber homo de furto accusatus fuerit, & res proprias habuerit in mallo ad præsentium Comitis se aramiet, & si res non habuerit, fidejussorem donet, qui eum aramiet, & in palatium Regis adducti faciat, & liceat ei in prima vice per sacramentum secundum legem se idoneare si potuerit. Et si alia vice duo vel tres eum de furto accusaverint, liceat ei contra unum ex his cum scuto & fuste in campo contendere. Quia si servus de furto accusatus fuerit, dominus ejus pro eo emendet, aut cum sacramento excuset, se tale furtum perpetratum non habere, propter quod ad supplicium tradi debeat.

IDEM.

LXXXV. Si mancipia à domino suo fugierint in aliam potestatem, propter hoc nullum præmium recipiat ipse, in cujus potestate inventa fuerint, pro eo quod ea reddiderit vel foris ejecerit. Et non solum hoc, sed etiam si ea nec reddere, nec foras ejicere voluerit, & legitimo domino ea contradixerit. & illa postea fugierint, secundum legem solvere cogatur ea.

IDEM.

LXXXVI. Si cujuslibet mancipium in villa nostra confugierit, Auctor ejusdem villæ querenti domino id non contradicat, sed statim eum foras de eadem villa ejiciat. & si se putat ad id repetendum justitiam habere, petat & secundum legem acquirat. Si vero tempore Domni CAROLI genitoris nostri in villa illa confugerit, & dominus ejus id quærit, Actor ejusdem villæ aut legitime id contendat, aut quærenti domino reddat: & Actor propter investituram Domini nostri CAROLI genitoris idem mancipium contradicere non audeat, & si illius proprium esse cognoverit.

IDEM.

LXXXVII. Ut Clerici & Monachi, servi fugitivi, ad loca sua reverti jubeantur.

IDEM.

LXXXVIII. Ut vicarii & centenarii, qui furones & latrones celaverint vel defenderint, secundum dictam sententiam judicentur.

IMP. LOTHARIUS.

LXXXIX. De fugitivis præcipimus, ut ministri Reipubl. à domino fugitivi nihil accipiat, cum reddiderint eos.

IDEM.

XC. Videtur nobis de aldionibus, ut sicut lex habet, ita fiat.

IDEM.

XCI. Præcipimus ut nova conditio aldioni à domino suo non imponatur.

TIT. XXVII.

De eo qui terminum antiquum corruperit, vel novum fecerit.

REX ROTHARIS.

I. Si quis liber homo terminum antiquum corruperit, aut exterminaverit, & probatum fuerit, sit culpabilis LXXX. solid medium Regi, & medium in cujus fine fuerit terminus.

IDEM.

II. Si quis servus alienus terminum antiquum ruperit, aut exterminaverit, mortis incurrat, periculum, aut solid. XL. redimatur.

IDEM.

III. Si quis liber homo arborem, ubi theclatura facta est inter fines discernendos, inciderit, aut

deleverit LXXX. solid. sit culpabilis, medium Regi, & medium cujus arbor fuerit. Et si servus per jussionem domini sui fecerit, dominus ejus componat, ut supra, solid. LXXX.

IDEM.

IV. Si servus sua auctoritate arborem, ubi theclatura facta est inter fines discernendos, inciderit, aut deleverit, aut moriatur, aut liberet se solid. XL.

IDEM.

V. Si quis propter intentionem signa nova, aut theclaturam, aut finaidam in sylva alterius fecerit, & suam non probaverit, componat solid. XL. medium Regi, & medium cujus sylva fuerit.

IDEM.

VI. Si servus extra jussionem domini sui theclaturam aut finaidam in sylva alterius fecerit, manus ejus incidatur; & si eum jussione domini sui theclaturam aut finaidam in sylva alterius fecerit, reputetur culpa domino, ut supra.

IMP. CAROLUS.

VII. Ut nullus alienos fines usurpet, aut terminos patrum transcendat.

TIT. XXVIII.

De invasionibus.

REX ROTHARIS.

I. Si quis molinum in terra aliena ædificaverit, & suam probare non potuerit, amittat ipsum molinum & omnem operam, & ille habeat, cujus terra aut ripa eam invenitur, quia omnes scire debent, quod suum non est, id ad alium pertinere.

IDEM.

II. Si quis campum alienum araverit, sciens non suum, aut semen spargere præsumpserit, perdat operas & fruges, & ille, qui campum suum probaverit esse, habeat fruges.

IDEM.

III. Si quis campum alienum araverit seminatum aut devastaverit, & suum non potuerit probare, alius tantum frugum quantum devastaverit proprio domino reddat, & pro incauta præsumptione componat solid. VI.

IDEM.

IV. Si quis fossatum in terra aliena fecerit, & suam non potuerit probare, componat ei, cujus terra, solid. VI.

IDEM.

V. Si quis pratum alienum secuerit, aut exaraverit, & fœnum reddat, & pro incauta præsumptione, componat solid. VI.

IDEM.

VI. Si quis in terra aliena miserit sepem, & suam non potuerit probare, componat ei, cujus terra est, solid. VI.

IDEM.

VII. Si quis res alienas, casas aut terras, vel pecunias aut familias malo ordine possederit, & per legem & justitiam, & per judicium exinde convictus & expulsus fuerit, aliud exinde non componat, nisi de retro tempore reddat fruges & labores sub sacramento ab illo die, quo exinde compellatio facta & manifestata est.

IDEM.

VIII. Si quis sua auctoritate terram alienam sine publico guiffaverit, dicendo quod sua debeat esse, & postea non potuerit probare quod sua sit, componat solid. VI. quomodo qui palum in terra aliena figit.

IDEM.

IX. Si quis fossatum in via fecerit, & ipsum locum suum probare non potuerit, componat solid. VI. & ipsum fossatum restauret, & si ipsum fossatum cavando damnum in vite aut in arbore fecerit componat sicut anterius edictum continet.

IMP. PIPINUS.

X. Ut nullus alteri præsumat res suas aut alienam causam sine judicio legali tollere aut invadere; & qui hoc facere præsumpserit, ad partem nostram exinde bannum componat.

IMP. LOTHARIUS.

XI. De rebus Ecclesiarum injuste invasis, sub occasione quasi licentia accepta a Pontifice, & de his quæ nec dum redditæ sunt, & tamen fuerunt à potestate Pontificum injuste invasæ, volumus ut per Missos nostros fiant emendatæ.

IMP. GUIDO.

XII. De cartis vero intercedimus, ut nemini liceat alienas res præsumptive invadere, occasione cartulæ ab eo factæ, qui investituram legitimam non habens dinoscitur invasisse. Sed si quis acquisitor extiterit, non antea invadere alienas res Ecclesiæ, vel cujuspiam liberi hominis præsumat, antequam auctor cartulæ legali & judiciali diffinitione eas vindicet, & tunc demum cui vult liberam habeat tradendi facultatem. & si quis ipsas res sine lege invaserit, non solum ipsas res amittat, sed insuper bannum nostrum componat.

TIT.

TIT. XXIX.

De eo qui falsam vel adulterinam monetam fecerit, vel consenserit.

REX ROTHARIS.

I. Si quis sine jussione Regis aurum figuraverit, an monetam confinxerit ix anus ejus incidatur.

IMP. LUDOVICUS.

II. De falsa moneta jubemus, ut qui eam percusserit, & probatum fuerit, manus ejus amputetur. Et qui hoc consenserit, si liber est, LX. solid. componat; si servus est, LX. ictus accipiat.

TIT. XXX.

De his qui cartam falsam contra legem scripserunt.

REX ROTHARIS.

I. Si quis cartam falsam scripserit, aut quodlibet membranum, manus ejus incidatur.

REX LUITPRANDUS.

II. De scribis hoc prospeximus, ut qui cartam scripserit, sive ad legem Longobardorum, quæ apertissima & pene omnibus nota est, sive ad legem Romanorum, non aliter faciat, nisi quomodo in illis legibus continetur. Nam contra Longobardorum legem aut Romanorum non scribant. Quia si nesciverint, interrogent alios. & si non potuerint ipsas leges plene scire, non scribant ipsas cartas: & qui aliter præsumpserit facere, componat guidrigild suum, excepto si aliquid inter conlibertos convenerit. Et si unusquisque de lege sua descendere voluerit, & pactiones atque conventiones inter se fecerint, & ambæ partes consenserint, istud non reputetur contra legem, quod ambæ partes voluntarie faciunt; & illi qui tales cartas scripserint, culpabiles non inveniantur esse. Nam quod ad hereditandum pertinet, per legem scribant; & quod de carta falsa in anteriori edicto annexum est, sic permaneat.

TIT. XXXI.

De raptu.

REX ROTHARIS.

I. Si vir mulieri violentiam fecerit, & invitam eam tulerit ad uxorem, sit culpabilis DCCCC. solid. medium Regi, & medium parentibus mulieris. Et si parentes non habuerit, ipsi DCCCC. solid. ad curtem Regis exigantur, & mulier ipsa habeat licentiam cum omnibus rebus suis propriis, quæ ei per legem competunt, eligendi quod mundium ejus in potestate habeat. vult ad patrem si habuerit, vult ad fratrem, vult ad barbanum, aut ad manum Regis, & in ipsius mulieris sit potestate, quem ipsa elegerit.

IDEM.

II. Si quis violento nomine tulerit uxorem, componat, ut supra, solid. DCCCC. & postea mundium ejus faciat. Nam si contigerit casu, ut antequam mundium ejus faciat, mortua fuerit, res ejus parentibus reddantur. Et ille vir, qui eam violento nomine tulerit uxorem, componat eam pro mortua, tanquam si unum de simili sanguine, id est, fratrem ejus occidisset, & ita apprecietur, & parentibus pro mortua compositione cogatur, aut cui mundium de ea pertinuerit.

IDEM.

III. Si quis puellam aut viduam alteri sponsatam *a* (illa tamen consentiente) *b* tulerit, componat parentibus mulieris, id est, patri aut fratri, vel cui mundium de ea pertinuerit, DCCCC. sol. medium Regi, & medium parentibus puellæ, aut qui sunt proximi, & mundium ejus sicut convenerit faciat. Sponso autem (cui turpe aut deridiculum egestū) componat duplum metum, quantum dictum est in die illa, quo modo fabula firmata fuerit, & amplius fide jussori aut raptori ab ipso sponso suo calumnia non generetur, sed sit sibi contentus in ipsa dupla compositione.

a inclusa alia. *b* desunt *b.* al. *rapuerit.*

IDEM.

IV. Si pater aut frater, aut aliquis ex parentibus puellam eam alii sponsaverit, & postea cum alio extranco colludium fecerit, aut fraudem commiserit cum illo, qui eam violenter aut ipsa consentiente ducat uxorem: tunc illi parentes, qui hujus colludum fraudem consenserint, componant sponso, qui eam sponsatam habuit, similem pœnam, ut supra, duplam nutam, quæ dicta fuerit tempore sponsaliorum; postea sponsus amplius adversus eos, aut fide jussores eorum calumniam non requirat.

IDEM.

V. Si quis aldiæ alienæ, id est, quæ de libera matre nata est, violentiam fecerit, componat sol. XL.

IDEM.

VI. Si quis libertæ alienæ, id est, personæ, quæ libera dimissa est, violentiam fecerit, componat solid. XX.

IDEM.

VII. Si quis ancillæ alienæ violentiam fecerit, componat solid. XX.

IDEM.

VIII. Si quis rapuerit aldiam alienam, & in curte alterius duxerit, & secutus dominus fuerit,

aut parentes ejus,& ille cujus curtis fuerit anteſteterit, & non permiſerit vindicare aut foras extrahere,componat ſolid.XL.medium Regi, & medium cujus aldia fuerit.

IDEM.

IX. Si quis ancillam alienam rapuerit,& in curte aliena duxerit,& ſecutus fuerit dominus, aut parentes ejus,& ille cujus curtis fucrit anteſteterit,componat ſolid.xx.qui anteſteterit,medium Regi, & medium cujus ancilla fucrit.

IDEM.

X. Si quis aldiam alienam rapucrit,aut ancillam, & in curte Regis duxerit,& ſecutus eam dominus fuerit,aut quicunque ex amicis aut ſervis,& gaſtaldius aut actor Regis anteſteterit,pro aldia de ſuis propriis rebus componat illi,cujus aldia fuerit. ſolid.XL.pro ancilla XX.

Rex LUITPRANDUS.

XI. Si quis rapuerit qualemcunque fœminam liberam ſecularem, unde in anteriori edictole gitur,componat ſolid.DCCCC.ita volumus,ut de illis CCCCL. ſolid. qui pertinent ad parentes vel ad mundualdos earum,ut accipiant ex ipſis ſolidis mundualdi,qui fuerint pro tempore,pro fatigio ſuo & actione, de ipſa pœna ſolid. CL. reliquos vero CCC. habeat ipſa fœmina, cui talis injuria aut detractatio facta eſt.Si autem pater aut frater fuerit,& ipſæ fœminæ in eorum mundio fuerint, tunc pater aut frater de ipſa compoſitione,quæ eſt ſolid. CCCCL. faciant cum filia aut ſorore ſua qualiter voluerint. Nam alimundualdus aut parentes ſic dividant ipſam compoſitioncm,ſicut ſupra ſtatuimus.

Imp. CAROLUS.

XII. De deſponſatis puellis,& poſtea ab aliis raptis, placuit nobis erui,& poſtea eis reddi,quibus ante fuerunt deſponſatæ, & ſi cis à raptoribus vis illata conſtiterit , proinde ſtatutum eſt a clero conventu,ut raptor publica pœnitentia mulctetur raptam .Si vero ſponſus eam recipere noluerit, & ipſa ejusdem criminis conſentiens non fuerit, licentia alii nubendi non denegetur, quia ſi ipſa conſenſerit, ſimili ſententiæ ſubjaceat. quod ſi poſt conſenſum conjungere præſumpſerint, uterque anathematizetur.

IDEM.

XIII. Si quis alicnam ſponſam rapuerit,aut patri ejus, aut ei qui legibus defenſor ejusdem eſſe debet,cum lege ſua eam reddat, & quicquid cum ea tulerit, ſermotim unamquamque rem ſecundum legem reddat:& ſi hoc defenſor ejus perpetrare conſenſerit, & omnino raptori nihil quærere voluerit,Comes ſingulariter de unaquaque re fredam noſtram ab eo exactare faciat,ſponſo vero legem ſuam componat, & inſuper bannum noſtrum,id eſt, LX. ſolid. perſolvat, aut in præſentia noſtra Comes venire faciat,& quanto tempore nobis placuerit in exilio maneant, & illam fœminam ei habere non liceat.

Rex LOTHARIUS.

XIV. Qui ſponſam alienam rapuerit,illa non conſentiente,licet cum ea concubuerit,reddatur ei cujus ſponſa eſt.& ducat eam ſi velit,quia vim paſſa potius,quam violata eſſe videtur , quod ſi eam ducere noluerit, aliam accipiat ſibi fœminam; tamen ſi ipſa nubere voluerit (excepto raptore) alteri, cui voluerit, legitime copuletur: raptor vero adulterii criminis reus teneatur. Quod ſi ipſa conſenſerit ſimiliter ut raptor à nuptus alterius prohibeatur, & is qui eam accepturus erat, aliam, qualem voluerit aut potuerit,accipiat.

IDEM.

XV. De raptoribus vero antiquorum Patrum ſtatuta ſequentes hoc tenendum cenſemus: ut ſi eas rapuerit,quæ cum ſponſo pariter benedictione ſacerdotali initiatæ ſunt,licet eas corruperit, tamen abſtrahantur ab his,& propriis ſponſis reddantur. Quæ vero vel viduæ ſunt, vel adhuc ſponſatæ non fuerunt, & abſque ipſarum & parentum voluntate rapiuntur , nihilominus parentibus aut propinquis reſtituantur , & aliis ſi voluerint nubant. Nam ipſis,à quibus raptæ ſunt , legitimæ demum uxores nullatenus eſſe poſſunt.Ipſos autem raptores iiſque auxilium præbentes, quanquam anathematizandos antiqui canones præcipiant , in ultimo tamen conſtituti ſi devote poſtulaverint ſacram communioncm in viatico pro miſericordia non denegamus. Quod ſi aliquis de ordine Clericali hujuſmodi tranſgreſſor ant cooperator extiterit,proprii gradus honore carebit.

TIT. XXXII.

De fornicatione.

Rex ROTHARIS.

I. Si puella aut mulier libera voluntarie fornicata fuerit,cum libero tamen homine , poteſtatem habeant parentes ejus in eam dare vindictam , & ſi forte ambabus partibus ſteterit , ut ille , qui fornicatus fuerit,eam tollat uxorem.componat pro culpa, id eſt,anagriph.ſolid.xx.& ſi non convenerit ut eam habeat uxorem,componat ſolid.c,medium Regi, & medium ad quem mundium de eapertinuerit.Et ſi parentes neglexerint,aut noluerint in ipſam dare vindictam , tum liceat gaſtaldio Regis aut Sculdæi ipſam ad manum Regis tollere, & judicare de ipſa,quod Regi placuerit.

IDEM

IDEM.

II. Si quis cum ancilla gentili fornicatus fuerit, componat domino ejus solid. xx. & si cum Romana, xii. solid.

REX LUITPRANDUS.

III. Si aldius cujuscunque cum libera muliere aut puella fornicatus fuerit, componat solid. l., ei, in cujus mundio fuerit, & illa reputet vicium suum pro eo, quod aldio consenserit.

TIT. XXXIII.

De Adulterio.

REX ROTHARIS.

I. Si liber aut servus uxorem alterius tulerit, eamque sibi in conjugio sociaverit, ambo occidantur: sic tamen, si ambo consenserint.

IDEM.

II. Si quis cum uxore sua liberum aut servum fornicantem invenerit, potestatem habeat eos ambos occidendi, & si eos occiderit, non requirantur.

IDEM.

III. Si quis alii crimen de uxore sua miserit, quod cum ea fornicatus esset, liceat ei, cui crimen mittitur, aut sacramento aut per campionē se purificare. & si ei probatum fuerit, animæ suæ incurrat periculum.

REX LUITPRANDUS.

IV. De libero homine, qui uxorem de servo aut aldio suo, vivente ipse marito, tulerit, & filii, aut filiæ exinde nati fuerint, nullatenus ei succedant. sed nec libertatem suam habeant, nec per ullum ingenium eis de rebus suis aliquid facere possit; quia in dubium venit causa ipsa, cujus filii aut filiæ non sunt, ambo vivant, & dominus & servus, qui ante habuit, & postea tulit.

IDEM.

V. Si quis liber homo habuerit servum vel ancillam aldium vel aldiam conjugatos, & instigantinimico humani generis, cum ipsa ancilla, quæ servum ejus in maritum habuit, aut cum aldia, quæ cum aldione ejus copulata est, adulterium perpetraverit: ita statuimus, ut perdat ipsum servum aut aldionem cujus uxorem adulteraverit, & ipsam mulierem: & simul vadant liberi & absoluti fulfreales, tanquam si thingati fuissent, ubi voluerint: quia non est placitum Deo, ut aliquis homo cum uxore aliena debeat fornicari, tamen de ipsa libertate ita dicimus, quia non possunt sic sine vera absolutione liberi esse, nisi sicut edictum continet, aut per thinx aut circa altare, sicut nos instituimus. Ideoque veniant ad palatium ad nos, & qui pro tempore Princeps istius terræ fuerit, ipse eos absolvat, & faciat eis præceptum suum, & sint postea certissimi veri liberi & absoluti.

IDEM.

VI. Si quis dixerit conjugi malam licentiam dando; vade & concube cum tali homine, aut si dixerit alicui homini, veni, & fac cum muliere mea carnis commixtionem; & tale malefactum fuerit, & causa probata fuerit, quod per ipsum maritum factum sit, ita statuimus, ut illa mulier, quæ hoc malum fecerit & consenserit, moriatur secundum anterius edictum: quia nec talem causam facere nec celare debuit, quia si vir ejus cum ancilla sua aut cum altera muliere adulterium fecisset, mulier ipsa ad palatium aut ad Judicem habuit proclamare. ideo hoc tacere nequaquam debuit, quando ei primum fuerit dictum, propterea, ut diximus, moriatur secundum anterius edicti paginam. Ille autem vir ejus, qui ei tam malam licentiam dedit, aut alteri homini dixerit, aut autoritatem tribuit in mulierem suam ad tale malum perpetrandum, componat ad parentes ipsius mulieris suæ, tanquam si in scandalum ipsa mulier occisa fuisset, quia ipsa ex peccatis in scandalum concurrere visa est, quando ad hoc malum perpetrandum accessit, quia in majus scandalum currere non potuit, quando se ad mortem traxit. Ideo ut supra diximus, componat vir ejus, sicut supra statuimus; & res ejusdem mulieris, si filios habuerit, ipsi succedant, & si filios non habuerit, revertantur ad parentes ipsius mulieris, eo quod credimus, quod tale malum ideo quæ sivit miser homo facere, ut ipsam mulierem perdat, & res ejus habeat. Ille autem homo, qui cum ipsa muliere aliena adulterium commiserit, quanquam cum viri ejus consilio fecisset, tradatur in manus parentum ipsius mulieris, & non in manus ipsius viri, qui tale malum consensit, aut consilium illicitum tribuit. Idem de causa ista, quam supra præmisi, si consilium & licentia data fuerit ad mulierem, & ipsa non consenserit & manifestaverit ipsam causam, & ipsa mala opera non fuerint facta, tunc ipse vir ejus, qui ei talem licentiam & consilium dederit, componat sicut in anteriori edicto affiximus, quomodo qui alii malum consilium dederit, id est, solid. l. quia adhuc major malitia est, quando homo ad mulierem suam illicitum consilium tribuit, quam si ad alium liberum hominem malum consilium dedisset.

IMP. CAROLUS.

VII. Si quis liber homo uxorem alienam adulteraverit, & secundum leges in manus ejus traditi

fuerint, & postea conjuncti fuerint, à publicis partibus recipiantur, & qui ipsos comparatos habuerit precium suum perdant.

IMP. LOTHARIUS.

VIII. Si adulter cum adultera comprehensus fuerit, & secundum edictum legis Longobardorum marito, adulteri ambo ad vindictam traditi fuerint, si eos quispiam venerit, eosque conjunctos in eodem scelere habere repertus fuerit, ipsos fiscus acquirat.

TIT. XXXIV.

De eo qui mulierem vel servum in sacramentum miserit, vel liberum puerum clericaverit, vel puellam velaverit.

REX LUITPRANDUS.

I. Si quis servum alienum sine voluntate domini sui in sacramentum miserit, aut manum in caldaria mittere fecerit, componat domino ejus solid. xx.

IDEM.

II. Si quis servum alienum sine voluntate domini sui clericaverit, componat domino ejus pro illicita præsumptione solid. xx. & ipse servus revertatur ad proprium dominum, & dominus habeat eum sicut voluerit.

IDEM.

III. Si quis mulierem, aut puellam, aut religiosam fœminam, quæ in alterius mundio est, in sacramentum mittere præsumpserit, componat mundualdo ejus solidos L. & in palatio similiter & L.

IMP. LODOVICUS.

IV. Si quis puerum invitis parentibus totonderit, aut puellam velaverit, legem suam in triplo componat ipsi puero vel puellæ, si jam suæ potestatis sit, aut illis in cujus potestate sit; illi vero potestatem habeant capitis sui, ut in tali habitu permaneant, qualis eis placuerit.

TIT. XXXV.

Si actor Regis, res Regias per fraudem alienaverit.

REX LUITPRANDUS.

I. Si quis gastaldius aut actor Regis curtem Regiam habens ad gubernandum, & ex ipsa curte alicui, sine jussione Regis, casam, tributariam, terram, sylvam, vites, vel pratum ausus fuerit donare, aut si amplius, quam jussio Regis fuerit, dare præsumpserit, vel si quærere neglexerit, quod per fraudem ablatum est; omne quicquid contra jussionem Regiam facere ausus fuerit, in duplum octogild componat, sicut qui rem Regiam furatus fuerit. Et si ipse aut mortuus fuerit, quam fraus ipsa appareat, heredes ejus componant, sicut supra legitur. Nam si per actorem fraus facta fuerit, & antequam ad nostram pervenerit notitiam, fraus ipsa per gastaldium inventa fuerit, habeat ipse gastaldius de compositione, quam actor componere debet, partem tertiam, & duæ sint in curte Regia. Et si prius per qualemcunque hominem ad nostram pervenerit notitiam, quam per gastaldium inventa fuerit, tunc compositio ipsa in integrum nobis & curti nostræ perveniat. Quod si Judex aut Actor Regis, vel heredes eorum pulsati à nobis fuerint, quod neglectum fecissent, præbeant sacramentum in tali ordine, & dicant: quod fraudem ipsam pater noster nunquam scivit, nec consensit, nec neglectum posuit ad perquirendum, nec nos culpabiles per legem esse debemus; & sint postea absoluti. Hoc enim capitulum amodo statuimus firmum esse, nam quicquid antea factum est, in nostro arbitrio reservemus; & hoc proinde statuere prævidimus, pro eo quod multas fraudes à gastaldiis vel actoribus nostris factas invenimus, unde jam multas fatigationes habuimus. Nam quod à nostris decessoribus cuicunque datum est, stabili ordine volumus permanere; sicut & illud, quod nos dedimus, & de hinc dederimus.

a al. CAROLUS.

IMP. *a* LOTHARIUS.

II. Si quis Præpositus aut ministerialis aliquas res Ecclesiæ, quas prævidere debet, aliquo inscriptionis titulo cuiquam concesserit, quod ad damnum ipsius Ecclesiæ pertineat, pro sacrilegio computetur. Similiter & de rebus, quæ ad Rempub. pertinent, si Comes aut ministerialis R. P. cuiquam concesserit, pro infidelitate computetur.

IMP. LODOVICUS.

III. Si quis proprium nostrum, quod in vestitura genitoris nostri fuerit, quærenti reddiderit sine nostra jussione, aliud tantum nobis de suo proprio cum lege sua componat. Et quicunque se sciente illud per malum ingenium acquirere tentaverit, pro infideli teneatur; quia sacramentum fidelitatis, quod nobis promisit, irritum fecit, & ideo secundum nostram voluntatem & potestatem judicandus est.

TIT. XXXVI.

De his qui ad mortem fuerint judicati.

IMP. CAROLUS.

I. De illis hominibus, qui propter eorum culpam ad mortem fuerint judicati, & postea vita eis concessa

concessa fuerit, si ipsi justitiam ab aliis, aut alii ab eis quærere voluerint, æquale judicium inter eos terminetur. Primum enim omnium de illis causis, pro quibus judicati fuerint ad mortem, nullam postea repetitionem facere possint: quia omnes res suæ, secundum judicium Francorum, in publico sunt revocatæ. Et si aliquid, postquam eis vita concessa est, cum justitia acquirere potuerint, in sua libertate teneant & defendant. Sed in testimonio non suscipiantur, nec inter leabimos ad legem judicandam locum teneant & defendant. Et si sacramentum eis aliquod indicatum fuerit, quod jurare debeant, si aliquis ipsum sacramentum falsum dicere voluerit, cum armis contendat.

IDEM.

II. Si alicui homini post judicium scabinorum fuerit vita concessa, & ipse postmodum aliquod malum perpetraverit, & justitiam reddere noluerit, dicendo quod mortuus sit, & ideo justitiam reddere non debeat, statutum est, ut superius judicium sustineat, quod antea sustinere debuit. Et si aliquis adversus eum aliquod malum fecerit, secundum æquitatis ordinem licentiam habeat suam justitiam requirendi de causis perpetratis postquam ad mortem judicatus est; de præteritis vero maneat sicut supra dictum est.

TIT. XXXVII.

De culpis servorum.

Rex ROTHARIS.

I. Si servus Regis mortem fecerit, ita decernimus, ut componat ipsam personam, sicut appreciata fuerit, & servus ille super fossam ipsius mortui apprehendatur ut in eo vindicta detur, & sit causa finita.

IDEM.

II. De aliis vero causis, unde liberi & servi aliorum hominum DCCCC. solid. fuerint culpabiles; id est, de muliere libera, si eiante viam steterit, aut injuriam fecerit, seu de gregibus equorum aut porcorum pignoratis, aut aliquibus similibus causis, unde præfati DCCCC. solid. quæruntur, de quibus in hoc edicto constituimus; si servus Regis fuerit, animæ suæ incurrat periculum, & DCCCC. solid. non requirantur ad curtem Regis.

IDEM.

III. Si servus Regis furtum fecerit, reddat in octogild. & non sit fingandi.

IV. Si servus Regis oberos, aut veeorin, seu memorphim, aut quamlibet talem culpam vel minorem fecerit, ita componat, sicut de servis aliorum exercitalium decretum est.

Rex GRIMOALDUS.

V. Si servus talem culpam fecerit, unde DCCCC. solid. qui in hoc edicto scripti sunt, indicantur, ut dominus pro servo debeat componere, hoc amputare jussimus, ut si factum fuerit, nihil aliud componat dominus, nisi tantummodo personam ipsam tradat ad occidendum, & componat pro illicita causa, quam servus perpetraverit, solid. LX. amplius non requiratur. Et si ipse servus fuga lapsus fuerit, & non poterit dominus ejus eum invenire, det pro ipso servo, qui fugam petit, aut se dilataverit, solid. XX. & præbeat sacramentum dominus ejus, quod non potuit eum invenire. Et si quandocunque eum invenire potuerit, tradat eum ut supra, ad moriendum, & dominus recipiat solid. XX. quos pro fuga ipsius dedit. Nam LX. solid. componat pro culpa, quod servus ejus fecerit. Et si spolia de homine sepulto servus de sepultura tulerit, de quanto tulit, dominus ejus reddat, & componat, ut dictum est, solid. LX. & persona tradatur ad occidendum, ut supra.

Rex LUITPRANDUS.

VI. Si quis alium pulsaverit de servo aut aldio suo, quod furtum aut homicidium aut aliquod malum feciſſent, & si vivente ipso servo aut aldio eum pulsaverit, aut compellationem fecerit, faciat ei justitiam quandocunque pulsatus fuerit. Nam si, dum ipse servus advixerit, dominus pulsatus non fuerit, nisi post mortem servi aut aldii ipsius quæsierit, dominus ejus non ei justitiam faciat, decernimus ut nullam facundiam requirendi habeat, si vivente servo aut aldio dominum ejus non pulsaverit: quia injustum nobis apparet, ut postquam servum aut aldium ipsum inquirere non potuerit, ut ei aliquam injustitiam faciat.

Imp. CAROLUS.

VII. Nemini liceat dimittere servum suum propter damnum cuilibet illatum, sed juxta qualitatem damni dominus ejus pro illo respondeat, vel eum in compositionem aut ad pœnam petitoris offerat. Si autem servus pro perpetrato scelere fugerit, ita ut à domino penitus inveniri non possit, cum juramento dominus ejus excusare studeat, quod hoc non sua voluntate nec consentiente fuisset, quod servus ejus tale factum commisisset, & sit absolutus. Jubemus quoque ut propter nullam districtionem, quam nos facere jubemus, pro quibuslibet causis servi non mittantur in districtionem, sed per Missos nostros vel dominos eorum, aut illorum Advocatos, ipsi servi distringantur, ut ipsi sicut lex jubet, rationem pro servis reddant, utrum culpabiles sint, an non. Ipsi vero dominum distringant, & inquirant servos suos, sicut ipsos amant.

TIT. XXXVIII.

De faidosis & armis infra patriam non portandis.

IMP. CAROLUS.

I. Si quis per faida precium recipere noluerit, ad nos sit transmissus, & nos eum dirigamus, ubi damnum minime facere possit. Simili modo & qui pro faida precium solvere noluerit, nec ipse damnum inde facere, tunc ad nos sit transmissus, & in tali loco eum mittere volumus, ut pro eo magis damnum inde non crescat.

IDEM.

II. De armis intra patriam non portandis, id est, scutis, & lanceis, & loricis. Si faidosus quiescerit, discutiatur, & tunc is, qui ex duobus contrarius fuerit, aut pacificatus fiat aut districtingatur ad pacem, etiamsi noluerit. Et si aliter se pacificare noluerint, adducatur ad nostram præsentiam. Et si quis post pacificationem alterum occiderit, componat illum, & manum illam, quam perjuravit, perdat, & insuper bannum dominicum persolvat.

IMP. LOTHARIUS.

III. De his, qui discordiis & contentionibus studere solent, & in pace vivere noluerint, & inde convicti fuerint, similiter volumus, ut per fidejussores ad nostrum palatium veniant, ibi cum nostris fidelibus consideremus, quid de talibus hominibus faciendum sit.

INCIPIT SECUNDUS LIBER.

TITULUS I.

De *Sponsalibus*.

SI quis sponsaverit puellam liberam aut mulierem, & post sponsalia facta & fabulam firmatam per duos annos sponsus neglexerit eam tollere, & dilataverit nuptias exequi; post transactum biennium potestatem habeat pater, aut frater, vel qui mundium ejus in potestate habeat, distringere fidejussorem, quatenus adimpleat metam illam, quam in die sponsaliorum promisit; postea liceat eisipsam dare marito alii, libero tantum. Et meta, quæ *a* exacta fuerit, sit in potestate puellæ aut mulieris, eo quod sponsus intra præfinitum tempus uxorem tollere neglexerit, aut voluntarie dilataverit: excepta inevitabili causa.

a al exacta

IDEM.

II. Si dixerit sponsus de sponsa sua, postquam eam sponsaverit, quod adulterata sit, liceat eam parentibus purificare cum XII. sacramentalibus suis. Tunc postquam purificata est, accipiat eam sponsus, sicut in priori fabula stetit. & si postquam purificata fuerit, eam tollere uxorem neglexerit, sit culpabilis sponsus duplam metam, quantum dictum est in die illa, quando fabula firmata fuerit, & si parentes, ut dictum est, eam de ipso crimine mundare non potuerint, tunc sponsus recipiat res suas quas dederit, & illa patiatur pœnam adulterii, sicut in hoc edicto scriptum est.

IDEM.

III. Si peccatis imminentibus contigerit, ut postquam puella aut mulier sponsata fuerit, ut leprosa aut dæmoniaca, aut de ambobus oculis cæcata fuerit, tunc sponsus recipiat res suas, quas dedit & non compellatur ipse invitus eam tollere, nec pro ea causa calumnietur: quia non suum neglectum fuerit, sed peccato imminente & ægritudine supervenientе.

IDEM.

IV. Si quis filiam suam aut quamlibet parentem in conjugio alii dediderit, & contigerit casus, ut ille maritus moriatur, potestatem habeat illa, si voluerit, ad alium maritum ambulandi, liberum tantum. Secundus autem maritus, qui eam tollere disponit, de suis propriis rebus medium precii, quantum fuerit dictum, quando eam primus maritus sponsavit, pro ipsa meta dare debet ei, qui heres proximus mariti prioris esse invenitur. & si noluerit accipere, habeat ipsa mulier morgengap. & quod de parentibus ejus adduxerit, id est, phaderphium; parentes vero ejus potestatem habeat eum dandi ad alium maritum, ubi & ipsi & illa voluerint, & mundium ejus prioris mariti non habeant parentes, pro eo quod denegaverunt voluntatem suam. Ideo redeat mundium ejus ad parentes proximos, qui prius eam ad maritum dederint. Et si parentes non fuerint legitimi, tunc mundium ipsius mulieris ad curtem Regis pertineat. Et si talis fuerit mulier, quæ maritum non vult aut non possit habere, sit in potestate ipsius, ad quem mundium de ea pertinet. & si mulier eam male habuerit, & tractaverit, & probatum fuerit, tunc liceat ei ad parentes suos reverti. & si parentes non habuerit, ad quos ipsa revertatur, ad curtem Regis habeat refugium, & mundium ejus in potestate Regis sit.

IDEM.

V. Si quis pro muliere libera aut puella mundium dederit, & ei tradita fuerit ad uxorem postea quam

quam mortuus fuerit maritus, & contigerit, ut ipsa mulier ad alium maritum debeat ambulare, aut ad parentes reverti, aut ad curtem Regis, tunc heres mariti prioris accipiat medium de meta, sicut supra constitutum est, & ipsa per manum ei simili modo retradatur, sicut priori marito tradita fuerit. Nam aliter sine traditione nullarum rerum dicimus subsistere firmitatem.

IDEM.

VI. Si quando pater filiam, aut frater sororem suam alii ad uxorem tradiderit: & aliquis ex amicis accepto exenio ipsi mulieri aliquid dederit, in ipsius sit potestate, qui mundium de ea fecit, eo quod maritus silannec hil requisitum fuerit, ipsa debeat persolvere.

IDEM.

VII. Si quis puellam liberam, aut viduam sponsatam habuerit, & contigerit casus, ut ipsa ante moriatur, quam à patre aut à fratre, aut ab eo qui mundium in potestate habet, tradita fuerit; tunc meta, quæ data est, ab ipso sponso reddatur ei, aut sponsus recipiat tantum, quantum in ipsa meta dedit. Nam aliæ res ipsius sint, qui mundium ejus in potestate videtur habere, eo quod ante traditionem mortua est.

IDEM.

VIII. Si quis ancillam suam matrimoniare voluerit sibi ad uxorem, sit ei licentia; tamen debeat eam liberam thingare, & sic facere liberam, quod est guiderboram & legitimam per garatinx; tunc intelligatur esse libera & legitima uxor, & filii, qui ex ea nati fuerint, legitimi heredes patri efficiantur.

IDEM.

IX. Si quis aldiam alienam aut suam ad uxorem tollere voluerit, faciat eam guiderboram, sicut edictum continet de ancilla. Nam qui sine ipsa ordinatione eam quasi uxorem habuerit, filii, qui ex ipsa nati fuerint, non sint legitimi, sed naturales.

IDEM

X. De puella, unde jam antea diximus, ut non ante XII. annos legitima sit ad maritandum, ita statuimus, ut non intrante ipso XII. anno, sed expleto sit legitima ad maritandum. Ideo nec hoc diximus, quia multas intentiones de causis illis cognovimus, sed apparuit nobis, quod immatura causa sit ante expletos XII. annos.

IDEM.

XI. Si quis filiam suam aut sororem alii sponsare voluerit, habet potestatem cui voluerit, libero tamen homini, sicut anteriori edicto continetur. Nam postquam eam sponsaverit, non habeat potestatem alteri homini eam ad maritum dandi ante biennii tempus. Et si dare cuilibet præsumpserit, aut ipsa sponsalia irrumpere voluerit, componat sponso ipsius, sicut inter se pœnam firmaverint, qualiter in anteriori edicti continetur pagina, & insuper in palatio guidrigild suum componat, & qui eam tollere præsumpserit, componat similiter in palatio Regis guidrigild suum. Si vero sine voluntate patris aut fratris eam tollere præsumpserit, quæ jam alteri est desponsata, componat sponso ejus duplam metam, sicut edictum anterius continet, & in palatio Regis componat guidrigild suum. Pater vero & frater, qui in tali causa non consenserint, sint absoluti. Puella vero ipsa, quæ hoc sua voluntate facere præsumpserit, si aliqua ei portio ex parentum successione debetur, amittat ipsam portionem. Et nuda & vacua de rebus parentum suorum vadat, & ipsi succedant, qui per legem succedere possunt: nec possit ei aut frater per quodlibet ingenium aliquid dare, & hereditatem relinquere, quia excreverit vitium hoc in gentem nostram propter cupiditatem pecuniæ. Et ideo resecare volumus hoc, ut cessent inimicitiæ, & faidam non habeant. Sin autem, quod absit, post sponsalia facta tales inter parentes ipsius excreverint inimicitiæ, qualicunque causa interveniente, ut homicidium de parentibus eorum perveniat, unde duritia inter se teneant, se dare aut tollere noluerint, componat pars, quæ neglexerit, sicut inter se statutum habuerint, & sint absoluti; quia non est bonum, ut ibi quispiam debeat dare filiam suam, aut sororem, vel parentem suam, ubi vestra inimicitia homicidii esse probatur.

TIT. II.

De his qui sine voluntate mundoaldi ad maritum ambulant.

REX ROTHARIS.

I. Si puella libera, aut vidua, sine voluntate parentum ad maritum ambulaverit, liberum tamen; tunc maritus, qui eam acceperit uxorem, componat pro anagriph solid. XX. & propter faidam alios XX. Et si contigerit casu eam ante mori, quam mundium ejus faciat, res ipsius mulieris ad eum revertantur, qui mundium ejus in potestate habet. Nam amplius calumnia præsumptori non generatur, & ideo perdat maritus res mulieris, eo quod mundium ejus de ea facere neglexerit.

IDEM.

II. Si quis puellam aut viduam alteri sponsatam, illa tamen consentiente, tulerit uxorem, componat parentibus mulieris, id est, patri vel fratri ejus, vel ad quem mundium pertinuerit, pro anagrip solid. XX. & propter faidam alios XX. & mundium ejus, qualiter steterit, faciat. Sponso autem, cui sponsata fuit, omnia, quæ in meta sunt dicta, quando eam sponsavit, in duplum ei componantur ab illo, qui ei de sponsa sua turpe fecit. Et postea sponsus post acceptam duplam compositionem, si sibi contentus, & amplius ex has causa adversus fidejussorem calumnia non requiratur.

IDEM.

IDEM.

III. Si quis liberam puellam absque consilio vel voluntate parentum adduxerit ad uxorem, componat, ut supra, pro anagrip solid. xx. & propter faidam alios xx. de mundio autem qualiter res venerit & lex habet, faciant, sic tamen, si ambo liberi sunt.

REX LUITPRANDUS.

IV. Si quis fream alienam sine voluntate mundualdi ejus movere de casa, ubi ipsa habitat, præsumpserit, & alibi adduxerit, componatille, qui in caput est, pro illicita præsumptione ad mundualdum una solid. LXXX. & si ibi liberi homines cum ipso fuerint, componat unusquisque per caput solid. XX. Servi autem in compositione domini sui computentur. Nam si forsitan ipse homo liber est, qui ipsam fream de casa, ubi est, tulerit, & sibi uxorem duxerit, sic componat, sicut gloriosissimus REX ROTHARIS instituit in anteriori edicto.

IDEM.

V. Si puella sine voluntate parentum ad maritum ambulaverit, & ei meta nec promissa nec data fuerit, & contigerit, ut maritus ipse moriatur, antequam de ea mundium faciat, contempta sit ipsa mulier, nec possit postea metam quærere ab hæredibus ejus, qui defunctus est, pro eo quod negligenter sine voluntate parentum suorum ad maritum ambulaverit, nec sint, qui justitiam ejus exquirerent.

TIT. III.

De his qui extra patriam per triennium morantur.

REX ROTHARIS.

I. Si quis negotium peragendum, vel pro qualicunque artificio, intra provinciam vel extra ambulaverit, & intra tres annos regressus non fuerit, & forsitan infirmitas ei emerserit, faciat scire per judicem, aut per missum suum. nam si hoc distulerit mandare, & filios reliquerit, habeant res ipsius in suo jure. & quicunque filii post transactum constitutum cautiones vel venditiones aut quaslibetcunque obligationes de rebus fecerit, stabiles permaneant, & debita patris & sua persolvant, & si ipse postea reversus fuerit, jubemus, ut nec à suis filiis recipiatur, nec res suas in potestate habeat. Quia si filii ipsius sine notitia & jussione Regis eum recolligere præsumpserint, omnes res ipsorum & patris substantia ad curtem Regis revolvantur. & si filios non habuerit, sed fratres, ipsi res ejus habeant, & si nec fratres habuerit, habeant proximi parentes, & si nec proximi parentes inventi fuerint, quilegibus succedere possint, post prædictos tres annos curtis Regia ei succedat. Quia si habuerit uxorem & intra supradictum constitutum, hoc est tres annos, minime reversus fuerit, veniat ipsa mulier ad Regem, qui in tempore fuerit, & qualiter ei ipse maritandi licentiam dederit, aut de causa ipsius ordinaverit vel tractaverit, ita facere debeat. Nam sine permissione Regis non præsumat maritum ducere, & si ipse post tres annos inventus fuerit, potestatem habeat Rex de eo judicare, qualiter voluerit.

TIT. IV.

De his qui à viro in mulierem dantur vel relinquuntur.

REX LUITPRANDUS.

I. Si quis Longobardus morgincap conjugi suæ dare voluerit, quando sibi eam in conjugio sociaverit, ita decernimus, ut alia die ante parentes & amicos suos ostendat per scriptum à testibus roboratum, & dicat: quia ecce quod conjugi meæ morgincap dedi, ut in futuro pro hac causa perjurium non incurrat. Tamen ipsum morgincap volumus, ut non sit amplius nisi quarta pars de ejus substantia, qui ipsum morgincap dedit. Siquidem minus dare voluerit de rebus, quam quarta pars sit, habeat in omnibus licentiam dandi quantum voluerit. nam super ipsam quartam partem dare nullatenus posset.

IDEM.

II. Si quis conjugi suæ metam dare voluerit, ita nobis justum esse comparuit, ut ille, qui est judex, dare debeat, si voluerit, solid. CCCC. amplius non minus quomodo placuerit, reliqui nobiles homines debeant dare solid. CCC. amplius non. & si quiscunque alter homo minus dare voluerit, det quomodo convenit, & ipsa sub æstimatione fiat data & appreciata, ut nullo tempore exinde intentiones aut causationes procedant.

IDEM.

III. Nulli sit licentia conjugi suæ de rebus suis dare amplius per qualecunque ingenium, nisi quod ei in die votorum in mephio & morgincap dederit, secundum anterius edictum: & quod super dederit, non sit stabile.

REX ASTULPHUS.

IV. Si quis Longobardus decedens voluerit uxori suæ usumfructum de rebus suis judicare, & filios & filias ex ea reliquerit, non amplius ei per usumfructum judicare possit, quam medium de sua substantia super illud, quod ei in morgincap & in meta secundum legem data fuerit. & si filios & filias ex alia uxore reliquerit, unum aut duos, possit uxori suæ tertiam partem ad usumfructum relinquere, & si fuerint tres, quartam portionem, si fuerint plures, per hunc numerum computentur, morgincap & meta, quæ ei data est, legibus habeat inantea. Siquidem nupserit, postea autem mortua fuerit

fuerit, usus fructus in integrum ad heredes revertatur, de meta vero & morgincap fiat secundum anterius edictum.

TIT. V.

Ut filii lege patris vivant.

REX LUITPRANDUS.

I. Si Longobardus uxorem habens filios aut filias procreaverit, & postea inspiratione DEI compulsus clericus effectus fuerit, tunc filii aut filiæ, qui ante ejus conversionem nati fuerint, ipsa lege vivant, qua lege ille vivebat, quando eos genuit, & causam suam per legem ipsam finire debeat.

TIT. VI.

Infra quod tempus permissum est viduis velum vel maritum accipere.

REX LUITPRANDUS.

I. Nulli sit licentia quamlibet mulierem etiam mundium ejus habenti in potestate post mortem mariti sui, ante anni spacium, velare, aut monachico habitu induere, & si ipsa sua voluntate ante anni spacium hoc facere disposuerit, veniat ipsa ad palatium Regis, & dicat clementiæ ejus voluntatem suam, & interrogata vel inquisita diligenter à Rege, permissu ejus accipiat religionis velamen. Si vero ante anni spacium sine permissione Regis hoc facere præsumpserit, componat Regi guidrigild suum: mundium vero mulieris vel res propriæ ejus sint in potestate palatii, quia qui hoc anni spacium facere quærit pro lucro pecuniæ, vel seculi hujus cupiditate hoc facere quærit, & non ob amorem Dei & animam ejus salvandam, quia post mortem viri sui, dum dolor recens est, in qualem partem volucrit, animam ejus inclinare potest. Nam cum in se revertitur, & carnis delectatio ei obvenerit, quod pejus est, in adulterium cadit, nec monacha esse invenitur, nec laico esse poterit. Et si alter quicunque homo in cujus mundio non est, hoc facere præsumpserit, componat guidrigild suum in sacro palatio, & ipsa cum rebus suis sit in potestate mundoaldi sui.

IMP. CAROLUS.

II. De fœminis quas defunctis viris lex Longobardorum prohibet ante anni spacium vestem religionis mutare, velumque suscipere, petunt nostram licentiam, ut mox, dum divina pietas DEI inspiravit eas indemnes licere suscipere. Nos autem considerantes, quia prætcrito tempore pro ipsa dilatione, multæ etiam captæ intra idem spacium ad aliam partem distractæ fuerunt, ideo petitionem earum (quam censemus esse justam) suscepimus, & eis fieri ita concedimus.

IMP. LODOVICUS.

III. Qui viduam intra primos XXX. dies viduitatis suæ sciens, vel invitam, vel volentem sibi copulaverit, bannum nostrum, scilicet LX. solid. in triplum componat. Et si in vitam eam duxerit uxorem, legem suam ei componat; illum vero ulterius non attingat.

IMP. LOTHARIUS.

IV. De fœminis, quæ viros amittunt, placet nobis ne se, sicut hactenus, indiscrete velent, sed ut per XXX. dies post decessum viri sui expectent, & post tricesimum diem per consilium Episcopi sui, vel si Episcopus absens fuerit, cum consilio aliorum fuorum sacerdotum, suorumque parentum atque amicorum, id quod eligere debent, eligant.

TIT. VII.

Ut mulieres lege mariti vivant.

REX LUITPRANDUS

I. Si Romanus homo mulierem Longobardam tulerit, & mundium ex ea fecerit, & post ejus decessum ad alium maritum ambulaverit sine voluntate heredum prioris mariti, faida & anagrip non requiratur, quia postquam marito Romano se compulaverit, & ipse ex ea mundium fecerit Romana effecta est, & filii, qui de eo matrimonio nascuntur, secundum legem patris, Romani sint, & ideo faidam & anagrip minime componere debet, qui eam postea tulit, sicut nec de alia Romana.

IMP. LOTHARIUS.

II. Ut mulieres Romanæ, quæ viros habuerunt Longobardos, eis defunctis à lege viri sui sint absolutæ, & ad suam revertantur legem. Et hoc statuimus, ut simili modo servetur in cæterarum natione mulierum.

TIT. VIII.

De prohibitis nuptiis.

REX ROTHARIS.

I. Nulli liceat novercam suam, id est, matrinam, quæ fuit uxor patris, neque privignam, id est, filiastram, neque cognatam, quæ fuit uxor fratris, ducere uxorem: & si ea consenserit, vir, qui eam duxerit uxorem, componat pro culpa in curte Regis solid. c. & mox separetur ab ea districtus à Rege.

Et ipsa mulier habeat medium de omni re sua, & medium amittat, & curtis Regia suscipiat, eo quod contra mandatum Regis consenserit celebrare nuptias, & pœnam sustineat, & mox, ut dictum est separentur.

REX LUITPRANDUS.

II. Si quis puellam ante annos XII. sponsaverit aut tulerit; tunc ille eam, qui tulerit aut sponsaverit, componat, sicut edictum de raptu continet, id est, DCCCC. solid. medium Regi, & medium eidem infantulæ, & ipsa revertatur in casam, & in pecuniam suam, & sit quieta usque ad legitimum tempus. Postea autem eligat sibi virum, & nubat cui voluerit, si autem mundualdus ejus consenserit, aut tradiderit ante XII. annos, componat in sacro palatio solid. CCC. & mundium ejus amittat. Et si ipsa cum rebus suis in mundio palatii: pater vero aut frater potestatem habeant, cui autem quo ætate voluerit, ad dandum aut sponsandum filiam suam, aut sororem suam: quia non est credibile, ut pater filiam suam, aut frater sororem suam doloso animo, aut contra rationem cuiquam homini dare debeat.

IDEM.

III. De his qui de illicito matrimonio nati sunt, vel nascuntur, id est, de matrina aut filiastra, vel cognata, quæ fuit uxor fratris, aut soror uxoris; quia canones sic habent, de duabus sororibus, sicut de duobus fratribus, & qui de tali matrimonio natus fuerit, heres legitimus patri suo non sit: sed ipsam rem habeant parentes proximi. Et si parentes propinqui non fuerint, succedat curtis Regia.

IDEM.

IV. Hoc autem Deo adjuvante statuere prævidimus, ut amodo nullus præsumat relictam de consobrino, aut sobrino suo uxorem ducere. Si quis autem hoc, quod illicitum est, amodo facere præsumpserit, amittat omnem substantiam suam. Et qui de tali conjugio nati fuerint, legitimi heredes non existant, nisi parentes propinqui. Et si parentes propinqui non fuerint, curtis Regia succedat. Hoc autem ideo affiximus, quia Deo teste Papa urbis Romæ, qui in omni mundo toto caput ecclesiarum Dei & sacerdotum est, per suam epistolam nos adhortatus est, ut tale conjugium fieri nullatenus permitteremus.

IDEM.

V. Item hoc censemus atque præcipimus, ut nullus præsumat commatrem suam ducere uxorem, sed nec filiam quam de sacro fonte levaverit, neque filius ejus præsumat filiam illius uxorem ducere, qui eum de fonte suscepit, quia spirituales germani esse noscuntur. Et qui hoc malum facere tentaverit, perdat omnem substantiam suam: & filii, qui de tali illicito matrimonio nascuntur, heredes esse non debent, nisi propinqui parentes, & si propinqui parentes non fuerint, curtis Regia succedat ei. Ubi autem inventi fuerint, qui supra scripta illicita conjugia contraxerint, de præsenti separentur, & pœnæ supra scriptæ subjaceant.

IDEM.

VI. De his qui de illicito matrimonio nati sunt, vel ante hoc tempus nascuntur, & illis legitimi fratres sui voluntarie partem dederint, ita statuimus: ut si eis fratres sui legitimi voluntarie partem dederint, in ipsam debeant permanere, & eos exheredare minime debere. Nam pater non possit illos illicitos neque per thinx, neque per qualecunque colludium heredes instituere. Hoc autem ideo constituimus, ut omnis homo, qui vult, accipiat legitimam uxorem, nam non illicitas conrrahat nuptias.

IDEM.

VII. Si autem fratres non sint, & parentes legitimi fuerint, qui legitime poterunt ad hereditatem pervenire, & usque modo tacuerunt, taceant & inantea, & nullam habeat facultatem nec potestatem contra eos, qui possident, per triginta annos loquendi, dicendo quod heredes esse non debeant, nisi per triginta annos possederunt, possideant & inantea.

IDEM.

VIII. Si quis miser & insipiens homo præsumpserit sponsare mulierem habentem virum suum, sive vir ejus ipse ægrotus fuerit, sive sanus, sicut & modo nobis talis causa annunciata est, & probatum est, componat ipse, qui hoc fecerit, guidrigild suum ad maritum ejus, & ipsa suscipiat in se talem condemnationem, qualem supra diximus, de illa muliere, quæ se turpiter tractare permittit.

IDEM.

IX. Adveniente vanissima & superstitiosa vel cupida suasione ex perversione apparuit modo in his temporibus, quæ illicita nobis vel cunctis nostris judicibus conjunctio esse comparuit; quoniam adultæ & maturæ ætatis fœminæ copulabant sibi pueros parvulos inter ætatem legitimam, & dicebant quod viri legitimi esse debent, dum adhuc ipsi secum minime commiscere valerent. Non itaque statuere prævidimus, ut nulla amodo fœmina hoc facere præsumat, nisi pater aut avus puer cum legitimis parentibus puellæ hoc facere præviderit. Nam si puer post mortem patris aut avi intra ætatem remanserit, & ei se qualiscunque fœmina, ante quam ipsi puer XIIII. annum compleat, copulare præsumpserit, dicendo quod legitimus ejus maritus esse debeat, irrita sit ipsa conjunctio, & separentur ab invicem. fœmina vero ipsa revertatur vacua cum opprobrio suo, & non habeat potestatem alio viro se copulare, dum ipse puer in ætate supradicta pervenerit. Siquidem impleta ætate puer ipse sibi eam ad uxorem habere voluerit, habeat licentiam, & si eam noluerit, tollat uxorem aliam, qualem voluc-

voluerit & potuerit. illa vero, si ad alium maritum ambulaverit, & ipse puerulus eam habere noluerit, non ei possit vir suus, qui eam tulerit, pluniter mephium dare, sicut ad aliam puellam, sed tantummodo medium, sicut ad viduam mulierem." Qui vero puerum ipsum fuaserit, sive parens ejus sit sive extraneus homo, componat solid. c. medium Regi & medium ad ipsum. * Alia hujus capit. nova lex.

IMP. CAROLUS.

X. Ut Episcopi de incestuosis hominibus emendandi licentiam habeant; sen & de viduis infra suorum parochiam potestatem habeant corrigendi; & si de ipsis incestuosis aliqui post judicium Episcopi in ipso incestu se iterum commiserit; si prædium, id est, allodium, habuerit, ipsum in fiscum Regis recipiatur.

IDEM.

XI. Illud præterea per omnia præcavemus nos prohibere decrevimus, ut nullus præsumat ante annos pupertatis puerum vel puellam in matrimonio sociare in diffimili ætate, sed coætaneos & sibi consentientes, quia multas ex hujusmodi contractu nuptiali ruinas animarum factas audivimus, & tales fornicationes perpetratas, quales inter gentes esse non debent; ita plane, ut si contigerit puerum adultum esse, & puellam parvulam, per virum cognata & socrus deprehendantur adulterare. E contrario si puella maturæ ætatis & puer tenerus, & propter puellam adultam & puerum parvulum, pater & frater pueri tanti peccati flagitiosi perveniunt irretiti. Unde qui hæc prohibita de cætero usurpare præsumpserit, ab omni consortio Ecclesiastico sit alienus, sed nec à publicis sit immunis judiciis.

IMP. LOTHARIUS.

XII. Consobrinam, neptem, novercam, fratris uxorem, vel etiam de propria cognatione, aut quam cognatus habuerit, nullus audeat in conjugio copulare. Si quis huic tali nephario conjugio se conjunxerit, & in eo permanserit: sciat se Episcopali autoritate anathematis vinculo esse innodatum, ut nullus sacerdos ei tribuat communionem: si vero conversus divisusque fuerit ab illicita copulatione, dignæ pœnitentiæ submittatur, ut sacerdos loci consideraverit.

IMP. LOTHARIUS.

XIII. De conjunctionibus, quæ secundum canones & Ecclesiæ edictum copulatæ esse non possunt, præcipimus ut ab invicem seperentur, & qui de nostris judicibus neglexerit causam istam ad judicandum aut distringendum, componat guidrigild suum.

IDEM.

XIV. De incestis conjunctionibus hoc præcipitur: ut nullus deinceps propinquam, nec quam propinquus habuerit uxorem, ducat in conjugio: & uxoris parentela ita sit viro, sicut propria parentela.

IMP. PIPINUS.

XV. Ut sponsam alterius nemo accipiat.

IMP. HENRICUS.

XVI. HENRICUS divina pietate secundus Romanorum Imperator Augustus, omnibus hominibus, quoniam nobis divinæ pietatis providentia, Imperialis officii curam commissam credimus. Nos quoque erga ea, quæ ad Christianas Religiones pertinent, & ad cultum justitiæ jugiter sollicitare debemus. Quapropter cum in Regni universali conventu nostrorum fidelium Principum Italicorum fœderemus, orta quæstio est, ne de illicitis conjugiis consilio nostrorum Principum Archiepiscporum, Marchionum, Comitum, ac judicio judicium seu consensu omnium judicantium hujusmodi sententiam diffinivimus: omnia scilicet, quæ sancti canones & fœtæ leges nostrorum prædecessorum instituerunt, summa autoritate confirmamus, & insuper & in nostro Imperiali Jure addimus, ut quicunque seu in legitima ætate sive infra ætatem legitimam, uxorem duxerit vel desponsaverit, si morte præventus fuerit, nulli propinquorum suorum liceat viduam vel desponsatam illius uxorem ducere. Quod si quis hoc fecerit, tam mulier, quam vir, ex hac lege exhereditati sint, omniumque bonorum eorum amittant facultatem; & medietas propinquis parentibus, & altera medietas ad fiscum deveniat: & quicunque ex hujusmodi conjugio natus fuerit, ipse quoque (sicut & parentes sui) ex hac lege exheredatus sit.

TIT. IX.

Si servus liberam puellam vel mulierem in conjugio acceperit.

REX ROTHARIS.

I. Si puella libera servum alienum foris provinciam secuta fuerit, requirant eos pariter domini servi & parentes puellæ: & si eos invenerint, ambo pœnam luxuriæ juxta legem sustineant. Nam culpa ad dominum, cujus servus fuerit, non requiratur.

IDEM.

II. Si servus liberam mulierem aut puellam alius fuerit sibi conjugio sociare, animæ suæ incurrat periculum: & illam, quæ servo fuerit consentiens, habeat parentes potestatem occidendi, aut foras provinciam transvendendi, & de rebus ipsius mulieris, faciendi quod voluerint. Et si parentes ejus hoc facere distulerint, tunc liceat Gastaldio Regis, aut Actori, aut Sculdasio ipsam in curtem Regis ducere, & intra pensiles ancillas constituere.

REX LUITPRANDUS.

III. Si mulier libera servum tulerit, & parentes ejus intra anni spacium in eam vindictam dare neglexerint, sicut in anteriori edicto continetur, tunc quandocunque post ipsum anni spacium inventa fuerit, sit ancilla palatii, & ipse servus similiter ad palatium replicetur, & filii, qui ex eis nati fuerint, curti Regiæ omnimodo serviant. Nam si parentes ipsius mulieris vel dominus compleverint intra supradicti anni spacium, quod anterius edictum continet, sic permaneant.

REX LOTHARIUS.

IV. Jubemus, ut si cujuscunque servus liberam fœminam, sibi eam consentiente, in conjugio sociaverit, & intra anni spacium secundum legem ad vindictam traditi non fuerint, sicut lex tales personas nostro fisco sociat, ita nostra libertate concedimus, ut in potestate & in servitio domini illius, cujus servus fuerit, ambo revertantur.

TIT. X.

Qualiter mulieri liberæ alienare permissum est.

REX ROTHARIS.

I. Nulli mulieri liberæ sub Regni nostri ditione, legeLombardorum, viventi liceat in suæ potestatis arbitrio, id est, sine mundio vivere, nisi semper sub potestate viri, aut potestate curtis Regiæ debeat permanere, nec aliquid de rebus mobilibus aut immobilibus sine voluntate ipsius, in cujus mundio fuerit, habeat potestatem donandi aut alienandi.

REX LUITPRANDUS.

II. Si qua mulier res suas, consentiente viro, aut communiter venundare voluerit, ipse qui eme re vult, vel illi qui vendunt, faciant notitiam ad duos vel tres parentes ipsius mulieris, qui propinquiores sunt. Et si in præsentia de ipsis parentibus suis mulier illa violentiam se pati dixerit, non sit stabile quod vendiderit. Nam si in præsentia ipsorum suorum parentum vel judicis, qui in loco præfuerit violentiam se pati non reclamaverit, nisi sua voluntate ipsas res se dixerit venundare, tunc ab illo die omni tempore, quod vendiderit, stabile debeat permanere: ita tamen ut ipsi parentes, qui interfuerint, aut Judex, in carta ipsa manum ponant. Et si contigerit casus, ut ille maritus moriatur, & ad alium maritum ambulaverit, stabilis permaneat ipsa venditio. Scriba autem, qui cartam ipsam scripserit, non aliter præsumat facere, nisi cum notitia parentum, vel judicum, sicut supra dictum est. Et si aliter fecerit, sit ipsa venditio vacua, & præfatus scriba sit culpabilis, sicut qui falsam cartam scripserit.

REX PIPINUS.

III. Placuit nobis etiam, ut sicut quæque fœmina potestatem habeat cum licentia viri sui res suas vendere, ita habeat potestatem donare.

IMP. GUIDO.

IV. Concedimus, ut sicut mulieres cum viris suis res suas donare aut venundare possunt, ita & commutare valeant, ac familiam suam liberam facere.

TIT. XI.

Qualiter mundoaldus amittat mundium.

REX ROTHARIS.

I. Si quis de puella libera aut muliere mundium in potestate habens (excepto patre aut fratre) & ei crimen injecerit, quod adulterata sit, tunc amittat mundium ipsius puellæ, & illa potestatem habeat cum rebus suis propriis, si vult, ad parentes reverti, vel ad curtem Regis se commendare, qui mundium ejus debeat habere. Et si vir ille hoc crimen dixisse negaverit, liceat ei se purificare, si potuerit, & mundium ipsius, sicut habuit, habere liceat.

IDEM.

II. Si quis mundium de muliere libera, aut puella, in potestatem habens, excepto patre aut fratre, in animam ipsius puellæ aut mulieris insidiatus fuerit, aut alii invitam ad maritum tradiderit; aut volentibus, ad ejus violentiam faciendam, consensum præbuit, aut consilium dederit, & probatum fuerit, amittat mundium ipsius: & illa potestatem habeat de duobus jus eligendi, ut vult ad parentes reverti, aut ad curtem Regis cum rebus suis propriis, quæ ad eam per legem pertinent, se commendare, qui mundium ejus in potestate habere debeat. Et si ille vir hoc crimen negaverit, liceat ei se purificare, & mundium, sicut habuit, si se purificaverit, habeat.

IDEM.

III. Si quis mundium de puella libera aut muliere habens, eam stringam, quod est masca, clamaverit, (excepto patre aut fratre) amittat mundium ipsius, ut supra. Et illa potestatem habeat, ubi vult, ad parentes, aut ad curtem Regis cum rebus suis propriis se commendare, qui mundium ejus debeat habere, & si vir ille negaverit hoc crimen dixisse, liceat ei se purificare, & mundium habere, ut supra.

REX LUITPRANDUS.

IV. Continet ante anterius edictum de frea sua, qui eam male tractaverit, amittat mundium ipsius, & non dicat, qualis sit ipsa mala tractatio. Proinde statuere providimus, qualis sit ipsa mala tracta-

tractatio. Mala tractatio est, si eam fame necaverit, aut vestimentum, aut calceamentum, secundum qua litatem pecuniæ mulieri non dederit: aut si servo vel aldioni alterius eam uxorem dare præsumpserit, aut turpiter baptiderit eam: excepto, si infans fuerit, pro honesta disciplina ostendenda, aut propter mulicbria opera, aut virtum malum emendandum, sicut de propria filia sua. Et si eam ad indecibilem operam coactam minaverit, aut si cum ea adulteratus fuerit, omnia hæc, qui facere præsumpserit; male tractatam esse dicimus. Et in super addimus, ut nec ad liberum hominem eam ad maritum dare præsumat absque ejus voluntate, quia pejus tractata esse non potest, quam si illum virum tollat, quem ipsa non vult. Ideo statuimus, ut propter plagas aut feritas si fecerit, vel de adulterio componat eidem fœminæ, sicut edictum continet, & mundium ejus amittat.

TIT. XII.

De conjugiis servorum vel aldiorum.

REX ROTHARIS.

I. Si aldius cujuscunque liberam uxorem tulerit, id est, sulfreal, & mundium de ea fecerit: postea quam de ea filam habens, & maritus ejus mortuus fuerit; si mulier in ipsa casa noluerit permanere, & parentes ejus eam ad se recolligere voluerint, reddant precium, quod pro mundio mulieris datum est illi, cujus aldius fuerit tunc illa absque morgincap, aut aliquid de rebus mariti revertatur ad parentes suos cum rebus suis, si aliquas res de parentibus adduxit. Et si filii de ipsa muliere fuerint, & noluerint in casa patris sedere, res paternas dimittant, & mundium pro se reddant, quantum pro matre eorum datum est, & vadant ubi voluerint liberi.

IDEM.

II. Si aldia aut libera in casa aliena ad maritum intraverit, & servum ad maritum tulerit, libertatem suam amittat. Et si dominus ejus neglexerit eam replicare ad servitium; mortuo tamen marito vadat sibi, ubi voluerit libera, una cum liberis suis, & cum omnibus rebus suis, quantas in illo tempore secum adduxit, quando ad maritum intravit. Nam amplius nullam rem consequatur, sed vitium suum sibi reputet, eo quod servo consenserit voluntarie.

IDEM.

III. Si aldius ancillam suam, aut alterius, tulerit ad uxorem, filii, qui ex ipsa ancilla nascuntur, sint servi ejus, cujus & mater ancilla est.

IDEM.

IV. Si aldius cujuscunque aldiam aut liberam alienam uxorem tulerit, si filios ex ipso coitu habuerit, patrem sequentur, & sint aldii, cujus & pater est.

IDEM.

V. Si ancilla cujuscunque in casam alterius ad maritum intraverit, & servum tulerit, nihil de ipsa casa marito mortuo consequatur, nisi quantum secum adduxit.

REX LUITPRANDUS.

VI. Si servus cujuscunque ancillam alterius tulerit, & dominus ancillæ eam liberaverit, & admond fecerit à se, ut si eam vendiderit, & qui eam emit doloso animo & liberavit, & servus ipse in servitio permanserit, amittat ipsam libertatem suam, & sit ancilla Regis, & ipse qui eam liberavit componat in curte Regia aliam talem, aut pretium, quantum ipsa valuerit, pro eo quod colludium fecit, servus vero ipse sit in potestate domini sui, & ancillam ipsam faciat dominus servi suam cum pretio, aut qualiter à Rege obtinere poterit.

IDEM.

VII. Si servus cujuscunque legitimam habuerit uxorem, & aliam ancillam super eam duxerit, componat dominus servi sicut in edicto de adulterio continetur ei, cujus postea ancillam tulerit, ancilla vero ipsa pro illicita præsumptione accipiat talem disciplinam à domino suo in domini servi præsentia, ut alia ancilla facere non præsumat.

IDEM.

VIII. Si aldius cujuscunque, aldiam alterius tulerit ad uxorem, & filios ex ea procreaverit, & mundium ex ea non fecerit, sint filii ejus aldiones, cujus & mater fuerit. Nam si postquam ex ea mundium fecerit, & filii nati fuerint, sicut in anteriori edicto continetur, patrem sequantur: & talem legem cum patrono suo habeant, qualem & patrem eorum habuerint.

IDEM.

IX. Si quis fraudulenter ancillam alienam tulerit, & dixerit, quod eam servus aut aldius ipsius tulisset ad uxorem, & postea veritas clarefacta fuerit, quod non eam ipse servus aut aldius tulisset; tunc primum omnium reddat ipsum mancipium, cujus fuerit, & sis ejus ancilla cujus antea fuit. Et ille qui hanc fraudem facere præsumpserit, det insuper aliam talem ancillam aut aldiam eidem homini cui fraudem fecerit, & reddat opera de ipsa ancilla, quam fraudulenter tulit, quamdiu eam apud se habuerit.

IDEM.

X. Si aldius cujuscunque aldiam alienam tulerit in uxorem, aut servus ancillam, & antequam de ipso conjugio aliquam convenientiam domini eorum inter se facere contigerit, quispiam miser homo cum ipsa aldia, aut ancilla, quæ est uxor alterius, fornicatus fuerit: ita providimus, ut eidem,

cujus uxorem adulteraverit, de ipsa culpa debeat subjacere, qui hoc malum perpetraverit. Nam dominus ejusdem mulieris tantum mundium de ea suscipiat, si aldia fuerit, sicut lex est. Et si fuerit ancilla, accipiat exinde precium, aut vicariam, sicut convenerit. Hoc autem ideo prospeximus de uxore servi vel aldionis, quia si de libero homine quispiam miser homo mulierem adulteraverit, ad maritum ejus componat, etiamsi non habeat eam mundiatam, nam non ad parentes.

IMP. CAROLUS.

XI. Ut conjugia servorum non dirimantur, si servos dominos habuerint, sed in uno consortio servi permanentes dominis suis serviant. Sic tamen ut ipsum conjugium legale sit, & per voluntatem dominorum suorum juxta Evangelium; *quod DEUS conjunxit, homo non separet.*

IMP. PIPINUS.

XII. De mancipiis palatii nostri & Ecclesiarum nostrarum nolumus mundium recipere, sed nostra mancipia habere.

TIT. XIII.

De eo qui uxorem suam dimiserit, & aliam super eam duxerit.

REX GRIMOALDUS.

I. Si quis uxorem suam absque culpa legitima postposuerit, & aliam in domum super eam duxerit, componat solid. D. medium Regi, & medium parentibus mulieris, quam postposuerit: mundium vero mulieris ejusdem, quam posuerit, amittat. Et si noluerit ad maritum suum reverti, revertatur ad parentes suos cum rebus suis & mundio.

IDEM.

II. Si mulier aut puella notum habuerit quemcunque hominem uxorem habere, & super ipsa introierit, & tulerit maritum non suum, sancimus ut omnes res suas perdat ipsa mulier, quæ se scienter alterius marito voluntarie consensit: & medium de rebus suis accipiat curtis Regia, & medium parentes mulieris prioris. Et illa prior mulier recipiat maritum suum, & ille colat eam, ut decet uxorem legitimam, & illa vitium suum sibi reputet, quæ super aliam uxorem intrare præsumpserit, & nihil ei componatur, nec fayda requiratur.

REX LUITPRANDUS.

III. Si servus cujuscunque habens legitimam uxorem, & aliam ancillam super eam duxerit, componat dominus servi, sicut edictum de adulterio continet, ei cujus ancilla postea tulit: ancillave ipsa pro illicita præsumptione accipiat talem disciplinam in potentia domini servi & domini sui, ut alia ancilla hoc facere non præsumat.

IMP. CAROLUS.

IV. Ut nec uxor à viro dimissa alium accipiat virum, vivente viro, nec vir aliam accipiat uxorem, vivente priore uxore.

IDEM.

V. Quicunque propria uxore de relicta, vel sine culpa interjecta aliam duxerit, armis depositis publicam habeat pœnitentiam; & si contumax fuerit, comprehendatur à Comite, & ferro vinciatur, & in custodia mittatur, donec res ad nostram notitiam perducatur.

IMP. LOTHARIUS.

VI. Nulli liceat, excepta causa fornicationis, adhibitam sibi uxorem relinquere, & deinde aliam sibi copulare; alioquin transgressori priori convenit sociare conjugio. Si autem vir & uxor dimittere pro sola religione inter se consenserint, vita nullatenus sine conscientia Episcopi fiat, ut ambo singulariter prævisо constituantur in loco. Nam uxore nolente aut altero eorum, etiam pro tali re matrimonium non solvatur.

IDEM.

VII. Nulli liceat in uno tempore duas habere uxores, vel uxorem & concubinam: quia cum domui non sit lucrum, animæ suæ sit detrimentum. Nam sicut Christus castam observat Ecclesiam, ita vir castum debet custodire conjugium.

TIT. XIV.

De Successionibus.

REX ROTHARIS.

I. Omnis parentela usque in septimum geniculum numeretur, ut parens parenti per gradum & parentelam heres succedat. Sic tamen, ut ille qui succedere vult, nominatim unusquisque nomina parentum suorum antecessorum dicat: & si intentio fuerit contra curtem Regis, tunc ille, qui quærit, præbeat sacramentum cum legitimis sacramentalibus suis XII. & dicat per ordinem, quod parentela nostra sic fuit, & ille sic fuere nobis parentes, quomodo nos dicimus.

IDEM.

II. Si quis dereliquerit filium unum, quod forboram, & filios naturales unum aut plures: filius legitimus tollat duas portiones de patris substantia, naturales vero tertiam. Et si sunt duo legiti-

legitimi, habeant quatuor partes; naturales quintam, quanticunque fuerint: & si tres fuerint legitimi, habeant naturales septimam partem: Si quatuor fuerint legitimi, habeant naturales nonam partem: Si quinque fuerint legitimi, habeant naturales XII. partem: Si autem plures fuerint, per hunc numerum dividant patris substantiam.

IDEM.

III. Nulli sit licentia naturales filios æquales aut consimiles facere legitimis suis, nisi filii legitimi post completam legitimam ætatem patri consenserint. Legitimi autem ætas est, postquam filii XII. annos habuerint.

IDEM.

IV. De filio naturali, qui de ancilla alterius natus est, si pater comparaverit eum, & liberum thingaverit, libertas illi permaneat: & si non comparaverit eum, sit servus, cujus & mater est ancilla. Nam si eum comparaverit, & eum liberaverit, & aliquid de rebus suis per legem ei thingaverit, habeat ipsas res.

IDEM.

V. De eo, qui de filio naturali generatus fuerit, qui est trenuis, hæres non fiat, nisi ei thingatum fuerit aliquid per legem; & si ei thingatum non fuerit aliquid de rebus, tamen libertas illi permaneat.

IDEM.

VI. Si quis dereliquerit filiam legitimam unam, & filium naturalem unum aut plures, & alios parentes proximos, æqualiter dividant substantiam defuncti, id est, in tres partes: filia legitima accipiat uncias quatuor, quod est tertia pars, naturales filii uncias quatuor: & parentes proximi aut hæredes uncias quatuor, quod est tertia pars. & si parentes proximi non fuerint, tunc curtis Regia suscipiat ipsas quatuor uncias.

IDEM.

VII. Si quis dereliquerit filias legitimas duas aut plures, & filios naturales unum aut plures & alios parentes proximos, ut supra; illæ filiæ tollant uncias sex, quod est medium: naturales filii uncias quatuor, quod est tertia pars; & parentes legitimi uncias duas, quod est sexta pars. Et si parentes non fuerint, curtis Regia ipsas duas uncias suscipiat.

IDEM.

VIII. Si quis dereliquerit filiam legitimam unam aut plures, & filium naturalem unum aut plures, & sororem legitimam unam aut plures: tollant filiæ & sorores inter se æqualiter dividendas uncias sex, quod est medium, naturales filii uncias quatuor, quod est tertia pars, & duas uncias parentes legitimi. & si parentes legitimi non fuerint, curtis Regia suscipiat ipsas duas uncias, quod est sexta pars. Pro mundio autem tollant naturales filii tertiam partem, & hæredes legitimi, aut curtis Regia partes duas.

IDEM.

IX. Si fuerint filii legitimi & naturales, & sorores tam legitimæ quam naturales, pro mundio eorum tollant filii legitimi partes duas, naturales vero partem tertiam.

IDEM.

X. Si fuerint filii legitimi & filiæ naturales duo aut plures, & contigerit casu, ut unus ex naturalibus obiisse fuerit, tollant legitimi fratres pro compositione ipsius, quod appreciatus fuerit partes duas; naturales, qui remanserunt, vero etiam partem, facultas vero illius mortui ad legitimos fratres revertatur, & non ad naturales. Ideo ad prævidimus hoc propter faydam deponendam, id est, inimiciam pacificandam.

IDEM.

XI. Si fratres post mortem patris in casa communi remanserint, & unus ex ipsis in obsequio Regis, aut cum judice aliquas res acquisierit, habeat inantea absque portione fratrum; & quæ foris in exercitu acquisierit, commune sit cum fratribus, quos in communi casa dimiserit. Et si quis alicui de suprascriptis fratribus garathinx fecerit, habeat inantea ille, cui factum fuerit. Et si quis ex ipsis duxerit uxorem, & de rebus communibus meta data fuerit; quando alter uxorem tulerit, aut quando ad divisionem faciendam venerit, simili modo de communibus rebus ei refundatur aliud tantum, quantum ille alter frater in meta dederit; paternæ autem, vel maternæ substantiæ, quod reliquum fuerit, inter se æqualiter dividant.

IDEM.

XII. Nulli liceat sine certa culpa filium exheredare, nec quod ei debetur per legem alii thingare. Justas autem culpas exheredandi filios eas esse diximus: si filius contra animam patris aut sanguinem insidiatus, aut consiliatus fuerit: aut si percusserit patrem voluntarie: aut si cum matrinia sua, id est, noverca peccaverit, justè à patre exheredatur. Item sicut nec patribus licitum est sine justa causa aut culpa filios suos exheredare, ita nec filiis liceat vivo patre cuicunque res suas thingare aut per quodlibet ingenium alienare, nisi filios forte, aut filias legitimas, aut filios naturales reliquerit, ut ipsi secundum legem conservet.

IDEM.

XIII. Si quis se desperaverit propter senectutem aut aliquam corporis infirmitatem, quod filios non possit habere, & res suas alii thingaverit: postea quam cum contigerit filios legitimos procrea-

re, omne thinx, quæ est donatio, quæ prius facta est, rumpatur, & filii legitimi unus aut plures, qui postea nati fuerint, heredes patri in omnibus succedant. Si autem filias legitimas unam aut plures, seu filios naturales unum aut plures, post thinx factum habuerit, habeant & ipsi legem suam, sicut supra constitutum est, tanquam si nulli alii thingatum fuisset: & ille, cui thingatum est, tantum habeat, quantum alii parentes proximi debuerant habere, aut curtis Regia suscipere, si alii thingatum non fuisset.

IDEM.

XIV. Si pater filiam suam, aut frater sororem suam legitimam, alii ad maritum dederit, in hoc sibi sit concepta de patris aut fratris substantia, quantum ei pater aut frater in die nuptiarum dederit, & amplius non requirat.

IDEM.

XV. Si pater filiam suam, aut frater sororem suam, alii ad maritum tradiderit; & contigerit casus, ut ille maritus moriatur, & pater aut frater mundium ejus liberaverit, sicut supra constitutum est, & illa in domo patris aut fratris regressa fuerit, & alias sorores in casa patris aut fratris invenerit, & postea pater aut frater mortuus fuerit, & illa remanserit in domo cum aliis sororibus una aut pluribus, & ad facultatem patris aut fratris venerint dividendam cum parentibus aut cum curte Regis; tunc illa vidua, quæ in domo patris aut fratris regressa est, habeat sibi morgincap & mephium, de faderfio autem, id est, de alio dono, quantū pater aut frater dederit ei, quando ad maritum ambulaverit, mittatur in confusum cum aliis sororibus, & illa alia soror, una aut plures, tollat unaquæque in antea tantum pro mundio, quantum pater aut frater liberando eam ad parentes mariti definĉti dederit. Reliquam patris aut fratris substantiam æqualiter dividant, sicut in hoc edicto legitur. Et si sola in casa remanserit, in quantum ei per legem competit, heres succedat.

IDEM.

XVI. Si quis sine heredibus mortuus fuerit, & res ipsius ad curtem Regis pervenerit, nec donatum nec præstitum quicunque ipsi mortuo dederit aut præstiterit, non habeat potestatem requirendi, quia postquam ad manum Regis pervenit, terminum posuit, & sine debito aut aliqua repetitione cecidit.

IDEM.

XVII. Si libertus homo, qui sulfreal factus est, filios dereliquerit legitimos, sint illi heredes: filias habuerit, habeant & ipsæ legem suam, sicut supra constitutum est. Et si naturales fuerint, habeant & ipsi legem suam. Et si casu faciente sine heredibus mortuus fuerit, & antea judicaverit res suas proprias se vivente, id est, andingaverit & arigaverit secundum legem Longobardorum, habeat cui donaveris. Nam quantum de rebus benefactoris sui per donum habuerit, si eas non obligaverit in libertatem ad ipsum patronum aut heres revertantur. Et si aliquid in gasindio Ducis aut privatorum hominum obsequio donum conquisierit, res ad donatorem revertantur, in alios vero res, sicut dictum est, si heres non reliquerit, aut se vivo non judicaverit, patronus succedat sicut parenti suo.

IDEM.

XVIII. Si quis habuerit filios legitimos duos aut plures, & contigerit unum ex his vivente patre mori, & dereliquerit filios legitimos unum aut plures, & contigerit avum mori, talem partem percipiant de substantia avi sui, una cum patruis suis, qualem pater eorum inter fratres suos percepturus erat, si unus fuisset. Similiter & filiæ legitimæ una aut plures, aut filii naturales unum aut plures fuerint, habeant legem suam, sicut in hoc edicto legitur. Quia inhumanum & impium videtur nobis esse, ut pro tali causa exhæredentur filii ab hereditate patris sui, pro eo quod pater eorum in sinu avi mortuus est, sed ex omnibus æqualem cum patruis in loco patris sui post mortem avi recipiant portionem. Similiter & legitimi non fuerint, & naturales inventi fuerint, habeant legem suam, id est, tertiam ex omnibus.

IDEM.

XIX. Si quis Longobardus sine filiis legitimis masculinis mortuus fuerit, & filiam dereliquerit, unam aut plures legitimas, ipse ei in omnem hereditatem patris vel matris suæ, tanquam filii legitimi masculi, heredes succedant.

IDEM.

XX. Si quis Longobardus se vivente filias suas, nuptiis tradiderit, & alias in casa reliquerit, & alias in capillo in casa reliquerit, tunc omnes æqualiter in ejus substantia heredes succedere debent, tanquam filii masculi.

IDEM.

XXI. Si quis Longobardus sorores reliquerit, & vivente eo ad maritum ambulaverint, tantum habeant ex fratribus faculcatem, si ipse filios vel filias reliquerit, quantum in die votorum acceperint, quando ad maritum ambulaverint. Nam si ipse frater neque filios, neque filias reliquerit, aut si habuerit, & ante cum mortui vel mortuæ fuerint absque filiis vel filiabus, tunc sorores ejus tanquam in capillo remanserint, quanquam ad maritum ambulaverint, in omnem substantiam ejus æqualiter succedant.

IDEM.

XXII. Si quis Longobardus filias & sorores in capillo in casa reliquerit, pariter atque æqualiter quantæcunque fuerint in hæreditatem ejus ei succedant, tanquam si filios dereliquisset legitimos.

IDEM

IDEM.

XXIII. Si filiæ aut sorores contra voluntatem patris aut fratris egerint, potestatem habeat pater aut frater judicandi res suas, quomodo aut qualiter voluerit.

IDEM.

XXIV. Si sorores in casa patris remanserint, aut ad maritum ambulaverint, succedant patri suo & matri suæ in omnem substantiam eorum sicut antea statuimus. Et si contigerit unam ex iisdem sororibus mori, tunc & quæ in capillo remanserint, & quæ ad maritum ambulaverint, in omnem portionem sororis suæ defunctæ, quamvis puella mortua fuerit, succedant: parentes autem propinqui, aut mundualdi earum, susceperint tantum mundium eorum. Si autem contigerit illam mori, quæ jam nupserit, tradita est, tunc ille ei succedat, qui ei per mundium suum fecit.

IDEM.

XXV. Si duo fratres, aut si pater & filius thingati fuerint, si unus ex ipsis sine filiis vel filiabus mortuus fuerit, curtis Regia ei succedat: Ideo autem hoc scripsimus, quia & si affixum in edicto proprie non sit, tamen omnes judices & fideles nostri sic dixerunt, quod cadaverfedra antiqua usque nunc sic fuisset.

IDEM.

XXVI. Recolimus enim, qualiter jam antea statuimus, si quis decedens reliquerit filiam unam aut plures, & sororem unam & plures in capillo, ut pariter atque æqualiter sorores & filiæ eidem succedere debeant. Et si soror in capillo decesserit, soror, quæ remanserit similiter sorori succedat: modo vero, quia intentio exorta est inter fratres & sorores de nepte earum, quæ in capillo mortua fuerit, altercationem ponentes quis ei succedere debet. Statuimus ut barbanus ejus, in cujus mundio fuerit, ipse ei succedat in ejus portione. Nam amitæ ejus de ipsius portione nihil percipiant, nisi tantum habeant, quantum si viva fuisset ipsa neptis earum.

REX ASTULPHUS.

XXVII. Recolimus in anterioris edicti pagina esse insertum, ut si frater decesserit absque filiis & filiabus, & sorores reliquerit, ipsæ hæredes ei succedere debent. Nam amitæ eorum nepotum successionem nullo modo capere poterant, quia nihil de iisdem amitis in ipso continetur edicto, nisi aut sorores aut parentes propinqui succedere debent, & dum remanebant in capillo inordinatæ, & in casa patientes necessitatem servis se copulabant. Ideo nos Deo inspirante statuere prævidimus, ut si quis Longobardus moriens sororem unam aut plures in capillo in casa reliquerit, & filium unum aut plures, filii ipsius debeant perpensare, qualiter amitæ absque necessitate vivere possint secundum qualitatem substantiæ suæ, ut amitæ eorum indigentiam non patiantur, neque de victu, neque de vestimento, sed nec de ipso obsequio suo. Et si in sacro monasterio sub statuta Regula vivere voluerint, ab ipsis suis nepotibus ordinetur, ut illis prævisum fuerit aut convenerit. Si autem prædicti nepotes decesserint, & sorores reliquerint amitæ eorum, quæ in casa in capillo remanserit, cum ipsis nepotibus suis in rebus nepotum & fratrum succedant æqualiter, quantæcunque fuerint.

IMP. GUIDO.

XXVIII. Volumus præterea atque sancimus, ut si quis liber homo legitimæ uxori suæ, dum advixerit, res suas per scriptum ad usumfructum dederit, & filios duos vel plures habuerit, & unus ex ipsis, vel duo mortui fuerint, & filios & filias reliquerit, æqualiter ipsas res, quas usufructuario modo prædicta uxor habuerit, filii defuncti cum patruis, sicut cæteram hæreditatem, ita usumfructum dividant.

IMP. CAROLUS.

XXIX. Quicunque ex quacunque natione legitimam uxorem acceperit vel acceperit, si eam mori contigerit sine filiis, amborum eorum vir uxori suæ succedat, & omnia bona sua percipiat.

TIT. XXV.

De donationibus, quæ cum thingatione vel lanechil fiunt.

REX ROTHARIS.

I. Si quis res suas alii thingare voluerit, non abscondat, sed ante liberos homines ipsum garathinx faciat, quatenus qui thingat & qui gisiles fuerint, liberi sint, ut nulla in posterum oriatur intentio.

IDEM.

II. Si quis res suas alii thingaverit, & dixerit in ipso thinx lidohip, id est, qui in die obitus sui liquerit, non dispergat ipsas res postea doloso animo, nisi fruatur postea cum ratione. Et si talis evenerit necessitas, ut terram cum mancipiis, vendere, aut loco pignoris ponere debeat, aut sine mancipiis, dicat prius illi, cui thingaverit: ecce vides, quia necessitate compulsus res istas volo vendere, si tibi videtur, subveni mihi, & res ipsas conservo in tua proprietate, tunc si noluerit subvenire, quod alii dederit, sit illi stabile & firmum, qui acceperit.

IDEM.

III. Nulla donatori liceat ipsum thinx, quod antea fecerit, iterum in alium hominem transmigrare,

grare, tantum est ut ille qui garathinx fuscepérit, tales culpas non faciat donatori suo, quales solent ingrati filii parentibus suis facere, per quas exheredantur, quæ in edicto sunt. Ipse autem qui garathinx fuscepérit abillo, quicquid reliquerit donator in diebus obitus sui, habeat licentiam in suum dominium recolligere, & debitum creditoribus solvere, & aliis requirere, & quod in fiduciæ nexu positum est, reddat & requirat rem in fiduciæ nexu positam.

IDEM.

IV. Si quis res suas cuicunque donaverit, & postea, qui donaverit. Iannechild requisierit, tunc ille qui acceperit aut heredes ejus, jurent quod Iannechild redditum sit: & si aufus non fuerit jurare, quòd compositum sit, reddat ei ferquidum, id est, similè, quale in illa die fuit, quando donatum est. Et si juraverit, sit absolutus.

REX LUITPRANDUS.

V. De donatione, quæ sine thingatione, aut sine Iannechild facta est, minime stare debet: quia etsi specialiter in edicto sic non fuit institutum, tamen usque modo sic fuit judicatum. Ideoque pro errore tollendo hoc scribere in edicti pagina jussimus, & qui fuerint propinqui parentes, ipsi succedant. & si ipsi superstites fuerint, qui ipsam donationem sive Iannechild dederint, possint eam sibi recolligere; excepto si in Ecclesia, aut in loco Sanctorum, aut in xenodochio pro anima sua aliquid quispiam donaverit, stabile debeat permanere. Quia in loco Sanctorum, aut in xenodochio, nec thinx aut Iannechild impedire debet, eo quod pro anima sua factum est.

TIT. XXVI.

De Adoptionibus.

IMP. CAROLUS.

I. Qui filium legitimum non habuerit, & alium quemlibet heredem sibi facere voluerit, coram Comite, vel coram Rege, & Scabinis, vel misso dominico, qui tunc ad justitiam faciendam in provincia fuerint ordinati, traditionem faciat.

TIT. XXVII.

De acquisitionibus Actorum Regis.

REX ROTHARIS.

I, Si Gastaldius, aut quislibet Actor Regis, post susceptas & commissas sibi ad gubernandum curtes aut casas Regis, aliquid per garathinx, id est donationem, ab alio quocunque factam conquæsierit, sit illi stabile, si per præceptionem indulgentiæ Regis in eum fuerit confirmatum, aloquin quicquid ut supra dictum est, post susceptam administrationem per garathinx acquisierit, hoc totum Regi acquirat, & non ad suum proprium nomen vendisset, nec ipse nec heres ejus.

IMP. LOTHARIUS.

II. Concedimus etiam Gastaldiis nostris curtes nostras providentibus, ut si proprio eorum precio res emerint, aut quolibet justo contractu acquisierint, sicut lex illas res ad nostram partem concedit, ita nos eas illis concedimus, si in servitio nostro fideles inventi fuerint.

TIT. XXVIII.

De ultimis voluntatibus.

REX ROTHARIS.

I. Si quis leprosus fuerit effectus, & cognitum fuerit judici vel populo, quia certa sit veritas, & expulsus sit à civitate, vel à casa sua, ita ut solus inhabitet, non sit illi licentia res suas alienare aut thingare cuilibet personæ, quia in eodem die, quando à domo expulsus est, ranquam mortuus habetur. Tamen dum vixerit, de rebus quas da reliquerit, pro mercedis intuitu nutriatur.

REX LUITPRANDUS

II. Si quis Longobardus, ut habet ecasus humanæ fragilitatis, ægrotaverit, quanquam in lectulo jaceat, potestatem habeat dum vivit, & recte loqui poterit, pro anima sua judicandi vel disponendi de rebus suis, quomodo aut qualiter voluerit, & quod judicaverit, stabile debeat permanere.

REX ASTULPHUS.

III. Cognovimus multoties, perfidos homines contra voluntatem defunctorum parentum fuorum agere, dum ipsi pro animabus suis per loca venerabilia res suas distribuebant, & pertinentibus suis simpliciter libertatem cum rebus quibuslibet donabant, & cum ipsis hominibus per astutiam agebant, & eos à suis cespitibus removentes in suum servitium replicabant, & postmodum libertatem simul & res amittebant. Ideo prævidimus hanc resecare malitiam, ut voluntas & ordinatio defuncti adimpleatur, & ita sancimus: ut, si quis Longobardus per chartam, in sanitate aut in ægritudine, res suas ordinaverit, & dixerit eas habere loca venerabilia, & familias, per quas res ipsæ excolantur, liberas esse dixerit, ut in ipsis religiosis locis redditum faciant, secundum ipsius statutum reddant omni tempore, juxta domini præceptionem, ipsi & filii eorum, & sit liberi de suis personis, sicut dominus eorum instituerit, & ab eis heredibus non replicentur, nec à suis cespitibus removeantur, sed ab ipsis locis venerabilibus defensentur: Excepto si sua voluntate voluerint exire, licentiam habeat

beant in sua libertate exire, & vivere ubi voluerint. Nam si ad fidem mortis properaverit, ita ut nec thingare hominem suum possit, nec in manu Sacerdotis tradere circa altare liberum dimittendum, propter subitaneam mortem, & instituerit, ut post obitum ejus per manum sacerdotis, qualem designavit, circa sacrum altare duci debeat, causa miserationis decrevimus, ut, sicut dominus eorum pereperit ita impleatur, & sacerdos, quem designaverit, circa altare eum absque cujuscunque contradictione absolvat, & liberi permaneant, quia maxima merces nobis esse videtur, ut de servitio servi ad libertatem dedicantur, eo quod Redemptor noster servus fieri dignatus est, ut nobis libertatem donaret. Si vero aliquid eis in ipso exitu donaverit, aut donare præceperit, stabilis eis ipsa donatio permaneat: quia Pauli Apostoli auctoritas maxime ad domesticos fidei beneficium præbere jubet. Et pro lanne-child imputetur ei servitium, quia servus non habet unde lanne child ei faciat.

IMP. CAROLUS.

IV. Si quis Longobardus, statum humanæ fragilitatis prægogitans, pro salutæ animæ suæ de rebus suis voluerit judicare, vel quartam donationis cuilibet facere, non, sicut hactenus fieri solebat, jus sibi vendendi, donandi, commutandi, & per aliam cartam eas dem res alienandi reservet potestatem: sed absolute faciat unusquisque de rebus suis quod velit, & noscat sibi ex nostra auctoritate penitus interdictum esse, duas de eadem re facere traditiones, Sed postquam unam de rebus suis traditionem fecerit, aliam de ipsis rebus faciendi nullam habeat potestatem. Ita tamen, si usumfructum voluerit habere precariam, res traditas usque in tempus definitum possidendi, sit concessa facultas.

IDEM.

V. Quicunque res suas pro anima sua ad casam Dei tradere maluerit, dominii traditionem faciat coram testibus legitimis. Et qui in hoste factæ sunt hactenus traditiones, de quibus nulla quæstio est, stabiles permaneant. Si vero alrquis alii res suas tradiderit, & in hostem profectus fuerit, & ille, cui res traditæ sunt, interim mortuus fuerit, & qui res suas tradiderit, cum reversus fuerit, adhibitis testibus, coram quibus traditio facta est, res suas recipiat. Si autem ipse mortuus fuerit, heredes ejus legitimi ipsam rem traditam recipiant.

REX PIPINUS.

VI. Si cujuscunque res in eleemosina datæ sunt, & ipse homo mortuus fuerit, antequam eas dispensaverit, tunc dominicus missus, una cum Episcopo parrochiæ ipsius consideret, qualiter pro mercede domini Regis ipsa eleemosina fiat facta, & infra xxx. noctes adimpleta esse debeat.

IMP. LODOVICUS.

VII. Si quis suas res pro salute animæ suæ ad aliquem venerabilem locum, aut ad propinquos suos, aut cuilibet alteri tradere voluerit, & eo tempore infra ipsum Comitatum fuerit, in quo res illæ positæ fuerint, legitimam facere traditionem studeat. Et si eodem tempore, quo res illas tradere vult, extra eundem Comitatum fuerit, id est, sive in exercitu, sive in palatio, sive in alio loco quolibet, adhibeat sibi de suis pagensibus, vel de aliis, qui ea lege vivant, qua ipse vivit, testes idoneos. Et si illos habere non potuerit, tunc de aliis quales meliores sibi invenire potuerit, sibi adhibeat, & coram eis de ipsa re traditionem faciat, & fidejussori investituram donet, ut ei, qui illam traditionem acceperit, investitura m faciat, & postquam hæc traditio ita facta fuerit, heres illius illam de prædictis rebus valeat facere repetitionem. Insuper & ipse fidejussor faciat eidem investituram, ne ejus heredibus ulla occasio remaneat hanc traditionem mutandi, sed potius necessitas incumbat illam, perficiendi: & si nondum res suas cum coheredibus suis divisas habuerit, non hoc ei impedimentum sit, sed coheredes ejus, si sponte noluerint dividere, aut per Comitem aut per Missum ejus distringantur, ut cum illo divisionem faciant, ad quem defunctus hæreditatem suam voluerit pervenire. Et si cuilibet Ecclesiæ eam tradere rogaverit: coheres ejus eam legem cum illa Ecclesia de prædicta hæreditate habeant, quam cum alio coherede suo habere debuerat. Et hoc observetur erga patrem, & filium, & nepotem usque ad Annos legitimos, & postea ipsæ res ad immunitatem ipsius Ecclesiæ redeant.

REX LOTHARIUS.

VIII. Volumus, ut si res à liberis personis locis dedicatis conferuntur, liceat sibi usumfructum & ordinationem rerum earundem, si aliter sibi placuerit reservare. Si aliter eas non ordinaverit, ita remaneant, sicut prius data fuerint.

TIT. XIX.

De eo qui res alii post delegationem fraudulenter alienaverit.

REX ROTHARIS.

I. De his qui proprietates suas habent, & spontanea voluntate alicui delegaverint, & postea ab aliquo alio ignorante precium de iisdem rebus venundatis accipiunt, & ipsi, cui ipsæ res traditæ fuerint, cognito negotio anno integro silens non contradixerit, sed propter illusionem tacens fuerit, ut emptorem illudere posset. Si intra patriam anni spacium (ut dictum est) tacens fuerit, prior traditio nihil ei valeat, ille vero, qui post primam traditionem res vendiderit, sur vivens comprobatus fuerit hanc illusionem fecisse, bannum dominicum, id est, LX. solid. componat: si vero unde bannum componere non habuerit; verberetur.

TIT.

TIT. XX.

De eo quod pater filiis vel filiabus necesse habeat relinquere.

REX LUITPRANDUS.

I. De eo præcipimus, qui filiam in casa habuerit in capillo, & filium non reliquerit legitimum, ut de rebus suis amplius per nullum titulum cuicunque per donationem, aut pro anima sua facere possit, nisi partes duas: tertiam vero relinquat filiæ suæ, sicut gloriosissimus REX ROTHARIS instituit. Quia qui thinx facit, & postea filia nascitur, in tertiam partem ipsum thinx rumpitur, secundum anterius edictum, & si duæ fuerint aut amplius, in medietatem. Ideo dum ipsum edictum loquitur de thinx, quod est donatio, nobis comparuit, quod per nullam donationem, nec per launechild possit filiam suam de ipsa tertia portione substantiæ suæ ex heredem facere: Et si duæ aut plures fuerint, de medietate.

IDEM.

II. Si quis Longobardus habuerit filium masculum legitimum unum, & filiam legitimam unam aut plures, & antequam eas ad maritum tradat, ad mortem venerit, potestatem habeat per cartam donationis si voluerit, usque ad quartam portionem de rebus suis judicare, & si judicaverit, stabile permaneat. Nam si duos filios legitimos habuerit, & filiam unam aut plures, septimam portionem de rebus suis judicet, si voluerit, Si vero amplius fuerint filii, per hanc rationem computentur. Si vero patre vivente se eas ad maritum dederit, ordinet juxta legem, qualiter voluerit.

IDEM.

III. Si quis Longobardus voluerit filiis suis sibi bene servientibus, aliquid largire, habeat licentiam hoc modo largire: ut si fuerint duo filii, tertiam partem substantiæ suæ possit meliorare ei, qui bene & secundum Deum ei obediens fuerit. Et si tres fuerint, habeat licentiam quartam partem meliorare, qualem voluerit. Et si fuerint quatuor, tribuat quintam partem: & si fuerint quinque, sextam partem: & si fuerint sex, septimam partem: & si amplius fuerint, per hunc numerum percurrat: ut semper qui pater est, vigorem habeat, qualiter ei filii sui (ut diximus) recte obediant & serviant. Et si toti ei bene servierint, habeant æqualiter substantiam patris. Et si forsitan quicunque secundum aut tertiam mulierem duxerit, & habuerit filios & de anteriore conjuge, & de sequenti: non habeat potestatem illos posteriores, quorum mater vivit, meliorare, dum ipsa vixerit, ne dicat aliquis, quod per illam mulierem talis suasio facta sit. Defuncta autem muliere pater licentiam habeat facere, ut supra legitur. Quia credimus secundum Deum esse, ut dum servos, qui bene servierunt, meliorat os videmus & remuneratos à dominis suis, magis quam illos qui recte non servierunt, quanto magis debet fieri recta ut homo filium suum meliorare & remunerare possit, qui ei melius servierit.

REX ASTULPHUS.

IV. A nostris decessoribus jam antea institutum est, ut Longobardus potestatem habeat, filium suum sibi bene servientem meliorare de rebus suis. De filiabus autem non continebatur: ideo statuimus, ut si duas filias habuerit, & filium non reliquerit, potestas ei sit unam filiam suam, qualem voluerit, meliorare in tertiam partem rerum suarum: & si tres fuerit, quartam: & si amplius fuerint, per hanc rationem computentur.

IMP. PIPINUS.

X. De filia, cujus pater per manum erogatoris omnes servos suos jussit fieri libertos, & quia contra legem esse videtur, instituimus, ut in tertiam portionem, de præfatis rebus, iterum introire possit.

TIT. XXI.

De debitis & guadimonis, & quæ liceat pignorare vel non.

REX ROTHARIS.

I. Si quis debitorem habens appellet eum semel & bis, & usque in tertium diem, & si debitum non reddiderit, aut non composuerit, tunc debeat eum pignorare in his rebus, in quibus pignorare licitum est.

IDEM.

II. Si quis alium pro quolibet debito aut causa pignorare præsumpserit, antequam cum tertio pulsaverit, pignus, quod ante contestationem tulerit, sibi novum reddat in potestate domini sui.

IDEM.

III. Nulli liceat alium pro alio pignorare, excepto illo, qui gaphans esse invenitur, id est coheres ejus proximior, qui ad illius hereditatem, si casus evenerit, venturus est.

IDEM.

IV. Si quis per errorem, aliam pro alio pignoraverit, in servo aut ancilla, ita decernimus, ut postquam cognovit, quod male pignoraverit, mox ipsum pignus relaxet. Et si pulsatus fuerit à domino servi vel ancillæ, tunc præbeat sacramentum, quod per errorem fecit, & non asto animo, sed credidit debitorem suum pignorasse, & tunc sit indemnis. Nam si plagas aut feritas fecerit, in ipsum pignus componat sicut in hoc edicto legitur. Et si sacramentum dare non præsumpserit, quod per errorem pignorasset, reddat pignus in octogild.

IDEM.

IDEM.

V. Si quis greges equarum sive porcorum sine jussione Regis, pignoris nomine abstulerit, ille prior aut moriatur, aut componat solid. nccce. medium Regi, & medium cui pignus abstulerit: & illi qui cum illo fuerint, si tamen liberi sunt, componat unusquisque solid. lxxx. medium Regi, & medium illi, quem pignoraverit, ut supra. Et si servi dominum secuti fuerint, in compositione domini sui computetur. culpam enim fecit dominus; nam non servi, qui dominum suum secuti sunt.

IDEM.

VI. Si quis caballos domitos, aut boves, aut vaccas jugo domitas pignoraverit sine jussione Regis, sibi novum reddat.

IDEM.

VII. Si quis liber homo, qui debitor est, alias res non habuerit, nisi capallos, aut boves domitos, seu vaccas junctorias; tunc ille, qui debitum requirit, vadat ad sculdasium, qui in loco ordinatus est, & intimet causam ipsam, quod debitor ipsius alias res non habeat, nisi quod supra legitur. Tunc sculdasius tollat boves aut caballos ipsius, & ponat eos penes creditorem, dum usque justitiam faciat. Si sculdasius dilataverit facere, sit culpabilis in palatio Regis solid. xii. Et post justitiam factam pignus restituatur.

IDEM.

VIII. Nulli liceat pro quolibet debito casam ordinatam tributariam loco pignoris tollere, nisi servum aut ancillam, vaccas aut pecora, ita ipsum aut pignus, quod tulit per suam custodiam salvum faciat usque ad præfinitum tempus, sicut subter annexum est, id est, intra eas personas, quæ intra centum miliaria habitant intra dies xx. Et si intra dies istos xx. debitor pignus suum, justitiam faciens & debitum reddens, non liberaverit, & post transactos dies xx. contigerit ex ipso pignore mancipium aut quodlibet peculium mori, aut homicidium, aut damnum fieri, aut alibi transmigrare, tunc debitor in suum damnum reputet, qui sua pignora liberare neglexerit. Nam si intra xx. dies serviant ancillæ mortui fuerint, aut peculium perierit, aut homicidium, aut damnum dederit, ipse, qui pignoraverit, in suum damnum reputet. Et si supra centum miliaria inter se creditor & debitor habitaverint, tunc usq; ad xl. dierum spacium pœna supra scripta pignus custodiatur.

IDEM.

IX. Si quis alii guadiam & fidejussorem de sacramento dederit, omne, quod per guadiam & fidejussorem obligavit, ad impleat: & ille, qui pulsat & guadiam suscepit, proximiores sacramentales, qui nascendo sunt, debeant nominare tantum; excepto illo, qui gravem inimicitiam cum ipso, qui pulsatur, commissam habet, id est, si ei plagam fecerit, aut in morte ei consenserit, aut res ipsius alii thingaverit, ipse non potest esse sacramentalis, quamvis proximus sit, eo quod inimicus & extraneus esse inveniatur.

IDEM.

X. Si quis alii guadiam dederit, & eam recipere neglexerit per fidejussorem, & apud eum remanserit una nocte, aut ii, vel iii, nihil componatur. Si remanserit iv. noctibus, componat solid. xii. Si remanserit v. noctibus, componat solid. xxiv. Si remanserit vi. noctibus, componat solid. xxxvi. Et si ille, qui eam acceperit, eam reddere neglexerit per fidejussorem, & apud eum remanserit, sic componat, quomodo ille, qui guadiam suam recipere neglexerit.

IDEM.

XI. Si mundium de puella libera parentibus mortuis suis ad curtem Regis ceciderit, & pater & frater debitum dimiserit, in quanta portione patri vel fratri heres successerit, ita debitum persolvat: simili modo, & si naturalis filius fuerit.

Rex LUITPRANDUS.

XII. Quicunque liber homo sub Regni nostri ditione positus, cuicunque amodo guadiam dederit, & fidejussorem posuerit in præsentia duorum vel trium testium, quorum fides amittitur, in omnibus complere debet. Et si se distulerit, & pignoratus fuerit in his rebus, in quibus licitum est pignorare, nullam calumniam, qui pignoravit, patiatur. Nam qui sine hac manifestatione pignorare præsumpserit, jubemus ut in duplum ipsum pignus restituat. Si vero inter creditorem & debitorem atque fidejussorem orta fuerit intentio, qualiter in anteriori edicto legitur, quod a Glorioſissimo Rothare Rege institutum est, per sacramentum determinetur. Nam si in præsentia duorum vel trium testium stipulatio ipsa facta fuerit, ut eorum testimonio credatur, ut sacramentum inter dantes & accipientes minime perveniat. Et si debuerint ipsi testes suum testimonium firmare nobis, vel quilibet tempore Princeps fuerit, vel judici firmare debent. Et si homines non interfuerint, quando guadia datur, quicunque quasi fidejussorem pignoraverit, componat, sicut supra legitur.

IDEM.

XIII. Si quis mutuaverit solidum cuicunque homini, per cautionem, si intra v. annos creditor pulsaverit, & debitor non habuerit unde solvat, renovetur cautio ipsa usque ad annos x. Et si intra annos x. pulsatus fuerit, & non reddiderit, & dilataverit usque ad annos xx & fuerit pulsatus; aut per Principem, aut per Judicem civitatis; & probatum fuerit per ipsam cautionem, debitor aut heres ejus persolvat. Nam si nec cautio fuerit intra annos x. bis renovata, neque per Principem aut Judicem ostensa fuerit, live manifesta usq; ad viginti annos, jubemus, ut creditor post modum taceat, & nullam habeat facundiam requirendi debitoribus suis; (excepto si ei captivitas evenerit.) De cautionib. autem, quæ usq; modo in præsenti indictione tertia factæ sunt, intra quinq; annos istos advenientes jubemus, ut

renoventur aut exigantur. Nam si distulerint intra quinque annos debitores suos pulsare, ut cautiones renoventur, aut debita reddantur, & sic negligentiam fecerint, non habeant postmodum facultatem ipsa debita requirendi. De his autem cautionibus, quæ amodo factæ fuerint, sic fiant, sicut supra præmisimus atque statuimus.

IDEM.

XIV. Si quis dederit guadiam, & eam recipere neglexerit per fidejussorem, componat sicut in anteriori edicto legitur. Et si ille qui spiam guadiam acceperit, reddere neglexerit per fidejussorem, & apud eum remanserit, sic componat, quomodo & ille, qui guadiam suam recipere neglexerit.

IDEM.

XV. Si quis alii homini guadiam dederit, & tunc quam eam per fidejussorem liberet, violenter de manu illius abstulerit, componat ei, cui ipsam guadiam de manu abstraxerit, solid. XXIV. Hoc autem ideo affingere præcipimus, ne pro tali causa scandalum oriatur, aut animæ pereant.

IDEM.

XVI. Si quis alii guadiam dederit, & voluerit eam per fidejussores suos recipere, & adduxerit ad eum, qui guadiam receperit, fidejussores, unum aut duos, vel tres, & ipse dixerit, nescio qui sint, ut damnum ei facere possit: tunc adducere ei debeat fidejussores, aut de illa civitate unde ipse est, qui guadiam dedit, aut unde ipse est qui suscepit. Et si ibi minime inventi fuerint, tunc suscipere debeat ipse, qui guadiam accepit, fidejussorem liberum hominem, quem conlibertus ejus cognitum habeat, & dicat ei; ego scio quia ei credere potes: ut homo ille, qui guadiam dedit, damnum non patiatur.

IDEM.

XVII. Si quis alii homini guadiam dederit pro quacunque causa, & fidejussorem posuerit, & postea ipsi fidejussori antestaterit, aut pignus de manu tulerit, & probatum fuerit, componat solid. xx.

IDEM.

XVIII. Si quis alii homini guadiam dederit, & fidejussorem posuerit, & ipse fidejussor eum pignoraverit, & pignora ipsa ad creditorem ejus dederit; & postea ipse, cujus pignora fuerint, per vim ea tulerit, componat ipsa pignora in octogild.

IDEM.

XIX. Si quis alium ante constitutum pignoraverit, & probatum fuerit, quod ante constitutum pignorasset, componat ipsum pignus in octogild.

IDEM.

XX. Si quis debitum fecerit, & res suas vendiderit, & tale fuerit ipsum debitum, quod solvere non possit, & filius ejus per uxorem suam aliquid conquisierit, vel postea sibi per quodcunque ingenium laboraverit, postquam genitor ejus omnes res suas venundaverit, vel pro debito suo creditoribus suis dederit, aut à publico intromissæ fuerint, non habeant facundiam creditores res ejus, quas filius de coniuge sua habere videtur, vel postea conquisivit aut laboravit, repetendi aut distrahendi, sed habeat sibi filius ejus jure quieto: sic tamen, ut si à creditoribus pulsatus fuerit, præbeat sacramentum, quod de rebus patris aut matris suæ, si ipsa in mundio patris sui mortua fuerit, nihil apud se habeat, nec alicubi commendasset aut abscondisset, & sit absolutus. Et si postea apud eum inventum fuit de rebus parentis, componat in octogild.

IDEM.

XXI Si quis alii cautione fecerit, & non ei obligaverit nominative de reb. suis, nisi dixerit in ipsa obligatione, in quibuscunq; locis de reb. suis potuerit invenire, & postea vendiderit ad alium hominē, habuit ipse, qui eas emit. Nam si obligatæ fuerint nominative, non eas possit vendere, dum usque ipsam cautionem sanaverit, & qui cautionem facere noluerit, aut nominative obliget de reb. suis, qualiter intra eos convenerit, aut faciat ipsam cautionem de tantis rebus, quantum in illa die soli ipsi fuerunt.

IDEM.

XXII. Si plures homines cartam convenientiæ inter se fecerint, & pœnam posuerint, & postea unus vel duo, vel amplius se de ipsa convenientia subtrahere voluerint, aut pœnam corruperint, unusquisque componant per capud ipsam pœnam, quam posuerunt in integrum, quia omnes unanimiter consenserunt, & nullus eis imperavit talem causam facere. Ideo per capud, qui ruperit componat, sicut per capud voluntarie consenserunt.

IDEM.

XXIII. Si quis à convenientia per cartam à se facta subtraxerit, heres ejus pœna compositionis tenetur astrictus præcepto per quandam institutionem, vel quæ est. Hoc loco admonendi sumus, quod maleficiorum litigium, nisi lis contestata fuerit, adversus heredes non transeat. Si vero de contempta litigaverit, si lis contestata fuerit, sive non heredi, & in heredem competit.

IDEM.

XXIV. Si quis fidejussorem aut debitorem suum pignoraverit, & ipsum pignus recolligere neglexerit, & per dies XII. dimiserit; tunc ille, qui pignus apud se habuit, si servus aut ancilla est, custodiat eum, ut ei fugam non faciat, & faciat eum sibi operas facere, sicut proprium suum servum aut ancillam: & insuper licentiam habeat repignorare usq; in secundam vicem, ut sint ipsa pignora in triplum quantum debitum est. Et si per XXX. dies pignora ipsa aut debitor, aut fidejussor recolligere neglexerit, si in Neustria & in Austria fuerit, amittat ipsa pignora, & non habeat facundiam requirendi. Si vero in partibus Tusciæ fuerit, habeat spacium in diebus LX. Nam si super LX. spacium dierum fuerit, similiter amittat pignora ipsa, & insuper potestatem habeat, qui pignoravit, causam ipsam per legem agere & procurare.

Aal. Istria

IDEM.

IDEM.

XXV. Si quis permissum habuerit à debitore aut à fidejussore suo, ut boves vel caballos domitos pignorare possit. Et pignoraverit, & intra x II. noctes pignora sua debitor aut fidejussor recolligere neglexerit, potestatem habeat ea minare sicut sua propria & gubernare. Et si mortua fuerint, non requirantur : nam si pullatus fuerit, quod in quo animo plus quam sua animalia minasset, satisfaciat ei solus ad Evangelia. Si vero per xxx. dies de ista parte alpis, aut per LX. ex illa parte alpium dilataverit, & non recolligerit, sicut supra de servo aut ancilla statuimus, ita de caballo aut bove, auro vel argento, vestimento, farramento aut animalibus minutis, vel quodlibet pignus fuerit, esse ita censemus.

IDEM.

XXVI. Si quis servum aut ancillam loco pignoris tenuerit, & furtum aut damnum, aut homicidium, aut quodlibet malum fecerit, non reputetur proprio domino suo, nisi ei qui eum tenuerit, quia postquam eum pro debito suo comprehenderit, sic custodire debuit, ut aliquid malum facere non posset. Si vero ancilla fuerit, & cum ea ipse, qui cœpit pignus, aut servus ejus adulteraverit ante tempus supra constitutum, quod supra proposuimus de xxx. vel de LX. diebus, componat adulterium ipsum proprio domino, cujus ancilla fuerit; post constitutum vero xxx. vel LX. dierum spacium, sit in potestate ejus, qui pignoravit, si ipse, cujus fuerit, recolligere neglexerit.

IDEM.

XXVII. In anterioris edicti nostri capitulo affiximus, ut si ad guadiam suam solvendam quispiam liber homo tres fidejussores habuerit liberos homines; & ipse qui guadiam suscepit, reddere neglexerit, sic componat sicut ille, qui non habuerit fidejussores paratos. Modo vero dum pravos hominesque cognovissemus tales fidejussores vel statuere qui nihil habeant, nisi solummodo personam suam, ut per eos justitiam suam creditor ipse minime invenire possit: statuimus, ut tales debeant esse fidejussores ipsi, ut si amplius non habuerint, quomodo eos pignorare possit, quam ipsa obligatio sit; vel tantum habeant, quantum, ut diximus ipsa obligatio est, unde fidejussores intervenire debent. Nam si minus habuerint, non sit culpabilis ille, qui eos recipere noluerit. Nec ipse, qui dare debet, excusare se possit à culpa, dicendo quod fidejussores paratos habuisset, quia impossibile est, ut homo talem fidejussorem accipiat, quo non habeat vel amplius, vel tantum quantum ipsum debitum fuerit, quod tollere loco pignoris possit. Et si de præsenti habuerit, unde det tales fidejussores, qui recipiendi sunt, ecce bene, si autem non habuerit ipsa hora, sit spacium de ipsa guadia per tres dies sine culpa, & postea dare debeat tales fidejussores, qui habeant unde persolvant, quod debitor dare debet. Si vero amplius dilataverit ad fidejussores dandos, componat, sicut antea statuimus.

Rex RACHIS.

XXVIII. Si quis amodo in præsentia Regis, vel Judicis, seu liberorum hominum qualicunque modo guadiam dederit, & postea negare voluerit ille, qui guadiam dedit, quod in tali tenore guadiam non dedisset, sicut ille quærit, qui guadiam suscepit: si fuerit inter liberos homines, quorum fides admittitur, non habeat licentiam jurare, quod in tali tenore guadiam non dedisset, nisi qualiter Judex, qui judicavit rem, memoraverit, vel homines, qui interfuerint, quando guadiam ipsam dederit, testificati fuerint, ita compleat, & in eorum testimonio credatur. Quia si *stantia, quam ante liberos homines tres aliquis fecerit, stare debet, quanto magis ea causa, quæ per guadiam firmatur, & homines liberi interfunt, nihilominus negare convenit. Si vero tales homines non interfuerint; quorum fides amittitur, quando ipsa guadia data fuerit, tunc exinde proeedat judicium, sicut ab ipso ROTHARE Rege constitutum est. * for substan tia.

Imp CAROLUS.

XXIX. Ut omnia, quæ guadiari debent, juxta ea, quæ in lege continentur, pleniter secundum ipsam legem guadiata fiant, & postmodum vel dominus Rex vel ille cujus est causa, juxta quod ei placuerit, misericorditer faciat.

Imp. LOTHARIUS.

XXX. Similiter concedere volumus cunctis liberis personis, ut nullus Judex publicus, si ministri publici causes, in quibus non est licitum pignorare, contra legem audeant pignorare, scilicet in tribus: quia audivimus multa damna & affectiones propter hoc populum nostrum sustinuisse: Neque cogantur ad placita venire præter tria in anno, sicut in capitulari continetur, exceptis Scabinis & cautatoribus & testibus necessariis: quia omnia hæc auferre volumus, ut populus noster pacifice sub nostro regimine vivere possit.

TIT. XXII.

De quantitate solidorum.

Imp. CAROLUS.

I. De omnibus debitis solvendis, sicut antiquitus fuit consuetudo, per XII. denarios solidi solvantur per totam Salicam legem: Excepto si Leudes, id est, Saxo aut Frixo Salicum occiderit, per LX. denarios solidi solvantur. Inter Salicos vero ex utraque parte de omnibus debitis, sicut diximus, per XII. denarios solidi solvantur, sive de homicidiis, sive de omnibus rebus.

IDEM

II. Omnia debita, quæ ad partem Regis solvi debent, per XII. denarios solidi solvantur: Excepta freda, quæ in lege Salica scripta est, eisdem solidis, cum quibus cæteræ compositiones solvi debent, componat.

IMP. LODOVICUS.

III. Ut omnis solutio atque compositio, quæ in lege Salica continetur, intra Franciam per XII. denarios solidi componantur: excepto ubi intentio inter Saxones & Frixones orta fuerit, ubi volumus, ut per LX. denariorum quantitatem solidi habeant. Et quæ vel Saxo aut Frixo ad partem Salicam, Francis cum eis litigantibus, solvere debent, ita ut supra constitutum est, componatur.

TIT. XXIII.

De rebus emptis à conditore casæ.

REX LUITPRANDUS.

I. Si quis liber homo in casa alterius introierit ad residendum, & ei censum reddendum, & postea aliquid emerit de illis rebus, quas secum adduxerit, quando in ipsam casam intravit, aut forsitan habuerit rem de muliere sua: si exinde emerit, & sic probatum fuerit, tunc ipsum negotium dimittat in ipsa casa, & recipiat precium suum. Et ipsa probatio in hoc ordine debeat fieri, ut non de rebus mulieris suæ aliquid comparavit, adducat homines qui sciant quod ipsum precium de rebus mulieris suæ sit, ut causa ipsa non veniat ad perjurium, sed quomodo voluerit juret, ut de rebus mulieris suæ comparatio ipsa facta fuisset, & illi testes firmiter sciant & jurent, quia interfuimus, quando ipsa comparatio de rebus mulieris facta est. Et sic postea recipiat precium suum, & ipsum negocium remaneat in ipsa casa. Nam si de illo labore comparaverit, quod postea laboraverit, aut fecit postquam in ipsa casa ad censum reddendum introierit, in ipso cespite dimittat, ubi laboravit. Hæc autem ideo affiximus, quia tantummodo causa ipsa in hoc modo semper & antecessorum nostrorum tempore etiam nostro per cadarfedam sic judicatum est: nam in hoc edicto ascriptum non fuit.

TIT. XXIV.

De Treugis.

REX LUITPRANDUS.

I. Si Judex aut Actor publicus in qualicunque civitate aut loco inter homines, qui aliquam discordiam habent, treugas tulerit, & unus ex ipsis hominibus, inter quos ipsæ treugæ latæ, sibi eas tulerit: & medium de ipsis treugis componat in publico, & medium illi cujus causa est, & ipsæ treugæ non sint minus quam solid. CCC. Qui autem forsitan amplius pro majoribus causis ponere voluerit, sit eis licentia.

TIT. XXV.

De non suæ rei venditione.

REX ROTHARIS.

I. Si quis res alienas, id est, servum aut ancillam seu alias res mobiles, sciens alienas esse, ut suas ubicunque transvendiderit, & inventum aut probatum fuerit, in octogild eam restituat: & si per ignorantiam vendiderit, tunc præbeat sacramentum, quod credens suas res vendidisset, & reddat capud cum nutrimine suo in qualecunque sit.

REX LUITPRANDUS.

II. Si quis liberum hominem foris provinciam vendiderit, & probatum fuerit, componat guidrigild ejus, tanquam si eum occidisset.

IDEM.

III. Si quis servum alienum foris provinciam vendiderit, & probatum fuerit, in quadruplum componat, sicut appreciata fuerit ipsa persona.

REX LOTHARIUS.

IV. Quicunque res alienas cuilibet homini vendiderit, & ipse homo easdem res alicui alteri dederit sive vendiderit, & ipse tunc easdem res comparatas habet, per malum ingenium proprio filio suo, aut alteri cuilibet nec dum legitimos annos habenti justitiæ tollendæ causa tradiderit. Volumus atque præcipimus firmiter, ut si pater ejusdem parvuli vixerit, ipse intret in causa rationem reddere pro filio suo. Si autem ipse pater mortuus fuerit, tunc legitimus ejus propinquus, qui ei tutor juste ac defensor esse videtur, pro ipso rationem reddere compelletur. Similiter & de omnibus aliis justitiis ad eum pertinentibus, excepta sua legitima hereditate, quæ ei per successionem parentum suorum legitime obvenire debeat. Quod si quis hanc nostram jussionem contemperit vel neglexerit, sicut de cæteris contemptoribus, ita de eo agatur. Is vero, qui easdem res primum invaserit, & injuste vendiderit, nec non & emptor, excepta sola persona parvuli, hoc quod fraudulenter amiserit, intra patriam emendare cogantur: & postea sicut contemptores jussionis nostræ, sub fidejussoribus, ad nostram præsentiam venire compellantur.

TIT.

TIT. XXVI.

De his quæ ob causam dantur.

REX LUITPRANDUS.

I. Si quis pro causa sua aliquid judici, vel ad qualemcunque loci Præpositum vel fidelem regis, dederit, & vivente eo requisierit, dicendo quod liberatus non sit; faciat illi justitiam post quantoscunque annos requisierit. Nam si post mortem ejus filius aut heres ejus pulsaverit, statuimus, ut si vivente patre pulsaverit proclamando ad regem, aut compellando per tales homines, quorum fides amittitur, & veritas apparuerit, quod pulsasset, & justitiam invenire non potuisset; faciant ei filii aut heres ejus justitiam, sicut lex est: Si intra anni spacium post mortem patris repetitionem suam ostendere potuerit. Nam si suam reclamationem ostendere non potuerit, & anni spacium præterierit, etiamsi pulsasset patrem, non habeat facundiam filiis aut heredibus repetendi, nisi sit sibi contentus; quia de gaudia & de fidejussore, & de sacramento dato Rex ROTHARIS decessor noster in anteriore edicto sic statuit; ut post anni spacium, cujus pars neglexerit, amittat suam causam. Ideo nobis congruum apparuit, ut ipse, qui sine gaudia & fidejussore tepetierit, post anni spacium, facundiam non habeat requirendi.

TIT. XXVII.

De depositis.

REX LUITPRANDUS.

I. Si quis res suas commendaverit in cujuscunque casa de liberto suo libero homine, & contigerit ut adveniens fur ipsas res furatus fuerit; & ipse, in cujus casa res ipsæ fuerunt reddiderit: aut si non reddiderit, reddere tamen debet. Et nos ita statuimus & diffinimus, ut quis res alienas commendatas susceperit, & eas perdiderit, restituat ei res ipsas, cujus fuerint: & postea furtum ipsum, si inventum fuerit, ei componat ipse fur, de cujus casa res rapuerit, aut furatus fuerit. Quod omnino prospeximus, quoniam si ille componat furtum ipsi, cujus res fuerint, postea ille cujus casam ruperit quæreret ei rupturam casæ suæ: & non possumus in una causa duas imputare calumnias. Ideoque sic nobis justum visum est, ut ille, qui suas res commendavit, recipiat eas ab ipso, de cujus casa perierint: & ipse, de cujus casa exivit, ipsum furtum quærat ab ipso fure, & tollat compositionem, sicut lex est. Et ipse fur, quamvis malefactor sit, non habeat de una causa duas calumnias.

TIT. XXVIII.

De rebus intertiatis, & qualiter emere debet.

REX ROTHARIS.

I. Si quis caballum emerit, & auctorem ignoraverit, & venerit certus homo, qui ipsum caballum suum dicat esse: tunc ille, homo qui emit, sicut diximus, si auctorem non habuerit, & nescit de quo comparasset, præbeat sacramentum emptor, quod nec fur esset, nec collega fuerit, nisi simpliciter cum precio suo comparasset, & insuper addat in ipso sacramento, si quoquo tempore auctorem invenerit, non negabit. Tunc post præstitum sacramentum reddat caballum, & sit sibi contentus. Et ille, qui proprium dominum dicit esse, sub tali titulo eum tollat; ut si cognitum fuerit, quod malo ordine eum vendicasset, & alter certus auctor venerit, qui suum fecerit ipsum caballum, sibi novum reddat.

REX LUITPRANDUS.

II. De eo homine, qui caballum in mercato comparare voluerit, ut ante duos vel tres homines eum emere debeat & non secrete. Et si aliquis postea ipsum caballum cognoverit, habeat testimonium in quorum præsentia comparavit, & ei postea furti calumnia non fiat. Et si adistos testes non crediderit, qui furtum quærit, firment ipsi testes per sacramentum: excepto si tales personæ fuerint, quibus Rex aut Judex sine sacramento credere possit. Et si homines non habuerit, in quorum præsentia comparavit, nisi simpliciter dixerit, quod comparavit de Franco, aut nescio a quali homine, componat ipsum caballum pro furto.

IMP. CAROLUS.

III. Si res intertiata furto ablata fuerit, liceat ei, super quem res intertiata fuerit, cum sacramento se excusare de furto, quod nec suæ voluntatis nec consentiens fuerit, quod ablatum est; uttamen sine damno restituat. Si vero auctor venerit, & rem intertiatam recipere voluerit, campo vel cruce contendat.

IMP. PIPINUS.

IV. Ut nullus comparet caballum, bovem, juvencum, vel aliam rem, nisi illum hominem cognoscat, qui ei vendiderit, aut de quo pago est, vel ubi manet, & quis est ejus Senior.

IMP. OTTO.

V. Si quis equum suum, vel cætera animalia, sive rem suam super aliquem reperit, & ipse se garentem dare dixerit; statim ut ad certum garentem eum conducat, & super tertium garentem, & tertium Comitatum non procedat: & si hoc facere noluerit, rem perdat, & secundum legem componat.

TIT. XXIX.

De prohibita alienatione minorum.

REX LUITPRANDUS.

I. Hoc proſpeximus, non intra x. & VIII. annos, non ſit legitimus homo ad res ſuas alienandas; excepto ſi pater debitum dimiſerit, habeat poteſtatem, una cum notitia Principis terræ ipſius, vendere de rebus ſuis dandi, quantum debitum ipſum fuerit, ut ei major indemnitas propter onera fiſci non accreſcat. Et ipſe Princeps, qui pro tempore vixerit, propter Deum & animæ ſuæ mercedem, purigat perſonam Deum timentem de ſua præſentia, quæ hoc ipſum ſapienter conſideret, ut adpluma fantulum aliquod damnum contra rationem aut per negligentiam minime veniat. Et in nono decimo anno homini Longobardo ſit legitima ætas, & quodcunque fecerit aut judicaverit de rebus ſuis, ſtabile ordine debeat permanere. Et ſtatuimus atque diffinimus, ut ſi cuicunque ante ipſos x. & VIII. annos evenerit ægritudo, & ſe viderit ad mortis periculum tendere, habeat licentiam de rebus ſuis pro anima lua in ſanctis locis, cauſa pietatis, vel in xenodochio, judicare quod voluerit; & quod judicaverit, ſtabile debeat permanere.

IDEM.

II. Si infans, dum intra ætatem eſt, res ſuas cuicunque vendiderit, aut infiduciaverit, poſtea cum in legitimam ætatem pervenerit, cartam ipſam ſecundum legem irrumpere voluerit, & in rebus ipſius introire non habeat poteſtatem qui emit aut infiduciavit, qui dederit requirendi. Quia quando comparavit aut infiduciavit, tunc debuit proſpicere, quia puer ipſe infra ætatem erat, & contra legem faciebat, propterea conſtitutum eſt, ut qui intra ætatem fuerit, minime vendere aut infiduciare poſſit. Et talem cauſam eum habere dicimus, qui emit aut infiduciavit, qualem & ille habere videtur, qui de ſervo aut aldione emere aut infiduciare dignoſcitur.

IDEM.

III. Si infans, dum intra ætatem eſt, res ſuas cum fratribus aut cum parentibus dividere voluerit, aut ſi ipſi cum ipſo infante dividere voluerint, faciant judici notitiam; & ipſe judex faciat venire parentes ipſius propinquos, ut una cum ipſis, aut per ſe, aut per miſſum ſuum bonam perſonam Deum timentem veniat, quæ res ipſas dividat: ſic tamen, ut omni tempore ſortes ſtare debeant, & adæquatio percurrat.

IDEM.

IV. Si infans, dum infra ætatem eſt, cauſam habuerit cum qualicunque homine, ſimiliter faciat Judex parentes ipſius venire propinquos, & accedat ad locum cum ipſis parentibus, & deliberet cauſam ipſam per juſtitiam, & faciat notitiam, in eorum præſentia cauſam ipſam deliberaverit, & judicatum ſuum emittat, ut ipſe, qui cauſam ſuam quærit, non perdat juſtitiam ſuam, pro eo quod ipſe infans infra ætatem eſſe videtur. Judex autem, quomodo ordinaverit, aut qualiter fecerit cauſam in his capitulis, de eo qui intra ætatem eſt, habeat retributorem Deum omnipotentem, ſive in bono, ſive in malo. Et miſſus ille, quem judex direxerit pro diffiniendis cauſis, quas ſupra diximus, ſi malo aliquam partem per fraudem cor ſuum declinaverit, aut fecerit ea, quæ opportuna non ſunt, ut infans damnum habeat qui infra ætatem eſt, & non fecerit æqualitatem, & probatum fuerit quod fraudem feciſſet, aut colludium contra ipſum infantem ſtatuiſſet; de proprio ſuo reſtauret, quod fraudulenter diviſit. Hoc autem omnino proinde dicimus, ut infans ille, qui cauſam ſuam neſcit, legitime procurare damnum non habeat.

IDEM.

V. De puero, qui intra ætatem eſt, decrevit clementia noſtra cum noſtris judicibus vel reliquis Longobardis, ut ſic in alio homine de rebus ſuis, dum intra ætatem eſt, donare non poteſt: ita nec Regi donare poſſit, antequam in legitimam ætatem pervenerit, quia de cauſa iſta multæ contentiones fuerunt.

IDEM.

VI. Si infans ante x. & VIII. annos, quos nos inſtituimus, ut ſit legitima ætas, ſponſalia facere voluerit, aut ſibi mulierem copulaverit; habeat poteſtatem, & metam facere, & morgincap dare, juxta edicti tenorem; & obligarionem facere; & fidejuſſorem ponere, & cartam, ſi voluerit, pro iſta ſcribere; & qui fidejuſſor extiterit; aut ſcriba, qui pro cauſa iſta cartam ſcripſerit, nullam exinde habeat damnietatem. Quia nos uſque ad illam ætatem produximus cauſam de infantibus, ut ipſi res ſuas non debeant naufragare aut diſperdere: nam per iſtam conjunctionem, quam Deus præcepit, abſolvimus ut fiat.

IDEM.

VII. Item de infantibus, qui intra ætatem ſunt, & neceſſitatem majorem habent, & fame moriuntur, comparuit nobis: ut, dum tempus famis fuerit, licentiam habent cum Miſſo Principis, aut cum judice ſuo, de terra aut de rebus ſuis vendere, qualiter vivere poſſint, in tantum ut ſe de fame liberare poſſint, & ut non moriantur. Et ipſe judex de ipſo loco debeat providere, ſi certe ipſa neceſſitate famis ſit, & ſic in ejus præſentia fiat, ut Dominum habeat propitium; & ſi aliter fecerit, Deum habeat judicem. Et in carta judicet, qualiter pro famis neceſſitate ipſa venditio facta eſt, & quid actum commiſſum habuerit, non præſumat de ipſis infantibus emere; & dum tempus fame exierit, tunc ipſe infantes ſecundum anterius edictum diſtribuant ſuas res; aut ſubſtantiam ſuam. Nam non aliter, quia iſtam licentiam pro ſola famis neceſſitate dedimus: nam non, quod abſit, anterius edictum corrumpendum eſt.

TIT. XXX.

Qualiter servorum venditio fiat.

IMP. CAROLUS.

I. Ut nemo præsumat hominem aliquem vendere aut comparare, nisi in præsentia Comitum aut Missorum nostrorum.

IDEM.

II. De mancipiis qui venduntur, ut in præsentia Episcopi, vel Comitis sint vendita; aut Archidiaconi & Centenarii, aut Vicedomini, aut Vicejudicis, vel Vicecomitis, aut ante bene nota testimonia; & ut foras marcas nemo mancipia vendat. Et hoc qui fecerit, tantis vicibus bannum solvat, quanta mancipia vendiderit: & si non habet precium in guadia, pro servo se metipsum Comiti donet, usq; dum ipsum bannum persolvat. Item, ut nemo audeat in furto mancipia emere, & in aliam regionem occulte ducere; ubi vero repertum fuerit, legali sententiæ subjaceat.

TIT. XXXI.

De prohibita alienatione futurorum fructuum.

IMP. CAROLUS.

I. Ut nemo propter cupiditatem pecuniæ aut avaritiam det precium, aut futuram emptionem sibi præparet, ut duplum vel triplum recipiat: sed tunc tantum, quando præsentes sunt fructus, sibi illos comparet.

TIT. XXXII.

De prohibita alienatione servorum vel aldiorum.

REX ROTHARIS.

I. Servo cujuscunque non liceat sine permissu domini sui, neque terram, neque mancipia, nec quamcunque rem vendere aut liberum dimittere.

IDEM.

II. Si quis de servo comparaverit, & precium perdat, & quod de servo emit, proprio domino restituat.

IDEM.

III. Servus massarius licentiam habeat de peculio suo, id est, bovem, vaccam, caballum; similiter & de minutis peculiis in socio dare, & in socio recipere; vendere autem non nisi pro utilitate casæ ipsius, quatenus casæ proficiat, ut non depereat.

IDEM.

IV. Nulli liceat aldio cujuscunque, qui amont factus non est, sine voluntate patroni sui terram aut mancipium vendere neque liberum dimittere.

REX LUITPRANDUS.

V, Si quis cum servo aut aldione, vel cum pertinente alieno, de qualicunque re convenerit, sine notitia domini sui, quod in anteriori edicto continetur, & probatum fuerit, quod res domini sui naufragasset: tunc reddat ipsam rem, qui eam susceperit, absque precio, domino ejus; ita ut satisfaciat per sacramentum, quod amplius exinde non tulisset, & postea dominus ejus faciat de servo aut aldione suo, quod illi placuerit.

IMP. CAROLUS.

VI. Ut nec *colinus, nec fiscalinus possit alicubi foras mixtos traditionem facere.

* Colonus.

TIT. XXXIII.

De his qui se alterius servitio subdiderint.

IMP. CAROLUS.

I. Liber homo, qui se in locum guadiæ in alterius potestate commiserit, ibique contigerit ut damnum aliquod cuilibet fecerit: ille, qui hominem liberum in locum guadiæ susceperit, damnum solvat, aut hominem in mallum deductum dimittat, perdens eum simul & debitum, propter quod eum in guadiam susceperit; & qui damnum fecit, dimisisset, juxta qualitatem rei cogatur emendare. Si vero liberam fœminam habuerit, usque dum in pignus astiterit, & filios habuerit, liberi permaneant.

IMP. LODOVICUS.

II. Primum omnium placuit nobis, ut cartulæ obligationis de singulis hominibus factæ qui se aut uxores eorum, aut filios vel filias in servitio tradiderint, ubi inventæ fuerint, frangantur, & sint liberi sicut primitus fuerint.

IMP. LOTHARIUS.

III. Si liber homo se ipsum ad servitium implicat pro aliquibus causis, & liberam fœminam habuerit aut infantes; ipsi in eorum libertate permaneant. Et si ipsa mulier defuncta fuerit, & aliam liberam fœminam sibi copulaverit servienti, ipsa in servitio permaneat.

IDEM.

IV. Si quis liber homo uxorem habens liberam, & propter aliquod crimen aut debitum in vitio alterius se subdidit, & eadem conjunx cum ipso manere voluerit, eorum procreatos, qui ex tali conjugio sit, libertatis statum non amittat. Si vero ea defuncta, secunda uxor etiam libera, ut liberos junxit conjugio, liberi eorum servituti subdentur.

TIT. XXXIV.

De manumissionibus.

REX ROTHARIS.

I. Si quis servum suum proprium, aut ancillam suam liberam dimittere voluerit, sit illi licentia qualiter ei placuerit. Nam qui fulfreal & à se extraneum, id est, amond, facere voluerit, sicut debent facere, tradat eum prius in manum alteri hominis liberi, & pergarathinx ipsum confirmet. & ille secundus tradat eum in manus tertii hominis eodem modo; & tertius tradat eum in quarti; & ipse quartus ducat eum in quadrivium, & thingatis guadia, & gisiles testes ibi sint, & dicant sic: de IV. vis ubi volueris ambulare, liberam habeas potestatem. Si sic factus fuerit tunc amond, & ei manebit certa libertas, & postea nullam repetitionem patronus adversus ipsam aut filios ejus habeat potestatem requirendi. Et si sine heredibus legitimis ipse, qui amond factus est, mortuus fuerit, curtis Regia illi succedat: nam non patronus aut heres patroni. Similiter & qui per impans, id est votum Regis, dimittitur, ipsa lege vivat sicut qui amond factus est. Item qui fulfreal fecerit, & IV. vias ei non dederit, & amond à se, id est extraneum non fecerit; tali lege patronus cum ipso vivat, tanquam cum fratre aut cum aliis parentibus liberis Longodardis, id est, si filios aut filias, qui fulfreal factus non dimiserit, patronus ejus illi succedat, sicut scriptum est. Item qui aldium aut aldiam facere voluerit, non debet quatuor vias, hæc sunt guadia IV. manumissionum. Tamen necesse est pro futuri temporis memoria, ut qualiter liberum aut liberam thingaverit, ipsa manumissio in carta libertatis commemoretur. Et si cartam non fecerit, tamen libertas illi permaneat.

IDEM.

II. Omnes liberi, qui à dominis suis Longobardis libertatem meruerunt, legibus dominorum suorum & benefactorum vivere debeant, secundum qualiter à suis dominis propriis concessum fuerit.

IDEM.

III. Si quis servum suum aut ancillam in manu regis dederit, & ipse Princeps eos per manus sacerdotis circa sacrum altare liberos dimiserit: sic permaneant liberi, sicut illi qui fulfreal thingati sunt. Et qui mundium de ipsa muliere libera à Principe accepit, sic eum habeat, sicut de fulfreale muliere. Nam amplius nullam conditionem debeat habere, neque ipsa neque filii ejus, & hoc statuimus, ut masculi, qui de ipsa libera nati sunt, absque mundio sint: fœminæ autem habeant mundium, sicut mater earum: & ipsum mundium non sit amplius, quam solid. III.

IDEM.

IV. Si quis servum suum aut ancillam liberum vel liberam dimiserit, & posuerit ei mundium, aut unum solidum, aut duos tantum, aut tres, aut sex tantum, habeat mundium, quantum in carta ei affixit; & qui postea ex ipsa libera nati fuerint, sive masculi sive fœminæ, non habeant amplius mundium, nisi quantum & mater earum.

IDEM.

V. Si quis servum suum aut ancillam in Ecclesia circa altare à modo liberum aut liberam dimiserit, sic ei maneat libertas, sicut illi, qui fulfreal in quarta manu traditus & amond factus est. Nam qui aldium facere voluerit, non eum ducat in Ecclesia, nisi alio modo faciat, qualiter voluerit, sive per cartam, sive qualiter ei placuerit.

IDEM.

VI. Si quis servum alienum sine voluntate domini sui in manu Regis dederit, & probatum fuerit non suum servum dedisse, componat Regi, qui pro tempore fuerit, solid. C. & ipse servus revertatur ad proprium dominum. Et si servus cujus antea fuit: & insuper ille, qui eum illicite liberavit, componat domino ejus solid. XX.

IDEM.

VII. Si quis servum alienum sine voluntate domini sui liberum dimiserit, aut per se, aut per qualecunque ingenium (excepto per manum Regis) & probatum fuerit, quod servum alienum liberasset, tunc ipse servus revertatur ad proprium dominum suum, & sit ejus servus sicut antea fuit: & ille, qui eum illicite liberavit, componat domino ejus solid. XX.

IDEM.

VIII. Si quis servum suum fulfreal thingaverit, & amond à se fecerit, vel quocunque modo eum à se absolverit in manu Regis dando, aut in Ecclesia circa altare ducendo; & postea ipse libertus voluntatem patroni sui fecerit, manifestare debeat ipse libertus libertatem sæpius judici, & ad vicinos suos qualiter absolutus esse videtur; ut postea nullo tempore ipse patronus aut heres ejus contra eum, qui libertus est, querelam possit movere; dicendo quod ei debeat obedire, pro eo quod sua sponte pro beneficio de domino suo voluntatem ejus fecerat: sed firma, ut supra, maneat libertas.

REX ASTULPHUS.

IX. In anterioris edicti capitulo, ut si quis Longobardus pertinentem suum in quarta manu tra-

tradiderit, & à se amont fecerit, aut circa altare ducendum sacerdoti tradiderit, solutus ab omni conditione servitutis permaneat. Sed quoniam perversi homines benefactores suos accepta libertate postponebant, & ipsi eos postmodum retinere nequaquam volebant, multi homines timentes, ne sui liberti eos postponerent, libertatem eis facere obmittebant: propterea statuimus, ut si quis Longobardus pertinentes suos thingare voluerit in quarta manu, aut cartulas ei fecerit, & sibi reservaverit servitium ejus dum advixerit, & decreverit ut post obitum ejus liberi sint, stabile debeat permanere secundum textum cartæ, quam ei fecit, quia injustum nobis apparuit, ut homo benefactorem suum vivente eo dimittere debeat. Nam qui in Ecclesia liberum dimiserit per manum sacerdotis, sic permaneat ejus libertas, sicut continetur in anteriori edicto.

IMP. CAROLUS.

X. Si quis per cartam ingenuitatis à domino suo legitimam libertatem est consecutus, liber permaneat, Si vero aliquis eum injuste inservire tentaverit, ille cartam ingenuitatis ostendat, & si adversarius injuste eum inservire comprobaverit, ille qui eum inservire tentaverit, multam, quæ in ipsa carta descripta est, solvere cogatur. Si autem carta non apparuerit, sed jam ab illo, qui eum inservire voluerit, diffacta est, guidrigild ejus componat, duas partes illi quem inservire voluerit, tertiam Regi: & Ille iterum per præceptum Regis suam libertatem conquirat.

IMP. PIPINUS.

XI. Homo denarialis non ante hereditatem in suam agnationem acquirere poterit, neque in tertiam generationem perveniat: & homo cartularius similiter.

IMP. LODOVICUS.

XII. Si quis per cartam ingenuus dimissus fuerit, & à quolibet homine ad servitium interpellatus fuerit: primum legitimum auctorem suæ libertatis proferat, & in suam libertatem perseveret. Si vero legitimus auctor defuerit, cum testimonio bonorum hominum, qui tunc aderant, quando liber dimissus fuerit, se defendere permittatur. Si vero testes defuerint, cum duabus aliis cartis, quæ ejusdem Cancellarii manu fuerint firmatæ vel scriptæ, suam cartam, quæ tertia est, veram & legitimam esse confirmet. Cancellarius tamen talis esse debet, qui pagensibus loci illius notus sit & acceptus. Si vero qui interpellatus fuerit, nec auctorem, nec testimonia, nec cartarum collationem ostendere potuerit, ipse, qui eum interpellavit, secundum legem ipsam, cartam falsam esse faciat, & servum suum conquirat. Si vero interpellator aut actore, aut testimonio, aut cartarum collatione convictus fuerit, & hoc, quod voluerit, efficere non potuerit, multam, quæ in ipsa genuitatis carta continetur, cogatur exsolvere.

TIT. XXXV.

De præscriptionibus.

REX ROTHARIS.

I. Si quis comparaverit terram, id est, solum ad ædificandum, aut casam mancipiatam, & per quinque annos inter personas præsentes possederit; & postea ipse venditor aut heredes ejus pulsaverit dicendo, quod præstitisset, non enim vendidisset, ostendat libellum scriptum, ubi rogatus fuisset præstandi; & si libellum non habuerit, nihil aliud faciat emptor, nisi sacramentum secundum qualitatem pecuniæ præbeat, scilicet quod cum precio suo rem ipsa comparasset, nec alteri per legem debeat dimittere: tunc liceat ei postea firmiter possidere, quod sibi comparaverit.

IDEM.

II. Si quis alium de re mobili & immobili pulsaverit dicendo quod malo ordine possideat, & possessor negaverit, ita proximus: quod si per annos v. fuerit possessor, tunc ipse, qui possedit, aut per sacramentum debeat negare, aut per pugnam se defendere, si potuerit.

REX GRIMOALDUS.

III. Si servus aut ancilla per xxx. annos domino suo servierit, de quibus rei veritas cognita fuerit, quod per xxx. annos dominis suis serviset, & per superbiam aut justa patrocinia se voluerit de domino per pugnam vendicare, nullatenus ei permittimus, sed serviat ei, sicut decet servum aut ancillam proprio domino servire. Similiter & si aldius fuerit, impendat obedientiam suo patrono, sicut per xxx. annos fecit, & ei nova opera à domino suo amplius non imponatur, sed liceat ei res suas habere, quas per xxx. annorum spacium juste possederat.

IDEM.

IV. De liberis hominibus, quos constat per xxx. annorum spacium in libertate sua permansisse, nullam per pugnam patiantur violentiam, sed liceat eis in libertate sua permanere. Et si eos quicunque pulsaverit, liceat eis cum sacramentalibus suis legitimis se idoneare.

IDEM.

V. Si quis per triginta annos bona fide possederit casas, familias & terras, & cognitum fuerit, quod ejus possessio fuerit post xxx. annorum curticula ad pugnam non perveniat, nisi ipse, qui possedit secundum qualitatem pecuniæ cum sacramento suo se defendat. Nam per pugnam, ut supra diximus, non fatigetur.

REX LUITPRANDUS.

VI. Si quis cartam donationis per garathinx factam, aut per susceptum Iannechil, vel forte per compa-

comparationem ostenderit, & res unde licet non possederit, & dixerit quod munimen suum abstrac-tum fuisset, & si per XXX. annos aut supra ista possessio fuerit, non habeat adversus eum qui pos-sidet facultatem eundiam loquendi cum munimine ipso, quod ostendere videtur: nisi ipse, qui per XXX. annos pos-sedit, firmiter possideat; quia gloriosissimus GRIMOALDUS REX per XXX. annos institutam hanc pos-sessionem. Nam si intra XXX. annos possessio illa fuerit, potest atem habeat cum munimine suo ostendi quod voluerit, & ipse qui possedit secundum edictum respondeat.

IDEM.

VII. Si inter fratres per XL. annos possessio fuerit, de rebus, seu de casis, vel de terris, quæ indivisæ sunt, vel inter parentes: qui per LX. annos possedit, qualiter præsumat dicere, per sacramenta ad sancta Dei Evangelia affirmet, quod de uno, aut de patre aut de fratre, aut de aliquo parente ipsas res suas habeat factas, aut per donationem, aut commutationem, aut per extimationem, aut per conjunctionem, aut quomodo præsumserit dicere aut affirmare: & liceat ei postea ipsas res illibatas habere & possidere. Alii vero res, quæ divisæ fuerint inter fratres seu nepotes, vel ubi mensura tracta est, inter-stantes adæquentur. Nam ubi per XL. annos mensura minime ambulaverit, & causa probata fuerit, quod jure quieto possedisset, sicut supra legitur, per sacramentum finiatur, excepto si commutatio aliquid possedisset.

IDEM.

VIII. De possessione, quam aliquis de publico habet, & per XL. annos quietus possedit, liceat ei in antea sine aliqua molestatione habere & possidere. Hoc autem ideo statuimus, quia possessio alio-rum hominum secundum Longobardorum legem in XXX. annis finitur: causæ quidem Regales, unde compositio expectatur, duplicatas statuit decessor noster ROTHARIS REX componere. Propter-ea nobis rectum cum nostris judicibus comparuit esse, ut etiam in ista causa de possessione duplicetur ipsa anni, ut fiant LX. & si Judex aut actor noster ipsum, qui possessionem talem habet, pulsaverit quod ipsum rem injuste possedisset, aut invasisset, & non sint completi LX. anni; tunc ille, cujus possessio est, uicat juratus ad sancta Dei Evangelia, aut de se, aut de patre, aut de avo, quod ipsa res per Princi-pem, qualem ausus fuerit nominare, data fuisset, & ipse aut parentes ejus per LX. annos possedisset, nec eam per legem dimittere debeat, & sit postea secutus. Et si hoc facere ausus non fuerit, aut for-te Gastaldius, aut Actor probare potuerit, quod completa LX. annis possessio ista non sit, & veritas apparuerit, quod de publico fuisset, aut ostendat præceptum, aut amittat rem ipsam in publico, si LX. anni in ipsa possessione non fuerint completi. Et si forsitan aliquis de servo aut aldione domus Regis comparaverit, & probata causa fuerit, relaxet ipsam rem in publico: quia de servo aut aldione Regis, possessio venditionis esse non debet; sicut nec de aliorum servis aut aldionibus.

IDEM.

IX. Si quis possederit qualemcunque rem, mobilem aut immobilem, per cartam falsam, & pro-batum fuerit, quod per ipsum munimentum falsum rem ipsam possideat, non eum defendat possessio sua, hoc est, XXX. annorum: nec excludat illum, cujus res legibus fuerit: sed amittat rem ipsam, quam per cartam falsam possidere videtur; sic tamen, ut diximus, si probatum fuerit; Et ille ipsam rem recipiat, cui ante pertinere per legem debuerat.

REX RACHIS.

X. Reminiscimur enim, quia in anteriori edicto continere dignoscitur, de liberis fœminis, quæ servis copulantur, ut quandocunque inventæ fuerint in servitium reducantur: sed quia GRIMOAL-DUS Rex instituit: Ideo diffinimus, si quæ fœminæ amodo inventæ fuerint, quæ sibi servos copula-verint, & per LX. annos in libertate permanserit, ipse, & filii, & filiæ earum, atque qui de ipsis procreati fuerint inventi: nullus eos in servitio replicare præsumat, sed in libertate sua permaneant, sicut per LX. annos permanserunt. Si autem amodo præsumserit cujus cunque servus a rimannam ducere uxorem, sic exinde detur judicium, sicut in anteriori edicto legitur.

REX ASTULPHUS.

XI. Si quis Longobardus qualemcunque rem possederit, & custodes locorum venerabilium de ipsis rebus eum molestaverint, & ipse possessionem suam per XXX. annos confignaverit, & ejus claruerit possessio, possideat & in antea. Similiter & venerabilia loca faciant de rebus, quas ipsa possident, si à Longobardis fuerint pullata; quia anterius edictum continet de quinque annorum possessione utqui possederit per quinque annos in facie ejus, qui pulsaverit, ipse secundum legem defendat se, & loca venerabilia inter se de rebus quibuslibet per XL. annorum possessionem exclu-dantur. Ideo justum duximus, ut qui per XXX annos possederit, possideat & in antea.

IDEM.

XII. Si quiscunque homo pro bonitate sua introierit in servitium judicis, aut alicujus ho-minis, & deservierit ei vel filiis vel nepotibus ejus, & claruerit veritas, quod parentes ejus omnes liberi fuissent: & postea in servitium detinere voluerit, dicendo quod per XXX. annos ei vel paren-tibus ejus servisset: non possit eum per ipsam possessionem tenere quia impossibile est contra Dei præceptum, dum omnes ejus parentes liberi sunt, ut ipse solus, qui voluntarie servivit, in servitium detineatur, pro sola possessione. Nam si pro furto aut alia malitia, sicut edictum continet, ad servien-dum in manus datus fuerit, & probatum fuerit, deserviat & in antea. Si vero ejus parentes servi fue-runt

tunt. & ipse solus ad libertatem tendere voluerit, si ipsi libertatem suam idoniare per cartam, aut per homines liberos, vel per possessionem justam non potuerit; deserviat & inantea.

IMP. LUDOVICUS.

XIII. Placuit nobis de liberis vel illis hominibus, qui se per xxx. annos liberos esse ajunt, ut per hanc possessionem liberi non fiat, nisi de ingenuo patre aut matre nati sint, aut cartam libertatis ostendant.

IMP. LOTHARIUS.

XIV. Ut per xxx. annos servus liber fieri non possit, si pater illius servus & mater ancilla fuerit. Similiter & de aldionibus.

TIT. XXXVI.

De evictionibus.

REX ROTHARIS.

I. Si quis comparaverit ancillam, & postea venerit alter certus homo, qui eam suam dicat esse, revertantur pariter ad auctorem, tunc auctor si vendicare non potuerit, præbeat sacramentum, quod conscius non sit fraudis, nec colludium fecisset, & reddat precium tantum, quantum in illa die tulit, quando eam tradidit, & accipiat ancillam ipsam, & proprio domino tradat. Et si ancilla ipsa apud emptores filios fecerit, tunc ille, qui eam prius vendidit, & vendicare non potuerit, quanticunque sint filii ipsius, per suum dispendium comparet, & proprio domino reddat, quatenus filii matrem sequantur. Et si auctor mortuus fuerit sine heredibus legitimis, & facultas ipsius auctoris ad curtem Regis cecíderit, nulla sit repetitio: sic tamen, ut detur sacramentum, quod ab illo comparasset, cujus res ad curtem Regis pervenerit.

REX LUITPRANDUS.

II. Si quis alii homini qualemcunque rem donaverit, & lannechild susceperit, & postea eam defendere minime potuerit, tunc aliam talem rem, qualem donavit, qualis in illa die invenitur esse, reddat cui donavit, & amplius non calumnietur. Et si de colludio pullatus fuerit, satisfaciat ad Evangelia, quod nullum colludium cum alio homine de ea re factum habeat; & sit absolutus à culpa: sic tamen, ut supra scriptam rem consimilem reddat, cui donavit.

IDEM.

III. Si quis commutaverit terram, arvum, vel pratum, aut silvam, & ibi laboraverit, & ædificium fecerit, aut clausuram, aut vineas posuerit; & postea surrexerit certus homo, qui ipsum locum sibi esse dicat, & ille qui dedit, minime potuerit eum defendere, recipiat res suas quas dedit, & insuper ipsum damnum restituat ei quantum appreciatum fuerit, quod ibi postea laboravit & ædicavit. Sed & de comparatione ita statuimus, sicut & de commutatione. Hoc autem de his causis diximus, unde cartas commutationis aut venditionis inter se non faciunt. Nam unde cartulas faciunt & ostendunt, sic debet esse sicut in ipsis cartulis legitur.

TIT. XXXVII.

De sanctimonialibus.

REX LUITPRANDUS.

I. De his fœminis, quæ velamen religionis in se recipiunt, aut à parentibus suis Deo voventur, aut ipsæ elegerunt religionis habitum, aut vestem monachicam induere videntur, quæcunque à Sacerdote consecratæ non sint, sic nobis justum apparuit esse, pro Dei amore, ut in ipso habitu in omnibus perseverent, nec sit excusatio malis hominibus quod consecratæ non sint; Et ideo si copulantur, culpam non habeant. Sed, ut supra præmissimus, quæ tale signum super se habeant, id est velamen, aut vestem sanctæ Dei genetricis Mariæ, quocunque ingenio in se susceperint, postea ad secularem vitam vel habitum transire nullatenus præsumant: quia considerare debet omnis Christianus, quod si quicunque secularis homo, parentem nostram secularem sponsat, cum solo annulo eam suberrat & suam facit; & si postea aliam uxorem duxerit, culpabilis invenitur solid. D. quanto magis debet causa DEI & sanctæ Mariæ amplior esse, ut quæ ipsum velamen vel habitum in se susceperunt, in eodem debeant permanere. Si quæ vero fœmina contra hoc, quod nostra institutio excellentia egerit, aut marito se copulaverit, perdat omnem substantiam suam, & deveniat ipsa substantia in potestate palatii. De persona vero ejusdem fœminæ, quæ tale malum commiserit, judicet Rex, qui pro tempore fuerit, qualiter illi placuerit, aut in monasterio mittendo, aut qualiter secundum Deum melius providerit. Simili modo & de victo & vestimento ipse Princeps ordinet qualiter illi placuerit. Si autem ille, in cujus mundio talis fœmina est, consentiens fuerit in supradicto malo, & probatum fuerit, componat guidrigild suum: & ille, qui eam tollere præsumpserit, componat in palatio Regis solid. DC. Si autem mundoaldus ipsius fœminæ in ipso malo consentiens non fuerit, medium de ipsius DC. solid. accipiat ipse, & Rex medium. Qui autem talem fœminam rapuerit, componat solid. M. & præcedat causa LXI solid. C. quoniam de raptu secularis fœminæ compositio non gentorum solidorum in edicto legitur; ipsa vero, quæ nunc servavit eam causam, quæ supra legitur, & malo supradicto consenserit, pœnam supra scriptæ subjaceat.

IDEM

IDEM.

II. Religiosa fœmina, quæ vestem & habitum sanctæ religionis in se susceperit, & fornicationem fecerit ex peccato, ut adulterium voluntarie committat, quicunque ipsam sanctimonialem fornicationem fecerit, & adulteraverit, componat solid. c c. quia de secularibus fœminis edictum continet, ut componatur pro adulterio solid. c. & nos prospeximus veram esse justitiam, ut Dei omnipotentis caulæ & sanctæ ejus genetricis Mariæ, cujus vestem susceperit, duplicentur. De pecunia autem ejusdem religiosæ fœminæ, quæ (quod absit) voluntarie adulterium perpetravit, sic fiat, sicut jam antea de religiosis fœminis statuimus, quæ se marito copulaverint.

IDEM.

III. Si quicunque homo liber ancillam suam pro religionis & mundiciæ causa vestem religionis induerit, ut ei [sicut consuetudo terræ istius est] ad offerendam oblationem per loca Sanctorum debeat portare: & contigerit ex peccatis, ut qui spiam homo eam ad uxorem ducat, ubicunque inventi fuerint separentur, & componat ipse, qui eam tulit uxorem, domino ejus solid. xl. & illa reverratur in pristinum statum. Quod si aliquis eam, quod absit, adulteraverit, simili modo componat domino ejus solid. xl. quia anterius edictum de gentili ancilla adulterata x x. solid. continet: ut componatur de Dei ancilla, quod justum est, ut compositio duplicetur. Veruntamen sic statuimus, ut si probata fuerit causa, id est, presbyterum aut alterum clericum, quomodo ipsa veste religiosa induta est, ut non fiat alicui homini calumnia pro figmento, sed pro certa veritate; & dum probatio vera facta fuerit, sicut ipsa compositio fieri debeat.

IDEM.

IV. Si qua mulier religionis velamen induta fuerit, observatis omnibus, qualiter in superiori capitulo affixa sunt; & monasterium intrare voluerit; si filios aut filias habuerit, in quorum mundio esse inveniatur, cum tertia portione de propriis suis rebus intret in monasterio, & post obitum ejus remaneat in ipso monasterio, ubi ipsa intraverit. Si vero filios aut filias non habuerit, cum medio de rebus suis intret, & post ejus decessum remaneat ipsa medietas in potestate monasterii. Nam si in domo remanserit, potestatem habeat de rebus suis judicare pro anima sua, ubi voluerit, in tertiam partem. Duæ vero portiones ex rebus ejus sint in potestate ejus, ad quem mundium de ea pertinet.

IMP. LOTHARIUS.

V. De sanctimoniali fœmina statuimus ut si adulterium fecerit, & inventum fuerit, res, quas habeat, in fisco nostro focientur; persona vero ejus sit in potestate Episcopi, in cujus parrochia est, ut in monasterio mittatur.

IDEM.

VI. Statuimus, ut si fœmina, quæ vestem habeat mutatam, mœcha de præhensa fuerit, non tradatur genitio, sicut usque modo, ne forte, quæ prius cum uno, post modum cum pluribus locum habeat mœchandi: sed ejus possessio fisco redigatur, & Episcopi ipsa subjaceat judicio.

TIT. XXXVIII.

De Ariolis.

REX LUITPRANDUS.

I. Si quis timoris Dei immemor ad ariolos vel ad ariolas pro aruspicibus aut qualibuscunque respondis accipiendis ambulaverit, componat in sacro palatio medium precii sui, sicut appreciatus fuerit, tanquam si eum aliquis occidisset: & insuper agat pœnitentiam secundum canonum instituta. Similimodo & qui ad arborem, quam rustici Sanctum vocant, atque ad fontanas adoraverit, aut sacrilegium vel incantationem fecerit, vel similiter, medium precii sui componat in sacro palatio. Etsi quiscunque sciens ariolum vel ariolam, & non eas manifestaverit aut ipsos celaverit, qui ad ipsos ariolos vel ariolas vadunt, & non manifestaverit, pœnæ subjaceat. Qui autem servum suum aut ancillam ad ipsos ariolos aut ariolas ad aliqua responsa ab eis accipienda transmiserit, & probatum fuerit, pœnam componat. Si vero servus aut ancilla sine voluntate dominorum suorum, & tantum sua auctoritate ad aut ariolam ambulaverit, similiter ad aliqua responsa accipienda, tunc dominus eorum venundare eos debeat foris provinciam: & si neglexerit dominus eorum hoc facere, suprascriptæ pœnæ subjaceat.

IDEM.

II. Si quis Judex, aut sculdais, aut saltarius, vel Decanus de loco, ubi arioli aut ariolæ fuerint, neglexerit amodo intra tres mèses eos inquirere & invenire, & per alios homines inventi fuerint: tunc componat unusquisque de loco medium precii sui, sicut supra lex est. Et si manifestum fuerit, quod ad Judex, aut sculdais, & saltarius, aut decanus, ubi ipsi arioli aut ariolæ sunt, & eos non condemnaverit, aut præmium tulerit, aut quasi causa pietatis vel pro qualicunque ingenio absolverit, integrum guidrigild suum in palatio componat. Nam si per Judicem inquisiti fuerint, & sine notitia sculdais, tunc habeat ipse Judex potestatem foris provinciam eos vendendi, & precium sublatulendi atque habendi. Nam si per sculdais inventi fuerint, medium de ipso precio tollat Judex, medium sculdais. Et si decanus aut saltarius ipsos ariolos aut ariolas vel suprascriptos sacrilegos invenerit, & sculdais suo manifestaverit; tunc tertiam partem ipse saltarius aut decanus de ipso precio, per quem inventi fuerint, habeat, & duas partes tollat ipse sculdais. Et insuper prospeximus, ut unusquisque Judex & sculdais omnimode faciat præconem, ut quicunque amodo non faciat, aut si amodo non fecerit, non vadant vestales. Nam post ipsum præconem si in talibus operibus malis inventi fuerint, pœnæ subjaceant. Et ita volu-

volumus, ut unusquisque sculdais & saltarius atque Decanus jurare debeat Judici suo ad sancta DEI Evangelia; quia justum est, ut dum in nostra causa nullum neglectum ponere non præsumat, nec nobis celare, qui circa nos agunt aut consiliantur, quando magis non debent neglectum in causa ponere, quæ amplius est inquirenda.

TIT. XXXIX.

* De reverentia Ecclesiæ seu immunitatibus debita.

* alias, de his quæ ad Ecclesiam confugiunt.

REX LUITPRANDUS.

I. Si cujuscunque servus aut ancilla, aldius vel aldia in Ecclesia Dei confugium fecerit, & dominus vel patronus eorum aut permissum suum, aut per se, exinde violenter traxerit, componat guidrigild suum in suprascripta basilica. Et si servus vel aldius sine voluntate domini sui hoc malum fecerit, det ipsum servum vel aldionem pro ipso malo in manu custodis ipsius basilicæ; & ipse dominus vel patronus satisfaciat, quod per ipsius voluntatem hoc factum non fuisset, & ipse guidrigild non componat.

IMP. CAROLUS.

II. Ut homicidæ, & rei cæteri, qui legibus mori debent, si ad Ecclesiam Dei confugiunt, non excutiantur, neque eis ibidem victus detur.

IDEM.

III. Ut latrones illos de infra immunitatem judices & Advocati ad Comitum placita, quando eis annunciatum fuerit, præsentent. Et si dixerint, quod ipsos latrones præsentare non potuissent, jurare debent, quod illos præsentare non potuissent, postquam eis denunciatum fuerit, nec pro ulla justitia dilatanda illis latronibus figere consenserint, nec pro causa dilationis de illorum potestate vel de suorum ministerio latrones jactassent, & hoc jureut, ut per suorum voluntatem, si potuerint ipsos latrones præsentare debeant ad justitiam faciendam: & qui hoc non fecerint, beneficium & honorem perdant. Similiter & si Bassi nostri hoc non adimpleverint, beneficium & honorem perdant & qui beneficium nostrum non habuerit, bannum nostrum solvat.

IDEM.

IV. Si quis in immunitate damnum aliquod fecerit, DC. solid. componat, si autem homo furtum aut homicidium vel quodlibet crimen foris committens, & infra immunitatem fugerit, mandet Comes Episcopo, vel Abbati, vel Vicecomiti, aut qui locum Episcopi vel Abbatis tenuerit, ut reddat ei eum. Quod si ille Episcopus, sive Abbas, sive Custos contradixerit, & eum reddere noluerit, in prima contradictione solid. XV. culpabilis judicetur. Si autem ad secundam requisitionem eum reddere noluerit, solid. XXX. culpabilis judicetur. Si nec ad tertiam inquisitionem consentire voluerit, quicquid reus damnum fecerit, totum ille, qui infra immunitatem eum retinet, nec reddere vult, solvere cogatur. Et ipse Comes unicus habeat licentiam ipsum hominem infra immunitatem quærendi, ubicunque eum invenire potuerit. Si autem statim in prima inquisitione Comiti responsum fuerit, quod reus infra immunitatem quidem fuisset, sed fuga lapsus est; sic statim juret sive Episcopus, sive Abbas, sive Custos, quod ipse eum ad justitiam cujuslibet diffaciendam fugere non fecisset, & sit ei in hoc satisfactum. Si autem intraverit in ipsam immunitatem Comes collecta manu, & quislibet resistere tentaverit; Comes hoc factum ad Regem vel ad Principem deferat, ubi judicetur, ut sicut ille, qui in immunitate damnum fecerit, DC. solid. componere debet; ita qui Comiti collecta manu resistere tentaverit vel præsumpserit, DC. solid. culpabilis judicetur.

IMP. LODOVICUS.

V. Si quis ad Ecclesiam Dei confugerit, intra artium ipsius Ecclesiæ pacem habeat, nec sit necesse ei Ecclesiam ingredi, & nullus eum per vim inde abstrahere præsumat, sed liceat ei confiteri quod fecit, & inde per manus bonorum hominum in discussione in publicum producatur.

IDEM.

VI. Sanguinis effusio in Ecclesia facta cum furore, si in presbytero fuerit, in triplo componatur, duæ partes eidem presbytero, tertiam pro freda ad Ecclesiam, & insuper bannum nostrum componat. Similiter & de diacono juxta compositionem ejus in triplo componatur, & bannum nostrum componat.

IDEM.

VII. De subdiaconibus similiter secundum suam compositionem in triplo persolvat, de unoquoque ordine clericorum, secundum suam legem, compositionem in triplum faciat, & bannum nostrum componat. Similiter & de ictibus sine languinis effusione de unoquoque ordine clericorum secundum suam compositionem cum triplo componatur, & bannum nostrum: & qui non habet, unde ad Ecclesiam persolvat, tradat se in servitio ejusdem Ecclesiæ, usque dum totum debitum persolvat.

IDEM.

VIII. Volumus, ut omnibus modis immunitates pro jussione genitorum nostrorum seu nostra plenius ac juste observentur.

TIT. XL.

De Scabinis & Cancellariis.

IMP. LOTHARIUS.

I. Ut Cancellarii electi boni & veraces, carthas publicas conscribant ante Comitem & Scabinos,

& Vicarios ejus; & nullis modis hoc facere præsumat: de substantia autem sua legitimum pretium detur.

IMP. LOTHARIUS.

II. De Cancellariis, qui veraces electi sunt, ad homines infirmos veniant, & secum duo aut tres instrumenta cartarum scribant, & testibus roborentur, & statim cum scripta carta fuerit, ostendant Episcopum, & Comitem, & Judicem vel Vicarios, aut in plebe, ut veraces esse cognoscantur.

IDEM.

III. Ut Missi nostri, ubicunque malos Scabinos invenerint, ejiciant, & cum totius populi consensu in eorum loco bonos eligant; & cum electi fuerint, jurare faciant, ut scientes injustum judicium non habeant.

IDEM.

IV. Ut in omni Comitatu hi, qui meliores & veraces inveniri possent, eligantur à Missis nostris ad inquisitiones faciendas, & rei veritatem dicendam, & adjutores Comitum sint ad justitiam faciendam.

IDEM.

V. Volumus, ut quicunque de Scabinis deprehensus fuerit, qui propter munera, aut amicitiam vel inimicitiam injuste judicasset, ut per fidejussorem missum ad nostram præsentiam venire compellatur; & cæteris omnibus Scabinis denuncietur, ne quis deinceps etiam injustum judicium vendere præsumat.

IDEM.

VI. Volumus, ut nullus Cancellarius pro uno judicio aut scripto aliquid amplius accipere audeat, nisi dimidiam libram argenti de majoribus scriptis, de minoribus autem intra dimidiam libram quantum res assimilari possit, & judicibus rectum videtur. De orphanis autem vel cæteris pauperibus qui exsolvere hoc non possunt, in providentia Comitis sit, ut nequaquam inde aliquid accipiant. Non tam autem hoc jurare debent, quod nullum scriptum falsum faciant, nec in occulto aliquod fieri faciant, nec de uno Comitatu in alio scribant, nisi per licentiam ipsius Comitis, in cujus Comitatu scribere debet. Si vero necessitas in itinere aliquem compellaverit, aut infirmitas gravis, secundum caput genitoris nostri faciant: si Notarius aliter fecerit, illud, quod fecerit, apparuit inane & vacuum.

TIT. XLI.

Qualiter judices judicare debeant, & si judicare distulerint, quomodo puniantur, & quando actor forum rei sequi debeat.

REX LUITPRANDUS.

I. Si quis causam habuerit, & Sculdasio suo eam adduxerit, & ipse Sculdasius justitiam ejus intra quatuor dies facere neglexerit, si ambo accusatores ejus de sub uno Sculdasio sunt, tunc componat ei, qui causam reclamavit, ipse Sculdasius solid. VI. & Judici suo similiter solid. VI. Et si forsitan hic, super quem reclamaverit, infirmus est, aut propter utilitatem suam in aliam civitatem esse dignoscitur, exspectet eum dum revertatur, aut de infirmitate sua convaluerit. & postquam reversus fuerit, aut de infirmitate convaluerit, si infra statutos quatuor dies minime eum ad justitiam distrinxerit, componat ipse Sculdasius solid. VI. ei, cujus causa est, & judici suo solid. VI. Si vero talis causa fuerit, quod ipse Sculdasius deliberare minime possit, dirigat ambas partes ad Judicem suum: & si Judex ejus causam ipsam dilataverit, & intra sex dies inter eos per legem non judicaverit, componat illi, qui reclamaverit; solid. XII. Et si nec Judex deliberare potuerit, dirigat intra XII. dies ambas partes in præsentia Regis. Nam si aliter fecerit ipse Judex, & intra XII. dies, ut dictum est, justitiam suam non invenerit, qui proclamaverit, tunc componat ipse Judex solid. XII. & Regi sit culpabilis solid. XX.

REX LUITPRANDUS.

II. Si homines de sub uno Judice, de duobus tamen Sculdais, causam habuerint, ille qui pulsat vadat cum misso, aut epistola de suo Sculdasio ad illum alium Sculdaem, sub quo ipse est cum quo causam habet: & si intra quatuor dies minime justitiam fecerit, componat ille Sculdasius qui distringere neglexit, ei qui reclamaverit, solid. VI. & judici suo solid. VI. Et si talis fuerit causa, quam deliberare non possit, dirigat eos inter sex dies, ad Judicem suum secundum anteriorem capitulum. Nam si qualiter superiori capitulo constitutum est, sive Sculdais sive Judex in omnibus non compleverit, componat qualiter supra affixum est illi, qui causam suam reclamavit, solid. VI. & judici suo solid. VI. & Judex componat illi, cujus causa est, solid. XII. & Regi solid. XX.

IDEM.

III. Si quis in alia civitate causam habuerit, similiter vadat cum epistola de Judice ad Judicem qui in loco est, & si ipse Judex ei justitiam intra octo dies minime fecerit ad distringendum, aut non compleverit, eo componat illi, qui causam suam reclamaverit, solid. XX. & si talis causa fuerit, quam deliberare minime possit, ponat constitutum & distringat hominem illum de sua judiciaria, & teneat intra XX. dies in præsentia Regis venire. Nam si aliter fecerit, & distringere neglexerit, componat sicut supra scriptum est, solid. XL. medium Regi; & medium ei qui causam suam reclamavit.

IDEM.

IV. Si quis causam habuerit, & Sculdais aut Judex ei secundum edicti tenorem per legem judicaverit, & ipse stare in eodem judicio minime voluerit, componat illi, cui judicavit, solid. XX. Nam de ea causa, quæ per arbitrium judicata fuerit, & ipse sibi non crediderit legem judicasse, & ad Regem recla-

reclamavit, non sit culpabilis. Et si Judex contra legem judicaverit, componat solid. XL. medium Regi, & medium cujus causa fuerit. Et si forsitan Judex causam per arbitrium judicaverit. & judicium ejus rectum non apparuerit, non sit culpabilis, nisi præbeat sacramentum Regi, quod iniquo animo, aut corruptus præmio, causam ipsam judicasset, nisi sic ei legem comparuit esse, & sit absolutus. Nam si jurare non præsumpserit, componat ut supra dictum est.

IDEM.

V. Et hoc statuimus, ut si de supra scriptis capitulis, quomodo adfiximus, quale scunque causæ antea emerserint aut factæ sunt, in eo ordine finiantur, & remaneant, sicut anterior fuit consuetudo, vel qualiter in antiquo edicti corpore continetur, & amodo vero erunt, id est, die Kalendarum Martium, inditione quarta, eveniente, vel fieri contigerit. sic terminetur & finem accipiat, sicut in præsenti pagina constitutum est, excepta muliere libera, quæ servum tulerit, & secundum anterius edictum condemnata est, ubicunque inventa fuerit, sit ancilla palatii, & filii ejus servi Regis.

IDEM.

VI. Placuit nobis inserere, ubi lex deest, præcellat consuetudo i & nulla consuetudo superponatur Regi.

IMP. LODOVICUS.

VII. Si quis in aliena patria, ubi vel propter beneficium vel propter aliam quamlibet occasionem conservari solet, de qualibet causa fuerit interpellatus, ubi secundum suam legem justitiam faciat, & eum talibus, quales in eadem regione vel provincia secum habere potuerit, juratoribus legitimû sacramentum juret, excepto si quis eum de statu suo vel hereditate, quam ei pater suus moriens dereliquit, appellaverit: de his duobus liceat sacramentum in patria sua, id est, in legitimo loco jusjurandum afferre, & is, qui cum eo litigat, sequatur illum in patria sua ad recipiendum illud sacramentum, & ipse prius in eodem loco, ubi interpellatus est, satisfaciat tam Comiti & Judicibus, quam suo adversario, testes producendo, quod rem quam quærit, pater suus eidem reliquit.

TIT. XLII.

De his qui ad placitum venire coguntur.

IMP. CAROLUS.

I. Ut nullus alius de liberis hominibus ad placitum vel ad mallum venire cogatur, exceptis Scabinis & Vassis Comitum, nisi ille qui causam suam quærit, & ille qui respondit.

IDEM.

II. Ut nullus ad placitum banniatur, nisi qui causam suam quærit, aut si alter ei quærere debet, exceptis Scabinis septem, qui ad omnia placita esse debent.

IMP. LODOVICUS.

II. De placitis quidem, quæ liberi homines observare debent, constitutio genitoris penitus servanda atq; tenenda est: ut videlicet in anno tria solummodo generalia placita observentur, & nullus eos amplius placita observare compellat, nisi forsitan quilibet aut accusatus fuerit, aut alium accusavit, aut ad testimonium perhibendum vocatus fuerit; ad cætera vero placita. quæ Centenarii tenent, non alius venire jubeatur, nisi aut qui litigat, aut qui judicat, aut testificatur. Et quicunque hujus constitutionis transgressor de Missis nostris inventus fuerit, bannum nostrum componat.

TIT. XLIII.

De his ad placitum venire contempserint, & quibus de causis mannitio fieri debeat.

IMP. CAROLUS.

I. Si quis ad mallum legibus mannitus fuerit, & non venerit; & si somnus eum non detinuerit, solid. XV. culpabilis judicetur, si ad secundam & tertiam vicem, similiter. Si autem ad quartam venire contempserit, possessio ejus in bannum mittatur, donec veniat, & de qua re interpellatus fuerit, justitiam faciat. Si autem infra annum non venerit, de rebus, quæ in bannum missæ sunt, Rex interrogetur, & quicquid exinde judicaverit fiat. Prima mannitio sic super VII. noctes fiat; secunda super XIV. tertia super noctes XXI. quarta super noctes XLII. Similiter de beneficio hominis, si forte res propriæ non habuerit, mittatur in bannum, usque dum Rex interrogetur.

IDEM.

II. De mannier vero, nisi de genuitate aut de hereditate, non sit opus observare, & cæteris vero causis per districtionem Comitis ad mallum veniant, & juste examinentur ad justitiam faciendam. Comites vero non semper pauperes per placita opprimant.

IMP. LODOVICUS.

III. Si cujuscunque hominis proprietas, ob crimen aliquod ab eo commissum, in bannum fuerit missa, & illa recognita venire & justitiam facere distulerit, annoque ac die in eo banno illam esse permiserit, ulterius eam non acquirat, sed ipsa fisco nostro societur; debitum vero, quodis, cujus ea fuerit, solvere debuit, per Comitem ac ministros ejus juxta extimationem damni de rebus mobilibus, quæ in eadem proprietate inventæ fuerint, his, quibus debitor fuerit exsolvatur. Quod si rerum mobilium ibidem inventarum quantitas ad compositionem non sufficit, de immobilibus supplea-

pleatur, & quod superfuerit, sicut dictum est, filcus noster possideat. Si nihil super compositione remanere poterit, totum in illa compositione expenditur. Si autem homo ille nondum cum suis [illegible] bus proprium divisum habuerit, convocet eos, & Comes cum eis legitimam divisionem faciat; & [illegible] sicut jam dictum est, compositio de ea juxta modum superius comprehensum his, ad quos [illegible] pertinet, exsolvatur. Quod si non de aliis rebus, sed de ipsa proprietate, quæ in banno [illegible] missa, ac per hoc in nostra potestate redacta est, fuerit interpellatus; Comes in cujus [illegible] eam esse constiterit, hoc ad nostram notitiam ferre curet, ut nos eandem proprietatem, quæ secundum istum modum in nostrum dominium redacta est, per præceptum nostræ autoritatis, in illius hominis potestate, qui eam quærebat suam esse dum faciamus pervenire. Et si eam quicunque ad suam proprietatem detraxerit, liceat ei per sacramentum habere se; & si exinde postea victus fuerit, uexira manus ei amputatur.

IDEM.

IV. Si quis de statu suo, id est, de libertate vel de hereditate compellatus est, juxta legis constitutionem manniatur. De cæteris vero causis, unde quis est rationem redditurus, non manniatur, sed per Comitem bannitur. Et si post unam aut alteram admonitionem Comitis aliquis ad mallum venire noluerint, rebus ejus in bannum missis venire ad justitiam facere compellatur.

TIT. XLIV.

De his qui aldiones defendere debeant, vel in placito repræsentare.

IMP. PIPINUS.

I. De aldionibus, qui de personis suis aldiones sunt, si aliqua compellatio facta fuerit, patroni eorum eos defendant per sacramentum aut per pugnam, juxta qualis causa fuerit.

IMP. CAROLUS.

II. Ut servi, aldiones, libellarii, antiqui vel alii noviter facti, qui non per fraudem nec per malum ingenium de publico servitio se subtrahentes, sed per solam necessitatem & paupertatem terram Ecclesiasticam colunt vel colendam suscipiunt, non à Comite vel aliquo ministro illius ad ullum angariam, seu servitium publicum vel privatum cogantur vel compellantur: sed quicquid abeis fuerit agendum est, à domino vel patrono suo ordinandum est. Si vero de aliquo crimine accusantur, Episcopus primo compellatur, & ipse per Advocatum suum, secundum quod lex est, juxta constitutionem singularium personarum justitiam faciat. Si vero culpabiles fuerint, sicut in capitulare * Domni Imperatoris scriptum est, ita fiat. Cæteri vero homines liberi, qui vel commendationem vel beneficium Ecclesiasticum habent, sicut reliqui homines, justitiam faciant.

** Hinc apparet, hanc legem non esse Carolimagni sed aut Pipini, aut Bernhardi: nisi ad Carolum Crassum referre malis.*

IDEM.

III. Et quia sunt nonnulli, qui sine proprietatibus in Regno nostro degentes, judicia Comitum effugiunt, & non habentes res aut substantiam, quibus constringi possunt, ideo circumquaque malitias exercere non cessant. De illis vero placuit nobis, ut ipsi, cum quibus manere videntur, aut eos præsentent, aut pro eorum malefactis respondeant vel rationem reddant.

IMP. LOTHARIUS.

IV. De liberis hominibus, qui super alterius terram residunt, & usque nunc à ministris Reipub. contra legem ad placitum trahuntur, & omnino pignorabantur, constituimus, ut secundum legem patroni eorum eos ad placitum adducant. Et si quis eos contra hanc nostram auctoritatem, & eorum legem, pignorare aut distringere præsumpserit, patronus eorum omnia cum lege emendet, & insuper pro præsumptione bannum nostrum componat.

TIT. XLV.

Apud quem Potentiorum causæ agi debeant.

IMP. CAROLUS.

I. Ut Episcopi, Abbates & Comites, & quicunque potentiores, si causam intra se habuerint, & pacificare noluerint, ad nostram jubeantur venire præsentiam, neque illorum contentio alicubi judicetur. Nec propter hoc pauperum & minus potentum justitiæ remaneant, neque ullus Comes palatii nostri potentiores causas sine nostra jussione finire præsumat: sed tantum pauperum & minus potentum ad justitias faciendas sciat sibi esse vacandum.

IDEM.

II. Ut omnes Episcopi & Abbates & Comites, excepta infirmitate vel nostra jussione, nullam habeant excusationem, quin ad placita Missorum nostrorum veniant, aut talem vicarium suum mittant, ut in omnibus causis pro illis rationem reddere possint.

TIT. XLVI.

De armis intra patriam non portandis vel ad placitum.

IMP. PIPINUS.

I. Ut nullus ad mallum vel ad placitum, infra patriam, arma, id est, scutum & lanceam portet.

IMP. LOTHARIUS.

II. Volumus, ut cum collectis vel scutis ad placitum Comitis nullus præsumat venire; & si præsumpserit, bannum nostrum componat.

TIT.

TIT. XLVII.

De Advocatis & Vicedominis.

IMP. CAROLUS

I. De Advocatis & Vicedominis, Vicariis & Centenariis pravas, ut tollantur, & tales eligantur, qui sciant & volunt justitiæ causam discernere & determinare, & si Comes pravus inventus fuerit, nobis nuncietur, & Judices. Advocati, Præpositi, Centenarii, Scabini, quales meliores invenire possunt, & Deum timentes constituantur ad sua ministeria exercenda.

IDEM.

II. Volumus, ut Advocati in præsentia Comitum eligantur non habentes malam famam, sed tales eligantur, quales lex jubet eligere.

IMP. PIPINUS.

III. De Advocatis Sacerdotum volumus, ut pro Ecclesiastico honore, & pro illorum reverentia Advocatos habeant.

IMP LODOVICUS.

IV. Ut nullus Episcopus, nec Abbas, nec Abbatia, Centenarium Comitis habeat Advocatum.

IDEM.

V. Omnibus igitur Episcopis, Abbatibus, cunctoque Clero, omnino præcipimus Vicedominos. Præpositos, Advocatos sive defensores bonos habere, non crudeles, nec cupidos, non perjuros non falsitatem amantes, sed Deum timentes, & in omnibus justitiam facientes vel diligentes. De Judicibus autem, vel Centenariis, atque Tribunis vel Vicariis, dignum esse censuimus, ut si mali fuerint reperti, de ministerio suo abjiciantur.

IMP. LOTHARIUS.

VI. Volumus, ut Episcopi, & Abbates, & Abbatissæ suos Advocatos habeant, & pleniter justitiam faciant ante Comitem suum.

IDEM.

VII. Volumus, ut Episcopi una cum Comite suos Advocatos eligant.

IDEM.

VIII. Singulis Episcopis, Abbatibus, Abbatissis duos concedimus Advocatos habere, eos quoque unum qui causam procuret; alium, qui sacramentum deducat: eosque quamdiu advocationem tenuerint, ab hoste relaxamus.

IDEM.

IX. Ut Episcopi, universique Sacerdotes habeant Advocatos, quia Episcopi & universi Sacerdotes ad solam laudem Dei, & bonorum operum actionum constituuntur. Dum ergo unusquisque eorum tam pro Ecclesiasticis, quam etiam propriis actionibus suis [excepto publico videlicet crimine] habere Advocatum non mala fama suspicatum, sed bonæ opinionis & laudabilis artis inventum: ne dum humana fuera attendunt, æterna præmia perdant.

IMP. OTHO.

X. Laicorum vero nullum, præter Comitem, in solis Ecclesiasticis rebus Advocatum habere permittimus.

IMP. HENRICUS.

XI. HENRICUS divina pietate secundus Romanorum Imperator Augustus. Quoniam in legibus cautum est, ut ne nisi Clericorum jurare præsumat: alibi vero reperitur scriptum, ut omnes principales personæ in primo legis exordio subeat jusjurandum calumniæ; nonnullis Legisperitis res venit in dubium, utrum Clerici jusjurandum præstare debeant, aut aliæ personæ hoc officium liceat delegare. Quia enim illud constitutionis edictum, ubi clerici jurare prohibentur, à * Marco Augusto constitutum est; propterea quia de Constantinopolitanis Clericis promulgatum fuisse videtur, idcirco ad alios Clericos pertinere non creditur. Ut ergo hæc dubietas omnibus penitus asseratur, illam Divi * Marci Constitutionem ita interpretari decernimus, ut ad omnium Ecclesiarum Clericos generaliter pertinere judicetur. Nam cum Divinus Justinianus jure decreverit, ut Canones Patrum vim legum habere oporteat, & in nonnullis Patrum Canonibus repetitur, ut Clerici jurare non audeant; dignum est, ut totus Catholicus ordo à præstando jurejurando immunis esse procul dubio censeatur. Quapropter nos, utriusque videlicet divinæ & humanæ legis intentione servata, decernimus, & Imperiali auctoritate & retractabiliter disinimus, ut nec Episcopus, nec Presbyter, nec cujuscunque ordinis Clericus, non Abbas, non aliquis Monachus vel Sanctimonialis, in quacunque controversia, sive criminali sive civili, jusjurandum qualibet ratione compellatur subire: Sed Advocatis suis propriis idoneis hoc officium debeat delegare.

for. Marci. ann.

*Marciani

TIT. XLVIII.

Quibus tutores dandi sunt.

IMP. PIPINUS.

I. Ut viduæ & orphani tutores habeant, juxta illorum leges, qui illos defendant, & adjuvent, ut per malorum hominum oppressionem justitias suas non perdant, & si actor illorum aliquis esse noluerint, Judex provideat Domini timentem juxta hominem, ut lex illorum est, qui pro nostra præceptione illorum causam peragere debeant.

IMP. LODOVICUS.

II. De viduis & pupillis & pauperibus, quandocunque in mallum venerint ante Comitem, prius eorum causæ audiantur & diffiniantur, & si testes pro sua causas suas quærendas non potuerint, legem nescierint, Comes illos vel illas adjuvet dando eis tales homines, qui eorum nationem teneant vel pro eis loquantur.

IMP. LOTHARIUS.

III. De viduis, & pupillis, & orphanis, cæcis & claudis tutelam atque animinculam habere præcipimus juxta nostram possibilitatem vel vires, sicut in præcepto Domini Regis continetur.

TIT. XLIX.

De Feriis.

IMP. CAROLUS.

I. Ut etiam dominicus dies, sicut decet, honoretur, & eum colere omnes studeant, ut hoc feris possint fieri mercata & placita à Comitibus, sicut sæpe ammonitum fuerit, illo die prohibeantur.

IMP. OTHO.

II. Quotidie contra leges agitur, quotidie malum mali facere non verentur. Ideo hanc legem per omne ævum divinitate propitia valiturā esse adjicimus, ut toto anni tempore liceat Judicibus causas agere, litis dirimere, tumultum quæstionum determinare & deffinire; ut qui quotidie legem offendunt, quotidie legis sententia feriantur. Nec enim tempore messis, vel vindemiarum legis edictum effugere debent, qui in nullo tempore peccare desierunt: bene eum facere, verum dicere, justitiam amare, rectum judicare, omnibus temporibus licuit, semperque licebit; quia à bonis nunquam à malis autem operibus semper requiescendum esse catholice didicimus. Et hoc jugiter conservandum Deo auctore & Imperiali majestate decernimus. David autem Rex & Propheta dicit. *beati qui custodiunt judicium, & faciunt justitiam in omni tempore.* In Nativitate vero Domini, & in Epiphania, & in Statutis jejuniorum diebus, in diebus Quadragesimalibus, in Pascha, in Ascensione Domini, in Pentecosten, in Dominicis diebus, & in festis præcipuis, judiciarios motus exequi, publicas quæstiones appeti, ut hæ solennitates, quæ sunt Christianorum, cum omni vigilantia celebrentur, penitus prohibemus.

TIT. L.

De præjudiciariis actionibus.

IMP. LOTHARIUS.

I. Si quis aliquem de aliquo negotio mallaverit, & ille, qui mallatus fuerit dixerit: ideo respondere nolo, qui. servus alterius sit: aut si testimonia produxerit, & similiter dixerit, quod ea recipere non debeat, quia aliquis eorum servus sit alterius, nominet dominum ejus. Et sic de guadiam de eo ad placitum adducendo, & posito placito in quantum venire, ubi eum ire crediderit, & reverti possit, judices dicant. Et si in placito constituto dominum non adduxerit, præbeat sacramentum, quod pro nulla dilatione justitiæ ejus hoc dixerit, nisi pro certo ita verum esse crediderit. Quia si jurare ausus non fuerit, quod pro occasione prolongandæ justitiæ hoc non dixisset, componat illi bannum nostrum, & justitiam plenissimam faciat. Si vero aliquem adduxerit, qui se dominum ejus dicat esse, & illum qui de servitio appellarit, replicare ad servitium non potuerit: tunc ille, qui dominum esse dixerit, bannum nostrum ei componat, eo quod conculcanda justitia tale ingenium facere ausus fuerit. Crimina vero si super eum pro dilatanda justitia imponere voluerit, probare cogatur: & si probare non potuerit, justitiam faciat, & insuper bannum nostrum, pro tanta calliditate componere cogatur.

IDEM.

II. Si quispiam forte aliquem mallaverit, & ille, qui mallatus fuerit, dixerit eum servum suum esse, vel alius in ipsa altercatione veniens eum ad servitium mallaverit, volumus, ut qui præsentialiter seguadiarit, ut ad I. vel ad II. vel ad III. placitum causam ipsam finire debeat, & inter placitum & placitum sint dies XV. tertium vero quando Comes placitum habuerit, si infra unum Comitatum est, sint dies XV. si autem in alium est, sint dies XX. ne pro tali occasione justitia ejus prolongetur. Quia si in his tribus placitis, ille qui quærit venire neglexerit: excepto servitio Regis, & inevitabili necessitate; & Comes placitum habuerit, & ille quoque alius ad suam libertatem probandam paratus fuerit, tunc Comes ipsam causam finiat, veluti si ipse qui quærit præsens fuisset, & ultra qui quæ fierit facuncham de ipsius servitio dicendi non habeat. & insuper bannum nostrum componat illi, ac justitiam pleniter faciat. Et sunt aliqui, qui dum aliquos in servitio mallant, & ipsi de sua libertate probanda dant guadiam in eos, mutando placita lacerant, ut vix per suam paupertatem evadere possint: unde tertium capitulum addere placuit.

IDEM.

III. Si vero alium aliquis ad servitium mallaverit, & ille, qui mallatus fuerit, ad probandam libertatem guadiam dederit; jubemus, ut supra, ut ad I. vel ad II. vel ad III. placitum causam deliberent: inter placitum & placitum sint dies XV. tertium vero quando Comes placitum habuerit, si infra unum comitatum est, sint dies XV. Si autem in alium est, sint dies XX. & si in his tribus placitis ipse qui quærit venire contempserit, ante posito quod superius ante posuimus, & Comes placitum habuerit, sed ille namque alius cum suis testibus paratus fuerit, tunc Comes ipsos testes recipiat, & causam diffiniat, veluti si ipse qui quærit præsens fuisset, & ultra ille qui quæ fierit tacitus de servitio illius permaneat.

TIT.

TIT. LI.

De Testibus.

REX LUITPRANDUS.

I. Si quis testimonium talium contra aliquem reddiderit, aut in charta falsa sciens manum posuerit, & ipsa fraus manifesta fuerit, componat guidrigild suum, medium Regi & medium ei, cujus causa fuerit. Et si talis persona fuerit, quæ non habeat unde componat, tunc publicus debeat eum dare pro servo in manu, cui culpam fecit, & ipse eidem serviat sicut servus. Et ipse, qui alium rogat testimonium falsum dicere, aut pro causa sua manum in chartam ponere, sic componat, sicut testes ipsos falsos jussimus componere, pro eo quod ipsum fuit inchoatum.

Imp. CAROLUS.

II. De perjuriis ut caveantur, & non admittantur testes ad juramentum antequam discutiantur. & si alter discutiendi non possunt, separentur ad invicem, & singulariter inquirantur. & non solus accusatori liceat testes eligere absente suo accusatore, & omnino nullus nisi jejunus ad juramentum vel ad testimonium admittatur. & ille, qui ad testimonium adductus fuerit, si refutatur, dicat ille, qui eum refutat, & probet quare eum recipere nolit, & ut de ipso pago, non de altero testes eligantur, nisi forte extra Comitatum longius sit causa quærenda. Et si quis convictus fuerit de perjurio, manum perdat aut redimat.

IDEM.

III. Optimus quisque in pago vel in civitate in testimonium admittatur, ut is, contra quem testimoniare debet, nullum crimen possit inducere.

IDEM.

IV. Ut * qui semel perjuratus fuerit, nec testis sit post hoc, nec ad sacramentum accedat, nec in sua causa vel alterius jurator existat.

* Hinc sumpsit Tert. 22. q. 5. c. 20. parvuli.

IDEM.

V. Ut quicunque testes ad rem quamlibet discutiendam quærendi aut eligendi sunt, à Misso nostro aut Comite, in eorum ministerio de re qualicunque agendum esse meliores tales, quales in ipso pago possunt, eligantur, & non liceat litigatoribus per præmia falsos testes adhibere, sicut hactenus fieri solent.

IDEM.

VI. Ut testes ad testimonium dicendum præmio non conducantur, & nullus testimonium dicat, aut sacramentum juret, nisi jejunus, ut testes, priusquam jurent, separatim discutiantur, & dicant quod velint de illa re, unde testimonium reddere debent.

IDEM.

VII. Volumus etiam atque jubemus, ut Comites & Judices non dimittant testes habentes malam famam testimonium perhibere: sed tales eligantur, qui testimonium bonum habeant inter suos pagenses, & primum per ipsos judices inquirantur, sicut ab illis judices recti inquirere potuerint. Ita faciant non voluntatibus malorum hominum assensum præstantes, & ut ipsi Comites & eorum Judices [qui noverint causam, de qua inter eos agitur, esse cooperatam sine blandimento ipsius, qui causam habet] faciant testes ad eandem causam venire, & per eorum inquisitionem ita fiat definita. Et jubemus, ut testimonia ab invicem separentur, ut lex habet; quia si ita agatur, multi falsi testes possunt esse superati, se separatim interrogati fuerint.

IDEM.

VIII. Falsa persona non habet potestatem accusandi: & si in primo crimine convictus fuerit falsum dixisse testimonium, in secundo non habeat potestatem dicendi.

IDEM.

IX. Placuit nobis, ut nullus Comes, nec eorum Juniores, nullatenus præsumat alicui homini sua testimonia tollere aut extrahere; sed permittant ei habere sua testimonia, qui conquirere aut rogare potuerit. Et si aliquis contra hoc facere præsumpserit, nostra est voluntas, ut ipse veniat in nostram præsentiam, & ibidem inde accipiat talem sententiam, quomodo nostra voluntas fuerit ad judicandum.

Imp. LODOVICUS.

X. Si duo testimonia de qualibet re testimoniaverint, & inter se discordaverint, tunc Comes eligat unum ex una parte, & alium ex altera: & illi duo testes discernant cum scutis & fustibus, & ipsi qui de ipsa falsitate convictus fuerit, dextra manus amputetur.

IDEM.

XI. Si quis cum altero de qualibet causa contentionem habuerit & testes contra eum per judicium producti fuerint, illos falsos esse suscipiatur, liceat ei alios testes, qua meliores potuerit contra eos apponere, ut veracium testimonio falsorum testium perversitas superetur. Quod si ambæ partes testium inter se ita dissenserint, ut nullatenus una pars alteri concedere voluerit, elegantur duo ex ipsis, id est, ex utraque parte unus, qui cum scutis & fustibus in campo decertent, utra pars falsitatem vel veritatem suo testimonio consequatur. Et campio, qui convictus fuerit, propter perjurium, quod ante pugnam commiserit, dextra manus amputetur. Cæteri vero ejusdem partis testes, qui falsi apparuerint, manus suas redimant; cujus compositionis duas partes ei, contra quem testificati sunt, dentur; tertia vera pro freda solvatur: & in seculari quidem causa hujusmodi testium diversitas etiam in campo comprobetur. In Ecclesiasticis quidem causis, ubi de una parte seculare, de altero vero Ecclesiasticum negotium est, his modis observetur:

ubi vero ex utraque parte Ecclesiasticum fuerit negotium, rectores earundem Ecclesiarum, si se familiariter pacificare voluerint, licentiam habeant. Si autem de hujusmodi pacificatione inter eos convenire non potuerint, Advocati eorum in mallo publico in præsentia Comitis veniant, & ibi legitimus terminus contentionibus eorum imponatur. Testes vero de qualibet causa non aliunde quærantur, nisi de illo Comitatu, in quo res illæ positæ sunt, unde causa agitur: quia non est credibile, ut de statu hominis vel de possessione cujuslibet per alios melius veritas cognosci valeat, quam per illos, qui eum ipsas res sunt, sic tamen, ut si contentio, quæ inter eos orta est, in confinia duorum Comitatuum fuerit, fineat eidem de vicina Centena adia centis Comitatus ad suam causam testes habere.

IDEM.

XII. Constitutum est, ut nullus laicus crimen clericis audeat inferre. Testimonium Clerici adversus laicum nemo recipiat. Nemo enim Clericus, vel Diaconus, vel presbyter pro qualibet causa intret in curiam, nec ante judicem causam dicere præsumat, quoniam omnis curia a cruore dicitur & immolatione simulacrorum: & si quis clericus clericum accusans in curiam introierit, anathema sit recipiat.

IMP. LODOVICUS.

XIII. Ut in testimonium non recipiantur de his capitulis, id est, de hereditate, de proprietate aut libertate, id est, in mancipiis vel terris, sive de homicidio & de incendio, illi qui non habent, si convicti fuerint falsum dixisse testimonium, unde secundum legem compositionem plenam facere possint.

IDEM.

XIV. Quicunque comprobatus fuerit, quod se sciente testes in perjurium produxisset, ad palatium nostrum sub fide jussoribus venire compellatur: & ibi cum fidelibus nostris consideremus, quid de tali homine faciendum sit.

IDEM.

XV. De liberis hominibus, qui proprium non habent, sed in terra dominica residunt, si propter res alterius in testimonium non recipiantur, conjuratores tamen aliorum liberorum hominum omnino esse possunt, quia liberi sunt. Illi vero, qui proprium habent & tantum in terra dominica residunt, & propter hoc in testimonium recipiantur, quia proprium habent.

IDEM.

XVI. Decernimus enim, ut si quis aliter testes habere non potuerit, volumus ut per Comitis jussionem testes quos in suo testimonio necessarios quisque habuerit, veritatem probaturus, in publico conventu adducantur, ut per ipsos rei veritas cum juramento valeat inquiri. Quod si non per ipsos rei veritas cognoscatur, & duabus partibus fuerit inquisitio facta, idcirco quod nullus eorum possit habere testes, antequam jurent. Quod si omnes ad unam partem dixerunt rei testimonium, jurent verum dixisse testimonium: quod si dissenserint, ut quædam pars testium uni præbuerit testimonium, alia alteri; tunc interrogentur, si audent per pugnam illorum testimonium approbare. quod si nulla pars alteri concesserit, jurent; & per pugnam illorum probetur testimonium. Quod si una pars se subtraxerit tunc pars illa, quæ ausa fuerit contendere, recipiatur ad testimonium.

IDEM.

XVII. Quanquam sacerdotis testimonium credibile habeatur, tamen ipsi in secularibus negotiis pro testimonio aut conficiendis instrumentis non rogentur: quia eos in talibus rebus esse non convenit. Si autem causa eventus aliquid audierint aut viderint, ubi nullæ idoneæ seculares personæ inveniantur, ne veritas occultetur, & malum in bonum æstimetur, in providentia Episcopi propriisit, ita ut eorum se & competentibus judicibus, aut aliter veritatem honorifice tollant.

TIT. LII.

De officio judicis.

REX RACHIS.

I. Si quis causam alterius agere aut causare præsumpserit in præsentia Regis aut Judicis, [exceptosi Rex aut Judex ei licentiam dederit] de viduis, aut de orphanis, aut de tali homine, qui causam suam agere non potest; componat guidrigild suum, medium Regi, & medium contra quem causavit. Et si forsan aliquis per simplicitatem, suam causam agere nescit, veniat ad placitum: & si Rex aut Judex proviserit, quod veritas sit, tunc debeat dare ei hominem, qui causam ipsius agat. Nam si Judex contra hoc consenserit, exceptis in his capitulis, & non emendavit, & ipse similiter componat guidrigild suum in palatio Regis. Si enim quicunque liber homo in servitio de gasindio Regis, aut de ejus fidelibus introierit, & si Judex de sub quo fuerit dolose eum opprimere quæsierit, pro eo quod ipsum servitio alterius introivit; & per ipsum dolum illicite contra ipsum judicaverit, aut forsitan ab ipso judice suo justitiam suam invenire non potuerit; tunc componat Judex, sicut supra lex est: & ille, in cujus obsequio est, habeat licentiam causam agere, & usque ad legem perducere, sic tamen, ut antea vadat ad judicium de judice suo, ut ab ipso sulcipiat justitiam suam.

IMP. CAROLUS.

II. Si Comes in suo ministerio justitiam non fecerit, tunc Missus noster de hac causa sonniare faciat usque dum justitiæ ibidem factæ fuerint. Et si Vassus noster justitiam non fecerit, tunc Comes & Missus noster in ipsa causa sedeant, & de suo vivant, quousque justitiam faciat.

IDEM.

IDEM.

III. Ut nullus homo in placitum Centenarii, neque ad mortem, neque ad libertatem suam amittendam, aut res reddendas vel mancipia judicetur: sed ea omnia in præsentia Comitum vel Missorum nostrorum judicentur.

IDEM.

IV. ut Judices jejuni causas audiant & discernant.

IDEM.

V. Ut nullus quislibet Missus noster, neque Comes, neque Judex, aut Scabinus, cujuslibet justitiam dilatare præsumat, si statim implere potuerit secundum rectitudinem, neque præmia pro hoc à quolibet homine per aliquod ingenium accipere præsumat.

IDEM.

VI. Ut Comites pleniter justitiam diligant, & juxta vires eorum expleant. & justitiæ sanctæ Dei Ecclesiæ vigilanti cura insistant, & orphanorum, viduarum, pauperum, & omnium, qui in eorum ministerio permanent, & de causa quacunque ad eos venerit querela, plenissima & justissima deliberatione dissinire decernant, & sicut rectum & justum est, ita agant. & ut primitus ad placita eorum orphanorum, viduarum, nec non pauperum causæ deliberentur, nec propter aliquam dilationem eorum justitia à judicibus dilatetur.

IDEM.

VII. Ut ante Vicarios nulla criminalis actio definiatur, nisi tantum leviores causæ, quæ facile possunt judicari, & nullus in eorum judicio aliquem in servitio hominem conquirat, sed per fidejussorem mittatur usque ad præsentiam Comitis. Et ad ingenuos homines nulla placita faciant custodire, postquam illa tria custodiunt placita, quæ instituta sunt, nisi forte contingat, ut aliquis aliquem accuset, exceptis illis Scabinis, qui cum judicibus residere debent.

IDEM

VIII. Volumus, ut sicut nos omnibus legem observamus, ita omnes Comites nostri nobis legem observare faciant, & plenam justitiam in eorum ministeriis, quicquid ad nos pertineret, facere studeant.

IDEM.

IX. Ut Judices sive Missi nostri fiscalini, de qualibet causa non exigant fredam, priusquam facinus componatur.

IDEM.

X. Omnis controversia coram Centenariis dissiniri potest, excepta redemptione terræ & mancipiorum, quæ non potest dissiniri nisi coram Comite.

IDEM.

XI. Ut nullus ebrius suam causam in mallum possit conquirere, nec testimonium dicere: nec Comes placitum habeat, nisi jejunus.

IDEM.

XII. Ut placita publica vel secularia, neque à Comite, nec ab ullo ministro suo, vel Judice, nec in Ecclesia, nec in terris Ecclesiæ circumjacentibus vel cohærentibus nullatenus teneantur.

IDEM.

XIII. Hoc quoque jubemus, ut Judices supra nominati, sive Missi nostri fiscalini, de qualibet causa fredam non exigant, priusquam facinus componatur. Si quis autem per cupiditatem ista transgressus fuerit, legibus componat: freda ut autem non illi Judici, qui culpam commisit, sed illi, qui solutionem recipit, tertiam partem coram testibus fisco tribuat, ut pax perpetua stabilis permaneat.

IMP. PIPINUS.

XIV. De universali quidem populo, qui ubicunque justitiam quæsierit, suscipiat tam à Comitibus suis, quam etiam à gastaldiis seu sculdasiis, vel loci præpositis, juxta ipsorum legem absque tarditate. Et si Comites Franci distulerint ad justitiam faciendam, & probatum fuerit juxta, ut eorum fuerit electio, ita pœnæ subjaceant, & de illorum honore ita siat, sicut est consuetudo Francorum. Et de Longobardis Comitibus, qui ex ipsis neglectum posuerint ad justitiam faciendam, sicut illorum lex est ita componat. Et si forsam attenderit ad gasindium vel ad parentem, aut ad amicum suum, seu ad præmium, & legem non judicaverit, & probatum fuerit, guidrigild suum componat, & honorem suum amittat, sicut ipsorum lex est. Et si Gastaldius aut Sculdais, vel loci Præpositus de qualibet judiciaria tam ad suos pagenses, quam ad alios, qui justitiam quæsierint, non fecerit, componant sicut lex ipsorum est. Et si forsitan Francus aut Longobardus habens beneficium justitiam facere noluerit, ille Judex, in cujus ministerio fuerit, contradicat illi beneficium suum, interim dum ipse aut Missus ejus justitiam faciat.

IDEM.

XV. Ut Judex unusquisque faciat jurare ad Dei judicia per civitates homines credentes juxta quantos providerit, seu foras per curtes vel vicos vel manent: ut cui ex ipsis hominibus cognitum fuerit, homicidia, furta, adulteria & de illicitis conjunctionibus, ut nemo ex eis eas concelet. Et hoc damus in mandatis, ut si quis venerit justitiam reclamare super quempiam hominem, dicendo de homicidio, furto, aut præda, & ille, super quem dixerit, denegare voluerit: tunc ille, qui reclamat, si potuerit, approbet illum: & si forsitan non potuerit approbare, & ipse super quem dixerit negaverit; quod

quod ipsum malum nec ipse, nec homines ipsius perpetrassent, & posuerit excusationem, & dixeriti nomina mihi meos homines, qui tibi istud malum fecerint, ego tibi & illis justitiam faciam. Et ille incognitus qui reclamat, nomina illorum hominum nescit, nec approbare potest: & ipsi, qui exinde veritatem sciunt, denegare voluerint, & ille, qui reclamat dixerit, quia illi homines veritatem scieverint: tunc ipse Judex, qui in ipso loco est, faciat jurare homines, quilibet fuerint, Franci aut Longobardi, quos ipse nominative dixerit, ut dicant veritatem. Et si credentes homines fuerint, in manu Comitis sui dextras dent: & si latrocinia, vel furta, aut prædа inventa fuerint, emendenturita, ut eorum lex est, cui ipsum malum perpetratum fuerat. Tamen Judex de loco, unde fuerit, de latronibus & furibus studium ponat, ut iste post hinc habitans aut veniens in pace vivere valeat.

IDEM.

XVI. Placuit atque convenit nobis, ut omnes justitiæ pleniter factæ esse debeant infra Regnum nostrum absque ulla dilatione, tam de Ecclesiis, de xenodochiis seu pauperibus, & viduis, & orphanis, atque de reliquis hominibus, secundum jussionem Domini CAROLI Regis.

REX LODOVICUS.

XVII. Legatio Missorum nostrorum hæc est: Primum, ut sicut jam aliis Missis nostris injunctum est; faciant justitiam de rebus & libertatibus injuste ablatis. Et si Episcopus, aut Abbas, aut Vicarius, aut Advocatus, aut quilibet de plebe hoc fecisse inventus fuerit, statim restituatur. Si vero Comes vel Actor dominicus, vel alter Missus palatii nostri hoc perpetraverit, & in nostra potestate redierit, res diligentes investigiata & descripta ad nostrum revertatur judicium. Volumus autem de his libertatibus, & rebus reddendis, quæ in nostra investitura sunt, ut primum quosque per optimos inquirantur: & si nec per illos rei veritas inveni, possit: tunc per eos, qui post ipsos jam in illa victima majores sunt, rei veritas inveniatur. & si nec per illos rei veritas invenire possit, tunc liceat litigatoribus ex utraque parte testes adhibere, & si discordaverint, secundum constitutionem à nobis promulgatam examinentur.

IDEM.

XVIII. Ut Comites & Vicarii, & Centenarii de constitutione legis ammoneantur, & propter justitiam pervertendam munera non accipiant.

IDEM.

XIX. Ut in illius Comitis ministerio, qui bonam justitiam factam habent, Missi nostri diutius non morentur, neque illic multitudinem convenire faciant: sed ibi moras faciant, ubi justitias vel minus, vel negligenter factas invenerit.

IMP. *PIPINUS.

* an. BERNARDUS.

* placitum. XX. Ut in illius Comitis ministerio ibidem Missi nostri * planctum non teneant, qui in aliquo missatico directus est, donec reversus fuerit.

IDEM.

XXI. Ut ubicunque missi nostri aut Episcopum, aut Comitem, aut Abbatem, vel alium quemlibet quocunque honore præditum invenerit, qui justitiam facere noluerit, vel prohibuerit, de ipsius rebus vivant, quamdiu justitiam facere debent.

IDEM.

XXII. Volumus, ut Comites nostri licentiam habeant inquisitionem facere de Vicariis & Centenariis, qui magis per cupiditatem, quam propter justitiam faciendam fæpissime placita tenent, exinde populos nimis affligunt: ita teneantur sicut in capitulare Domini CAROLI continetur.

IDEM.

XXIII. Ut nullus ad placitum banniatur, nisi qui causam suam quærit, aut si alter exquirere debet, exceptis Scabinis VII. qui ad omnia placita debent esse.

IDEM.

XXIV. De conclamatoribus vel causidicis, qui nec ad judicium Scabinorum acquiescere, nec blasphemare volunt; antiqua consuetudo eis servetur, id est, in custodiam recludantur, donec unum ex duobus faciant. Et si ad placitum pro hac re reclamaverint, & literas detulerint, non quidem quod eis credatur, nec tamen in carcere ponantur, sed cum custodia teneantur, & ipsi cum literis pariter ad placitum nostrum revertantur, & ibi discutiantur, sicut dignum est.

IDEM

XXV. De judicibus, ut inquirantur, si nobiles, & sapientes, & Deum timentes constituti sint, & jurent, ut juxta suorum intelligentiam rectum judicent, & pro muneribus vel humana gratia justitiam non pervertant nec differant, & quod judicaverint sua districtione confirmare non dissimulent. Ubi autem tales non sunt, à Missis nostris constituantur, & idem sacramentum facere cogantur. Quod si viles personæ & minus idoneæ ad hoc constitutæ sunt, ejiciantur. Similiter & Notarij legibus eruditi & bonæ opinionis constituantur, & jusjurandum præbeant, ut nullatenus falsitatem vel colludium scribant, & qui hoc fecisse præterito tempore inventus fuerit, præsumptus damnetur.

CAP.

TIT. LIII.

Ut Episcopi & Comites invicem sibi auxilium præstent.

IMP. CAROLUS.

I. Ut Episcopi & Comites concordiam & dilectionem inter se habeant, & ad Dei sanctæ Ecclesiæ per tractatum peragendum, ut Episcopus suo Comiti, ubi ei necessitas poposcerit, adjutor & exhortator existat, qualiter suum ministerium explere possit. Similiter & Comites faciant contra suum Episcopum, ut in omnibus illis adjutor sit, qualiter intra suam parrochiam canonicum possit explere ministerium.

IMP. GUIDO.

II. Placuit etiam nobis statuere summopere, ut Episcopi & Comites uniti sint in suis parrochiis & in Comitatibus, pro pace & salvatione in omnibus honoribus suis hominibus habitantibus: ita ut nullum prædonem, raptorem, vel incestum in suis sedibus, vel concessis honoribus permittant morari. Et si intellexerint ex aliqua parte per eorum terminos velle aut debere transire extraneos ad istius Regni vastationem, dirigant eis Missos, ut in pace & sine præda per eorum transeant terram. Vendere autem eis quæ necessaria sunt faciant, non plus earum, sed secundum usum & consuetudinem terræ. Si vero noluerint acquiescere, sed prædas & rapinas exercuerint, quicquid alter rapuerit, legaliter cum banno nostro ab Episcopo & Comite ejusdem loci emendare cogatur. Quod si ea exequi noluerint, statim ab Episcopo loci excommunicentur. Postea vero si contigerit, ut Comes loci populusque terræ supra ipsos prædones venerint, & eos impedierint, & fuerint mortui, ita que fayda inde crescat, neque compositio aliqua requiratur pro his, qui ibidem occubuerint. Et si Comes ejusdem loci hoc implere neglexerit, proprio honore privetur, & si opportuerit & necesse fuerit, in ipso auxilio vicinum suum Comitem advocet. & si ille se subtraxerit, similiter proprio privetur honore, & insuper xxx. libras argenti Comiti componat.

TIT. LIV.

De Contemptoribus.

IMP. LOTHARIUS.

I. Placuit nobis, ut si pro quibuslibet causis, culpis atque criminibus, quæcunque persona tentiens fuerit contemptor, ut etiam excommunicatione Episcopali pro contemptu digna habeatur, Comitem suum Episcopus sibi societ, & per ambor ũ consensum hujusmodi distringatur contemptor: ut jussioni Episcopi sui obediens existat. Si vero assensum non dederit, bannum nostrum nobis persolvat, quod si adhuc contumax extiterit, tunc ab Episcopo excommunicetur. Si vero excommunicatus corrigi nequiverit, à Comite in vinculis distringatur, quousque nostrum contemptor susceptat judicium. Si vero Comes in talibus requisitus fuerit noxius, per Episcopum ejus nobis nuncietur. Si autem Vassus noster in hac culpa fuerit lassus, sicut supra, à Comite distringatur: quod si eum non audierit, nobis nuncietur, antequam in vinculis mittatur.

IDEM.

II. Prohibemus enim, ut nemo usuram facere præsumat post sui Episcopi contestationem, quod si quis post ejus contestationem facere præsumpserit, à Comitibus, sicut supra dictum est de contemptoribus, præcipimus ut distringantur.

IMP. HENRICUS.

III. HENRICUS divina pietate secundus Romanorum Imperator Augustus, omnibus decet Imperialem solertiam contemptorem suæ præsentiæ capitali damnare sententia.

TIT. LV.

Qualiter quisque se defendere debet de quadris: & in quibus causis pugna prohibetur, vel fieri debeat.

REX ROTHARIS.

I. Si quis ex parentibus, id est, barbanus, quod est patruus, aut quicunque proximus de nepote aut consobrino, doloso animo dixerit, quod de adulterio natus sit; nam non de certo patre, tunc ille, cui crimen mittitur, quærat sibi liberos homines sacramentales XII. & præbeat sacramentum, quod filius legitimus sit, & per legem res ipsæ ad eum pertineant, nec alteri eas per legem dimittere debeat. & si hoc fecerit, habeat & fruatur; quia grave & impium videtur esse, ut talis causa sub uno scuto per pugnam dirimatur.

IDEM

II. Si quis dixerit de uxore aliena, quod mundium de ea ad ipsum pertineat, nam non ad maritum: tunc ille, qui eam habet uxorem, præbeat sacramentum eum legitimis sacramentalibus suis XII. quod de certo domino mundium ipsius fecisset, & non eum alteri per legem dimittere debeat. Si autem hoc fecerit, habeat & fruatur, quia injustum videtur esse, ut tam grandis causa sub uno scuto per pugnam dirimatur.

IDEM.

III. Si fuerit suspicio, quod maritus immerentem uxorem suam occidisset, ita decernimus, ut purificet se maritus cum sacramentalibus suis legitimis XII. quod in morte ipsius mulieris mixtus non sit nec per se, nec per aliam suppositam personam; & sit absolutus ab hoc crimine: quia absurdum & impossibile videtur esse, ut tam grandis causa sub uno scuto per pugnam dirimatur.

IDEM.

IDEM.

IV. Si quis comparaverit mancipium, & postea leprosum aut dæmoniacum apparuerit, tunc venditor, si pulsatus fuerit, præbeat sacramentum singulis, quod in conscientia ipsius de ipsa infirmitate non fuisset, quando eum vendidit, & amplius non calumnietur.

IDEM.

V. Si qualiscunque causa inter homines liberos evenerit, & sacramentum tantum fuerit, usque ad xx. solid. fuerit causa ipsa aut amplius, ad Evangelia sancta juret cum XII. à suis, id est Sacramentalibus. Ita ut sex illi nominentur ab illo qui pulsat, & septimus sit qui pulsatur, & quinque quales voluerint, liberos tamen, sint XII. Quod si minor causa fuerit, de XX. solid. usque ad XII. sibi sextus juret ad arma sacrata, III. ei nominet qui pulsat, & duos liberos eligat. qui pulsatur, quales voluerit, & sextus sit ille. Et si minor fuerit causa, de XII. solid. sibi tertius juret ad arma sacrata, unum ei nommet qui pulsat, & alium ipse sibi quærat, & tertius sit ipse qui pulsatur.

IDEM.

VI. Si quis alii pro quacunque causa guadiam & fidejussorem de sacramento dederit, detur ei spacium usque ad XII. noctes ad ipsum sacramentum dandum. Et si propter ægritudinem forsitan aut aliam causam supervenientem in prædicto constituto non potuerit jurare, suspendatur ipsa causa usq; ad alias XII. noctes, & si nec tunc compleverit, & totum annum voluntarie dilataverit, & sacramentum dederit, tunc rem ipsam unde agitur amittat, & ille acquirat qui guadiam suscepit. Et e contrario si ille, qui guadiam suscepit, sacramentum audire dilataverit, & annus totus pertransierit, post transactum anni spacium nullam in posterum habeat facundiam de ipsa re loquendi; sed ille, qui paratus fuerit sacramentum dare, firmiter possideat.

IDEM.

VII. Si contigerit homini post datum fidejussorem de sacramento, & sacramentales nominatos mori & filios dimiserit; posteaq; ille qui causam quærit, pulsaverit filios dicendo, quia quo quid pater per guadiam & fidejussorem obligavit, filii complere debent, tunc necesse est filiis, quamvis minorem virtuteni habeant, quam pater; aut per sacramentum negare, quod pater eorum non promiserit, aut certe quod spopondit adimpleant. Et si aliquis de sacramentalibus mortuus fuerit, potestatem habeat ille, qui pulsat, in loco mortui similem alium nominare de proximis legitimis, aut de naturalibus, aut de gamalibus, id est, confabulatis. Sed si dixerit qui pulsat, quod sacramentum non fuisset, præbeat sacramentum qui negat, si ausus fuerit jurare, quod neque à patre, neque à se sacramentum ruptum fuisset, postea juret, sicut supra scriptum est. Sacramentum tunc intelligitur ruptum, quando præsentibus sacrosanctis Evangeliis aut armis sacratis ille, qui pulsatur, cum sacramentalibus suis se conjunxerit, & si non ausus fuerit jurare, & aut ipse aut aliquis de sacramentalibus ejus se subtraxerit, tunc intelligatur sacramentum ruptum.

IDEM.

VIII. Si pro quacunque causa aut culpa homo pulsatus fuerit ab alio, & negaverit, liceat ei se idoneare secundum legem & qualitatem causæ. Si autem manifestaverit se fecisse, componat secundum quod in edicto lex est, Nam nulli liceat, postquam manifestaverit, postea per sacramentum negare quod non sit culpabilis, postquam ille se culpabilem assignavit, quia multos cognovimus in Regno nostro tales pravas opponentes intentiones, & hæc moverunt nos per præsentem corrigere legem, & ad meliorem statum revocare.

IDEM.

IX. Si quis post mortem patris filium de debito appellaverit, quod pater ipsius ei debitor fuisset, & filius negaverit, ita decernimus, ut præbeat filius sacramentum, secundum qualitatem pecuniæ unde pulsatus est, quod pater ejus ei debitor non fuisset, aut per pugnam se defendat, si potuerit.

IDEM.

X. Si aliqua inter creditorem & debitorem atque fidejussorem surrexerit intentio, & dixerit creditor, quia in tali prætexta guadiam susceperit, & fidejussor negaverit, non est causa fidejussori præbere sacramentum, nisi debitor singulis satisfaciat ad Evangelia, vel ad arma: quia in tali capitulo nec guadiam dedit, nec fidejussorem posuit.

IDEM.

XI. Nullus camphio præsumat, quando contra alium pugnando vadit, herbas quæ ad maleficia pertinent, super se habere, nec alias tales aut similes res: nisi tantum arma sua, quæ conveniunt. & si suspicio fuerit, quod eas occultè habeat, inquiratur à judice, & si inventæ fuerint, evellantur & jactentur. & post istam inquisitionem tradat manum ipse camphio in manu parentis, aut conliberti sui ante judicem satisfacere, & dicat quod nullam talem rem, quæ ad maleficia pertinet, super se habeat, & tunc vadat ad certamen.

IDEM.

XII. Si quis uxorem suam incriminaverit adulto, absque certa causa legitima, quasi adulterata sit, aut contra animam mariti sui tractasset, liceat illi mulieri per sacramentum, vel per pugnam se mundare. Et si purificata fuerit, tunc maritus ejus præbeat sacramentum cum parentibus suis legitimis sibi XII. quod non alto animo nec dolose ei crimen injecit, ut eam debent dimittere nisi pro certa suspicione, & audita habuisset hæc verba. Et si hæc facere potuerit, sit absolutus à culpa & si ausus non fuerit jurare, componat guidrigild ipsius mulieris, tanquam si fratrem ejus occidisset, medium Regi, & medium parentibus mulieris.

Rex LUITPRANDUS.

XIII. Si qualiscunque causa inter conlibertos aut parentes convenerit, aut acta fuerit, & homines boni illi aut iv. interfuerint, non reprobetur postea ipsa causa, nisi eorum testimonio ambæ partes credant, qui interfuerint. Pro cujus autem causa testes illi testimonium reddere debent, ipse homo causatori suo per sacramentum satisfaciat. Testes vero ipsi tales sint, quorum opinio in bonis præcellat operibus, & quorum fides admittitur, vel quib. Princeps aut Judex credere possit. Et si forsitan remunerati testes veritatem ipsam celare voluerint; tunc per sacramentum satisfaciat Princeps aut Missus ejus, ut veritas non obscuretur. Si quidem per guadiam obligatio facta fuerit, & intentio pro hoc fuerit excitata, in eo judicio maneat, sicut in anteriori edicto legitur, quod gloriosiss. Rex ROTHARIS instituit.

IDEM.

XIV. Si quis alij guadiam de sacramento dederit, & sacramentales dicti fuerint, & postea ipse, qui nominatus est, cum ad sacramentum venerit, & Evangelia posita fuerint, se subtrahere voluerit, ut sacramentum rumpatur, ut in anteriori edicto legitur: tunc præbeat prius ille, qui jurare debet, ad sacramentales suos sacramentum, quod cum eis munditer juret. Et si sacramentales ipsi, ipsum sacramentum audire voluerint, & se aliquis subtrahere voluerit, ut ille causam suam, qui jurare debuerit, perdat: jubemus, ut manifestare debeat ipse sacramentalis, qui se subtrahere voluerit, certam veritatem, pro qua causa ei jurare minime præsumat. Et si manifestare noluerit, sacramentum præbeat, quod nullum colludium habeat cum homine illo, qui sacramentum audire debeat, nisi quod animam suam timendo non præsumat sacramentalis esse. & ipse postea, qui jurare debeat, habeat spacium per XII. noctes, ad per quirendos ipsos sacramentales, qui prope sunt. Equidem si de longinquo sunt, quorum odo de Tuscia vel de Austria, per noctes XXIV, quærat alium sacramentalem, quem in loco ipsius ponat, & sic sacramentum deducat, ut guadiam dederit. & si jurare ausus non fuerit, aut manifestare non potuerit, quicquid ipse, cui sacramentum interdixerit, damnum passus fuerit, de propriis rebus suis restituat ei.

IDEM.

XV. Si quis alium asto animo compellaverit de pugna, quæ fieri solet per pravas personas, præbeat sacramentum ipse, qui compellat solus, & dicat juratus, quia non asto animo eam per pugnam fatigare quærat, nisi quod certam habeat suspicionem, sive de furto fuerit, sive de incedio, aut unde ipsa compellatio agitur. Et si hoc juraverit, postea vadat exinde ad pugnam: si autem minime jurare præsumpserit, non sit ipsa causa per pugnam judicata atque finita.

IDEM.

XVI. Si quis à modo inventus fuerit cum uxore aliena turpiter conversari, id est, si manum in sinum aut ad pectus ejus miserit, vel ad alium locum unde turpe esse potest, cum consensu ipsius mulieris, & probatum fuerit, componat qui hoc malum perpetravit, guidrigild ad maritum ipsius mulieris. Si autem causa probata non fuerit, nisi tantummodo quispiam de suspecto alium de uxore sua compellat; habeat licentiam ipse qui compellat; aut ad pugnam, aut ad sacramentum ipsum hominem quærere, qualiter voluerit. Si vero ipsa mulier in hac illicita causa consentiens fuerit, habeat potestatem ejus maritus in eam vindictam dare, sive in disciplina, sive in venditione, ubi voluerit: veruntamen non occidatur, nec ei scematio corporis fiat. Si quidem forsitan talis fuerit ipse liber homo, ut non habeat unde compositionem facere possit, tunc publicus debeat eum dare in manum mariti sui, & ipse in eum faciat vindictam in disciplina vel venditione: nam non in occisione aut in scematione corporis. Si autem aldius vel servus alienus hoc malum in libera muliere facere præsumpserit, tunc patronus ejus componat ad maritum ipsius mulieris solid. LX. & ipsam personam det ei in manus ejus. Si vero servus aut aldius per voluntatem domini sui hoc malum fecerit, quod suprascriptum est, & probatum fuerit, quod ipse servus in ipsa compositione tradatur. Et si probata causa non fuerit de domini ejus voluntate, tunc ipse dominus servi vel aldionis purificet se per sacramentum cum legitimis sacramentalibus suis, ut in malo consentiens non fuisset: & sit absolutus, & tamen fiat, sicut supra statuimus de servo vel aldione.

Rex RACHIS.

XVII. Omnibus enim pene notum est, quia usque nunc per pravas cupiditates deducebantur homines ad sacramentum de cartis venditionis, quæ factæ fuerant, & compellebantur à venditoribus, quod pretium completum non haberent datum, qui ipsas cartas habebant, & res possidebant. Et ipsi emptores deducebantur ad sacramentum, quod pretium completum haberent. quod nobis & nostris judicibus illicitum esse comparuit, & quia pro opinione sua jurare nolebant, dabant pro sacramento suo aliquid, & habebant damnietatem sine causa. Et naufragii homines propterea ipsam compellationem faciebant, ut aliquid pro ipso sacramento tollere potuissent. Ideo decernimus, ut si quis cartam venditionis de aliqua re fecerit alicui, & à scriba publico scripta, vel à testibus idoneis roborata fuerit: & tam ipse venditor, quam testes in ipsa carta se subscripserint, aut manum posuerint, & manifestaverint in ipsa carta, quod pretium inter eos statutum fuscepisset. si pulsatus fuerit postea emptor, quod pretium ipsum non compleviset, sacramentum exinde non procedat: nisi forte ei emptor per guadiam se obligaverit: tunc ipse venditor pignoret fidejussorem suum,

Rex ASTVLPHVS.

XVIII. Si quis Longobardus causam habuerit cum locis venerabilibus, quæ ad defensionem palatii esse noscuntur: si fuerit causa, unde sacramentum debeat procedere: si judex Abbatem, Cu-

stodem, vel Præpositum pulsaverit, ipse ei satisfaciat. Si autem Abbas, Custos, Præpositus judicem pulsaverit, & sacramentum fieri debuerit, ipse Judex iterum sacramentum deducat. Si vero alter Longobardus habuerit causam cum Abbatibus, unde simile sacramentum deductum fieri debeat, præmittatur Abbas ipse solus: nam non alius; sed de aliis, quales eligere vult, quantacunq; secundum legem jurare debent, ut sacramentum deducat; ita tamen, ut ipse Abbatis talis sit, qui per Regulam vitæ præceptum Domini vivat, & subjectus monachos habeat usque L. vel amplius, qui eum eo regulariter vivant.

IDEM.

XIX. Si quis cum aliis Custodibus vel Præpositis de locis venerabilibus causam habuerit, ipsi Custodes vel Præpositi sacramentum deducant.

IDEM.

XX. Si quis in curte Regis causam habuit, & evenerit ut pars curtis Regis sacramentum deducere debeat: si minor causa de XX. solid. fuerit, per sacramentum observationum cum actoribus inquiratur. Si vero major causa fuerit, actor de loco cum actoribus, secundum qualitatem causæ per sacramentum persolvat.

IMP. CAROLUS.

XXI. Ut sacramenta, quæ ad palatium fuerint arramita, in palatio perficiantur: & si sacramentales cum ipso venire noluerint, justione dominica, aut sigillo vel judicio ad palatium venire cogantur.

IDEM.

XXII. Omnia sacramenta in Ecclesiis aut super reliquias jurentur, & quæ in Ecclesia juranda sunt, vel cum septem electis, aut XII. esse debeant, quales potuerint legibus invenire; & sic jurent, sic illum Deus adjuvet & sancti, quorum reliquiæ sunt, ut inde veritatem dicat.

IDEM.

* *Hinc sumpsit, ut est text. in c. parvuli, 22. q. 5.*

XXIII. Ut * infantes, qui sine rationabili ætate sunt, non cogantur jurare, sicut Gugibalda lege viventes faciunt. Et qui semel perjuratus fuerit, nec testis sit postea, nec ad sacramentum accedat, nec in sua causa vel alterius jurator existat.

IDEM.

XXIV. Mentio etenim facta est à nonnullis in placitis, quæ habuimus in anno præterito; & dictum est ibi, ut palam apparet, quod aut ille, qui crimen ingerit, aut ille, qui vult defendere, purgare se debeat. Melius visum est, ut in campo cum fustibus pariter contendant, quia perjurium perpetretur.

IMP. LODOVICUS.

XXV. Ut nemo furem camphium de mancipiis, aut de qualibet causa recipere præsumat, sicut sæpius dominus * Imperator commendavit.

* *Hinc colligi potest, hanc legem non esse Ludovici Pii, sed Ludovici senioris: ut hoc loco innuatur Imp. Lotharius.* * *al* ROTHARI.

IDEM.

XXVI. De furto vel de minoribus causis statuimus: si ille, cujus causa fuerit jurata, dicere voluerit, quod ille, qui juravit, se sciente perjurasset, campo vel cruce contendat. Et si ille, qui juravit, victus fuerit, quod sciens perjurasset, pœnæ suprascriptæ subjaceat. Et si ille, qui criminavit alium perjurium, non approbaverit, legem suam, cui perjuratum esse dixerit, persolvat. De majoribus vero causis, lex, quæ à longo tempore fuit, observetur.

IMP.* LOTHARIUS.

XXVII. Ibi sacramenta juranda sunt, ubi antiquitus fuit consuetudo sacramenta arramire vel jurare; ubi mallum habeatur. Mallum tamen neque in Ecclesia, neque in atrio ejus habeatur. Minora vero placita Comes infra suam potestatem, vel ubi impetrare potuerit, habeat.

IDEM.

XXVIII. Volumus utique, ut domus à Comite in loco, ubi mallum tenere debeat, constituatur, ut propter calorem solis & pluviam publicæ utilitas non remaneat.

IDEM.

XXIX. Statuimus, ut juratores omnes singulariter jurent. & quicunque sacramentum vel debitum ante solis occasum persolverit, securus inde sit.

IDEM.

* *an intelligi Ludovici Pii patris sui Capitulare? an ha præcedentes leges ad alium referende sunt, quam ad Lotharium?*

XXX. Quibuscunque per legem propter aliquam contentionem pugna fuerit judicata, præter de infidelitate, cum fustibus & scutis pugnent, sicut in Capitulare † Dominico prius constitutum est.

REX LOTHARIUS.

XXXI. De cartis, quæ à quibusdam personis falsæ appellantur, constituimus: ut si Notarius supervixerit, & testes ipsi veram ipsam cartam & idoneam faciant. & si testes ipsi mortui fuerint, & Notarius supervixerit, cum juratoribus legitimis ipsam cartam veram & idoneam faciat.

IDEM.

XXXII. Ut examen aquæ frigidæ, quæ hactenus faciebant, à Missis omnibus modis interdicatur, ut non alterius fiat.

IDEM.

XXXIII. Sancitum est, ut nullus deinceps quamlibet examinationem crucis facere præsumat; ne Christi passio, quæ glorificata est, cujuslibet temeritate contemptui habeatur.

IDEM.

XXXIV. De cartis etiam, vel quibuscunque scriptionibus, quæ à quibus dam personis falsæ appellantur, statuimus: ut si Notarius supervixerit, & testes, ut idem notarius cum legitimis sacramentalibus suis XII, similiter cum ipsis testibus, qui in eadem carta scripti sunt, ipsam cartam veram & idoneam faciat. Similiter & offensor cartulæ cum XII. sacramentalibus suis, sicut legitime jurate valeat, ipsam cartam veram & idoneam faciat. Interpellator autem primum juret, quod se sciente nihil aliud nisi veritissimam in omnibus & justam rationem exquirat. Si autem Notarius se subtraxerit, & cartam suo nomine scriptam idoneam minime confirmare potuerit, nulla redemptio ei concedatur, sed manum propriam amittat: & offensor ipsius cartulæ, post rerum amissionem, guidrigild suum componat. & si Notarius defuerit, & testes supervixerint, ipse offensor cartulæ cum ipsis testibus, & cum XII. sacramentalibus suis VI. suis propinquis, & septimus sit ipse, & quinq; aliis idoneis, ostensis primum aliis duabus cartulis manu ejusdem Notarii scriptis, etiam suam tertiam cartam per sacramentum veram & idoneam faciat.

IMP. OTHO.

XXXV. Antiquis est constitutum temporibus, ut si chartarum inscriptio, quæ constabat ex prædiis, falsa ab adversario diceretur, sacrosanctis Evangeliis tactis veram esse ab offensore chartæ probabatur, sicque prædium sibi deliberatione judicum vendicabat. Quia extremos detestabilis in Italia improbitas; non imitandus inolevit, ut sub legum specie jurejurando acquireretur, qui Deum non timendo minime formidaret perjurare. Tempore ergo, quo piissimus Rex OTTO Romæ unctionem suscepit Imperii, residente in Synodo summo & universali Papa Domino Joanne XII. anno ab Italiæ proceribus est proclamatum, ut Imperator sanctus mutata lege facinus in dignum destrueret, per quod & si corpore quispiam dives fieret, anima pereunte pauper in æternum maneret. Judicio itaq; Domini Papæ & Piissimi Augusti, expectatum est usq; ad illam synodum, quæ parva post intercapedine habita est Ravennæ. Cumq; ibidem ex eadem re proclamatio repeteretur, ob quorundam Proceres um absentiam, usque ad id tempus est expectatum, quod gloriosissimi OTTONIS Regis, OTTO gloriosissimus filius, & CONRADUS Burgundiæ Rex, Italiam properantes Veronæ colloquium cum cæteris Italiæ Proceribus habuerint. In hoc itaque cum ab omnibus Imperiales aures magnis quæstionibus pulsarentur, ut mutata lege, fraudem hanc tam diram ab Italia tolleret, convenientibus, cæteris consentientibus, legem hujusmodi secundum inferiora promulgavit capitula.

IDEM.

XXXVI. De prædiis si contentio emerserit, & utraque pars sine altera cum cartis seu descriptionib. prædium sibi vendicare voluerit; si ille, qui falsam chartam appellaverit, per pugnam declarare voluerit, ut veritas ita decernatur: sin autem, secundum priora capitula determinetur, edicimus.

IDEM.

XXXVII. De Ecclesiarum rebus, ut per Advocatos fiat, similiter jubemus.

IDEM.

XXXVIII. De investitura prædii si contentio fuit, ut per pugnam decernatur dicimus.

IDEM.

XXXIX. Si quis per se ipsum aut per suum nuncium quicquam alicui deposuerit, & depositum cupiditate victus negaverit, si xx. solid. precium fuerit, ut per pugnam decernatur edicimus.

IDEM.

XL. Si quis dixerit, quod per vim de prædio chartam alicui fecerit, per pugnam decernatur edicimus.

IDEM.

XLI. De furto aut schalcho si ultra sex solid. fuerit, similiter ut per pugnam veritas inveniatur præcipimus.

IDEM.

XLII. Quacunque lege, sive etiam Romana, in omni Regno Italico homo vixerit, hæc omnia, ut in his capitulis, per pugnam decernimus observare & præcipimus: ita tamen, ut si eorum juvenilis aut decrepita ætas seu infirmitas pugnare prohibuerit, liceat ei pro se pugnatorem ponere, & alter similiter faciat.

IDEM.

XLIII. Si servus propter appetitum libertatis, liberum se vocaverit, liceat domino, si sibi melius visum fuerit, propter difficultatem approbationis infidiosæ, aut per se, aut per suum campionem dare, si morbus aut ætas cum pugnare prohibuerit.

IDEM.

XLIV. Ut Ecclesiæ, seu Comites & viduæ, lites suas de his, quæ in supra scriptis capitulis continentur, per consimiles advocatos per pugnam dirimant. Cæteri vero natura liberi, secundum legem pristinam per semetipsos respondeant & determinent.

TIT. LVI.

Qualiter diversarum legum homines res suas diffinire debent.

IMP. CAROLUS.

1. Sicut consuetudo nostra est, ut Longobardus aut Romanus, si evenerit, quod causam inter se

habeant, obſervamus ut Romani ſucceſſiones juxta illorum legem habeant. Similiter & omnes ſcriptiones ſecundum legem ſuam faciant. Et quando jurant, juxta legem ſuam jurent: Et alii ſimiliter. Et quando componunt, juxta legem ipſius, cujus malum fecerint, componant: & Longobardos illos convenit ſimiliter componere. De cæteris vero cauſis communi lege vivamus, quam Dominus * CAROLUS excellentiſſimus Rex Francorum atque Longobardorum in edictum adjunxit.

* Hinc apparet, hanc legem non eſſe Caroli Magni.

IMP. PIPINUS.

II. De diverſis generationibus hominum, quæ in Italia commanent, volumus, ut ubicunque culpa contigerit, unde fayda creſcere poterit, pro ſatisfactione hominis illius, contra quem culpaverit, ſecundum legem ipſius, cui negligentiam commiſerit, emendet. De ſtatu vero ingenuatis, aut de aliis querelis, unuſquiſque homo ſecundum ſuam legem ſemetipſum defendat.

TIT. LVII.

Ut interroget populus Romanus, qua lege vult vivere.

IMP. LOTHARIUS.

I. Volumus, ut cunctus populus Romanus interrogetur, quali lege vult vivere, ut tali lege, quali lege vivere profeſſi ſunt, vivant: illisque denuncietur, ut hoc unuſquiſque, tam Iudices, quam Duces vel reliquus populus ſciat. Quod ſi offenſionem contra eandem legem fecerint, eidem legi, quam profitentur vivere, per diſpenſationem Pontificis ac noſtram ſubjaceant.

TIT. LVIII.

De perjuriis.

REX LUITPRANDUS.

I. Si quis timoris Dei immemor, pro cupiditate terrena, vel propter qualemcunque rem, ſciens perjuraverit: & poſtea: ſic inventum & probatum fuerit, quod perjuraſſet: tunc amittat ipſam rem, unde perjuravit, & habeat eam ipſe, cui contra rationem perjuravit. Inſuper quia in ſe ipſo, quod plus eſt in Deo peccavit, & negavit fidem ſuam, & perjuravit in Domino Deo ſuo, & ſibimet ipſi non pepercit, componat medium guidrigild ſuum ei, cui ipſe perjuravit.

IMP. CAROLUS.

II. De eo qui perjurium fecerit ſe ſciente, & nullam redemptionem habeat, niſi manum perdat & emendare ſtudeat.

IMP. PIPINUS.

III. Si quis perjurium fecerit, nullam redemptionem ei facere liceat, niſi manum perdat. Etſi ille, qui prius illud ſacramentum jurat, de illo perjurio probatus fuerit, & aliquis de his juratoribus dixerit, quod neſciens ſe ibidem perjuraſſet, aut hoc apud judicium Dei approbet locum eſſe, aut ſimiliter manum perdat. De cujus cauſa perjurium fecerit, ſicut lex loci illius, ubi perjurium factum eſt, à longo tempore fuerit, de eorum pretio emendare ſtudeat.

IDEM.

IV. Vt qui ſe perjuraverit, aut infamis erit, poſtquam pœnitentiam acceperit, inculpabilis eſſe videatur.

TIT. LIX.

De his qui cauſam judicatam repetere præſumpſerint.

IMP. CAROLUS.

I. Si quis judicatam cauſam repetere in mallum præſumpſerit, ibique à teſtibus convictus fuerit, aut xv. ſolid. componat; aut xv victus. accipiat à Scabinis qui cauſam ipſius prius judicaverint.

INCIPIT TERTIVS LIBER.

TITULUS I.

De *Epiſcopis & Clericis.*

IMP. CAROLUS.

I. Anno feliciter XI, regnante domino noſtro CAROLO glorioſiſſimo, in menſe Martii, factum eſt capitulare, qualiter in uno congregatum ſynodali concilio Epiſcopis, Abbatibus, Virisq; Illuſtribus, una cum piiſſimo domino noſtro CAROLO, ſecundum voluntatem Dei, Pro cauſis opportunis conſenſerunt decretum. De Metropolitanis: ut eorum ſuffraganei Epiſcopi ſecundum Canones ſubjecti ſint, & ea q; erga illorum miniſteria emendanda cognoſcunt, libenti animo emendent atq; corrigant.

IDEM.

II. De Epiſcopatibus, ubi præſentes Epiſcopi non ſunt ordinati, ſine tarditate ordinentur.

IDEM.

IDEM.

III. De Monasteriis, quæ regularia fuerint, ut secundum regulam vivant: nec non & monasteria puellarum ordinem suum custodiant, & unaquæque Abbatissa in monasterio suo sine intermissione resideat.

IDEM.

IV. Ut Episcopi de presbyteris & clericis infra illorum parrochiam, & de suo ministerio potestatem habeant secundum Canones facere.

IDEM.

V. De tolloneis, quæ jam ante forbannita fuere, ut nemo tollat, nisi ubi antiquo tempore consuetudo fuerit.

IDEM.

VI. Ut a infantilis ætatis puellæ non velentur, antequam eligere sciant quid velint, salva Canonica autoritate. a al. infantulis.

IDEM.

VII. Ut nulli cogantur ad pontem ire ad fluvium transeundum propter tolonei causam, quando illi in alio loco compendiosius illum fluvium transire possunt. Similiter ut in campo plano, ubi nec pons, nec transjectus est, ibi omnino ut tolonеum non exigatur præcipimus.

IDEM.

VIII. Volumus atque jubemus, ut Episcopi suum in omnibus juxta vires suas peragere studeant ministerium in parrochiis eorum; & ut prædicationes & confirmationes ibidem expleant; & ut de monasteriis, quæ infra eorum parrochiam sunt, vigilanter curent, ut Canonici secundum Canones, & Regulares secundum regulam vivant: & ubi aliter, quam ordo popolcit, invenerint, emendare studeant; & si emendare nequiverint, nobis nuncietur.

IDEM.

IX. Ut Episcopi, Abbates, per xenodochia & monasteria eorum hospitale, ubi antiquitus fuerit, faciant, & summopere curent, ut nullatenus prætermittatur.

IDEM.

X. Ut nullus presbyter cartam scribat, neque conductor existat suis senioribus.

IDEM.

XI. Volumus primo, ut neque Abbates, neque presbyteri, neque diaconi, aut subdiaconi, neque quislibet de clero, de personis suis ad publica vel ad seculariajudicia trahantur vel distringantur: sed a suis Episcopis judicati, justitiam faciant. Si autem de possessionibus sive Ecclesiasticis, sive suis propriis, super eos clamor ad Judicem venerit, mittat Judex clamantem cum misso suo ad Episcopum, ut faciat ei per advocatum justitiam facere. Si vero aliqua inter eos fuerit orta intentio, quam per se pacificare non velint, aut non possint; tunc per advocatum Episcopi, qualem jusserit, ipsa causa ante Comitem veniat, vel Judicem: & ibi secundum legem finiatur, antepositо, sicut dictum est, de persona clericorum.

IDEM.

XII. Ut liber homo, qui in monasterio regulari comam deposuerit, & res suas ibi legaverit, promissionem factam secundum regulam firmiter teneat.

IDEM.

XIII. De liberis hominibus qui ad servicium Dei se tradere volunt, ut prius hoc faciant, quam à nobis licentiam postulent. Hoc autem ideo dicimus, quia audivimus aliquos ex illis non tantum causa devotionis, quam pro exercitu seu pro alia functione Regali fugienda: quosdam vero cupiditatis causa, ab his qui res illorum concupiscunt, circumventos audivimus, & hoc ideo fieri prohibemus.

IDEM

XIV. Ut loca, quæ semel Deo dicata sunt, ut monasteria sint, in perpetuum non possint ultra fieri secularia habitacula.

IDEM.

XV. Ut si clerici aliquod negotium inter se habuerint, à suo Episcopo judicentur; nam non à secularibus, nec monachus, nec clericus, in secularia negotia transeant.

IDEM.

XVI. Ut servum alterius nemo sollicitet ad clericalem vel monachalem ascendere ordinem, sine licentia domini lui & voluntate.

IMP. PIPINUS.

XVII. Et Ecclesiæ baptismales seu oracula, quæ eas à longo tempore restaurarint, moxiterum restaurent: & tam curtis regia, quam Longobardi, tales ibi habeant dominationes, quales illorum à longo tempore fuerit consuetudo.

IDEM.

XVIII. Ut Pontifex unusquisque ordinet & disponat Ecclesiam suam Canonico ordine, & sacerdotes suos vel clericos distringat canonico ordine vivere. Et si quis Pontifex clericos suos canonico ordine distringere noluerit, anathema sit. Et si illi ad secularem pertransierint habitum, quod canones clericos prohibent facere; Comes, qui in loco ordinatus fuerit, distringat illos in omnibus ad suam partem, sicut alios exercitales.

IDEM.

XIX. Monasteria virorum & puellarum tanquam in mundio palatii esse noscuntur, vel in mundio Episcopi sui, seu reliquorum hominum; & distringat unusquisque, in cujus mundio sunt, ut regulariter vivant.

IDEM.

XX. Similiter in xenodochiis cujuslibet fratres in omnibus pascantur juxta possibilitatem illorum locorum.

IDEM.

XXI. Ut de restauratione Ecclesiæ, vel pontis faciendo, aut strata restauranda, omnia generaliter faciant homines, sicut antiqua fuit consuetudo: & non anteponatur immunitas, nec pro hoc ulla occasio perveniat.

IDEM.

XXII. Instituimus ut, sicut Dominus CAROLUS Rex commendavit, de illis monachis, qui de Francia vel de aliis venerint. & eorum monasteria dimiserint, ut præsentialiter in illis partibus revertantur ad monasteria, & nemo ex vobis ipsos secum detineat.

IDEM.

XXIII. De presbyteris, qui de aliis locis vel provinciis veniunt, ut nullus eos debeat recipere, sine dimissoria Episcopi, de cujus parrochia est.

IDEM.

XXIV. Placuit nobis de Ecclesiis Baptismalibus, ut in omnibus ita debeant esse ordinatæ & conservatæ, ut Dominus CAROLUS Rex commendavit, & in suo capitulari continetur.

IDEM.

XXV. Et hoc constituimus, ut immunitates, quæ sunt jam ab edicto paterno confirmatæ, ut in omnibus conservatæ debeant permanere, sicut jussio ipsius Domini CAROLI Regis est.

IDEM.

XXVI. Consideravimus; ut viæ, portus & pontes infra Regnum nostrum in omnibus pleniter emendari debeant, per illa loca, ubi jam antea fuit consuetudo. Nam per alia loca super ipsa flumina nullatenus pontes esse debeant.

IDEM.

XXVII. Stet nobis, ut Missos nostros unum monachum & alium capellanum direxissemus infra Regnum nostrum providendo & inquirendo per monasteria virorum ac puellarum, quæ sub sancta Regula vivere debent, quomodo est eorum habitatio, aut qualiter est vita eorum, aut conversatio eorum, & quomodo quodque monasterium debeat habere unde vivere possit.

IDEM.

XXVIII. Ut quicunque xenodochia habent, si ita pauperes pascere voluerint, & consilium facere quomodo abantea fuerint, habeant ipsa xenodochia & regant ordinabiliter. & si hoc facere noluerint, ipsa dimittant: & per talem hominem in antea sint gubernata cum consilio Episcopi, qualiter Deo & nobis exinde placet.

IDEM.

XXIX. De Ecclesiis Baptismalibus: ut nullatenus laïci homines eas tenere debeant, sed per sacerdotes fiant, sicut ordo est, gubernare: neque illi pagenses negligentiam habeant de hoc, quod ibidem facere debent, & illi sacerdotes eas sic regant quomodo ordo canonicus expoſcit.

IDEM.

XXX. De monasteriis & xenodochiis, quæ per diversos Comitatus esse videntur, & Regalia sunt; ut quicunque ea habere voluerint, per beneficium Domini Regis habeant.

IMP. LODOVICUS.

XXXI. Ut ubi tempore avi nostri PIPINI consuetudo fuit toloneum dare, & ibi in futuro detur, nam ubi noviter inceptum est toloneum, ulterius non exigatur. Et ubi necesse non est fluvium aliquem transmeare ad pontem, vel ubi navis per mediam aquam aut sub pontem pergatur, & ad ripam non appropinquaverit, neque ibidem aliquid emptum vel venditum fuerit, ulterius toloneum non detur. & nemo cogatur per pontem ire, ubi juxta pontem aquam transire poteſt. Et qui ulteriusin talibus locis, vel de his qui ad palatium, sive in hostem pergunt, toloneum exactaverit, cum sua lege ipsum toloneum reddat, & insuper bannum, id est, LX. solid. componat.

IDEM.

XXXII. Volumus, ut Missi nostri per singulas civitates una cum Episcopo & Comite, vel misso nostro, vel nostris hominibus ibidem commanentibus eligant, quorum cura sit pontes per diversa loca emendare: & eos, qui emendare debent, ex nostra jussione ammoneantur, & unusquisque juxta possibilitatem suam emendare studeat.

IDEM.

XXXIII. De injustis occasionibus & consuetudinibus noviter institutis, sicut tributa sunt & tolonea in media via, ubi nec aqua, nec palus, nec pons, nec aliquid tale fuerit, unde juxta census exigi possit, vel ubi naves subtus pontes transire solent, sive in medio flumine, ubi nullum est obstaculum, ut auferatur, antequam ad nostram notitiam deferatur, præcipimus.

IDEM.

XXXIV. De honore Ecclesiarum, ut per omnia eis exhibeatur, sicut nuper à nobis, cum consensu omnium fidelium nostrorum, constitutum est.

IDEM.

IDEM.

XXXV. Ut pontes publici, qui per bannum fieri solebant, anno præsenti in omni loco restaurentur.

IDEM.

XXXVI. De observatione præceptorum nostrorum in immunitate, si ita observetur, sicut à* nobis & ab * antecessoribus nostris constitutum est.

* an sic lo-let legendum, Ludovicus Pius? & non potius Ludovicus meminit.

IDEM.

XXXVII. Ut omnis ordo Ecclesiarum lege Romana vivat, & sic inquirantur & defendantur res Ecclesiasticæ, ut emphyteoseos contractus, unde Ecclesia damnum patitur, non observentur, sed secundum legem Romanam destruantur, & pœna non solvatur.

IDEM.

XXXVIII. Ut Missi nostri, qui vel Episcopi vel Abbates sunt, aut Comites, usque quo infra suam judiciariam vel terminum fuerint, nihil de aliorum conjectu accipiant: Postquam vero inde longe recesserint, tunc accipiant secundum quod in sua tractoria continetur. Vassi vero nostri & ministri alii, qui missi sunt, ubicunque venerint, inde conjectum accipiant.

IMP. LOTHARIUS.

XXXIX. Volumus de excubiis publicis, quæ ad utilitatem Regni pertinent, præcepta immunitatum impedimentum non præstent sed adjutorium.

IDEM.

XL. Volumus, ut omnibus modis immunitates progenitorum nostrorum præcepto, seu nostro, pleniter juste emendetur.

IDEM.

XLI. Præcipimus, ut singulæ plebes secundum antiquam consuetudinem sint restauratæ quod si nihil ejusdem Ecclesiæ eas restaurare noluerint, à ministris reipub. distringantur, ut volentes nolentesque nostram observent præceptionem.

IDEM.

XLII. De pontibus vero vel reliquis his similibus operibus, quæ per antiquam consuetudinem Ecclesiastici homines per justitiam cum reliquo populo facere debent, hoc præcipimus: ut Ecclesiæ rectores eos interpellent, & eis res secundum quod possibile fuerit portio deputetur, & per alium exactorem Ecclesiastici homines ad opera non compellantur. Si vero opus suum constituto die adimpletum non habuerint, liceat Comiti pro pœna propositi operibus eos pignorare juxta extimationem vel qualitatem imperfecti operis, quousque perficiatur. Comes autem si neglexerit, à Rege vel à Misso Regis judicaturus est.

IDEM.

XLIII. De his qui sine consensu Episcopi Presbyteros in Ecclesiis constituunt, vel de Ecclesiis suis ejiciunt, & ab Episcopo vel à quolibet Misso dominico ammoniti obedire noluerint, ut bannum nostrum guadiare cogantur, & per fidejussiones ad palatium venire jubeantur; & tunc nos decernemus, utrum nobis placuerit, aut illud bannum persolvat, aut aliam arisedam substineat.

IDEM.

XLIV. De Ecclesiis quæ inter coheredes divisæ sunt, considerandum est, quatenus si secundum nostram providentiam & ammonitiones Episcopi ipsi coheredes eas tenere voluerint, & honores faciant: si autem hoc contradixerint, ut in Episcopi potestate maneat, utrum eas ita custodire permittat, aut reliquas exinde auferat: & ubi ad nostrum beneficium Ecclesiæ pertinentes ita divisæ fuerint inventæ, & ut deferibantur & nobis enuncientur.

IDEM.

XLV. De Ecclesiis destructis, ut Episcopi nostrique Missi inquisitionem faciant, utrum per negligentiam aut per impossibilitatem destructæ sint: & ubi per negligentiam inventæ fuerint, quod destructæ sint, Episcopi autoritate emendare cogantur, qui eas debuerunt restaurare. Si vero per impossibilitatem contigerit, ita ut plures sint quam necesse sit, aut majoris magnitudinis quam ex rebus ad eas pertinentibus restaurare possint, Episcopus modum inveniat, qualiter emendari congrue & consistere possint.

IDEM.

XLVI. De Ecclesiis emendandis volumus, ut ita observetur, ut in capitulari nostro continetur, quod ad Olonam fecimus. Et si in uno loco plures Ecclesiæ sint, quam necesse sit, destruantur. Quia si forte in alio loco Ecclesia sit constructa, quæ tamen necessaria sit, & nihil dotis habuerit, volumus, ut secundum jussionem Domini ac Genitoris nostri, unus mansus cum XII. vicariis de terra arabili ibi detur, & mancipia duo à liberis hominibus, qui in eadem Ecclesia officium audire debent, ut sacerdotes ibi possint esse, & divinus cultus fieri, quod si hoc populus facere noluerit, destruatur.

IDEM.

XLVII. Statutum est, ut si quis liber homo per consensum Episcopi Ecclesiam in sua construxerit proprietate, fontesque ab Episcopo in ea fuerint consecrati, ideo non perdat suam proprietatem: sed si Episcopus voluerit, officium sacri baptismatis in suam Ecclesiam transferat, ipsa vero Ecclesia, quæ transfertur, in constructuris maneat jure.

TIT. II.

Quando liceat alterius Clericum accipere, vel non.

IMP. HENRICUS.

I. Ut nulli Episcopo liceat alterius Clericum recipere, aut ordinare in aliquo gradu, sine dimissoria Episcopi sui, de parrochia est.

IMP. PIPINUS.

II. Ut nemo alterius Clericum sine commendatitiis aut dimissoriis literis recipere præsumat.

IDEM.

III. De presbyteris, qui de alia provincia venerint, nullus eas debeat recipere, sine dimissoria Episcopi sui.

TIT. III.

De decimis.

IMP. CAROLUS.

I. De decimis, ut unusquisque homo suam decimam donet, atque per jussionem Episcopi sui dispensetur.

IDEM.

II. Præcipimus Comitibus & omnibus fidelibus nostris, ut quicunque de rebus Ecclesiasticis habent pleniter, secundum morem regionis, nonas & decimas ad ipsas Ecclesias donet, absque ulla diminutione aut dilatione, in quantum melius possunt & juxta possibilitatem eorum. & quando necessitas exegerit, detur opera ad ipsas Ecclesias restaurandas, & adjutorium faciant.

IDEM.

III. Ut nos Episcopi, qui in omnibus nonas & decimas accipitis, in vestra providentia sit, quatenus Ecclesiæ & capellæ, quæ in una parochia sunt, emendentur; & luminaria eis præparata, & ut in eis presbyteri vivere possint.

IDEM.

IV. Ut decimæ populi in quatuor partes dividantur: prima pars Episcopis detur, alia clericis, tertia pauperibus, quarta in fabrica ipsius Ecclesiæ.

IDEM.

V. De nonis & decimis considerandum est, ut de frugibus terræ, & animalium incremine persolvantur. De opere vero & restauratione Ecclesiarum Comites, & Episcopi seu Abbates, uno cum Misso nostro, quem sibi ad hoc elegerint, consideratione faciant, ut unusquisquis eorum tantum inde accipiat ad operandum & restaurandum, quantum de rebus Ecclesiarum habere dignoscitur. Similiter & Vassi nostri, aut in commune tantum operis accipiant, quantum de rebus Ecclesiarum habere videntur: vel unusquisque pro se, juxta qualitatem, quam ipse tenet. Aut si inter eos convenerit, ut pro opere faciendo argentum donet, juxta æstimationem operis in argento persolvat; cum quo precio Rector Ecclesiæ ad prædictam restaurationem operis conducere valeat, & materiam possit emere. Et quinonas & decimas neglexerit dare, primum quidem de illis secundum legem suam restituat; & insuper bannum nostrum persolvat, ut ita castigatus caveat, ne sæpius iterando beneficium amittat.

IMP. LODOVICUS.

VI. De decimis, ut dentur, & dare nolentibus, secundum quod anno præterito denunciatum est, à ministris reipub. exigantur, & eligantur quatuor vel octo homines optimi, prout, si opus fuerit, de singulis plebibus juxta qualitatem uniuscujusque plebis, ut ipsi inter sacerdotes & plebem testes existant, ubi datæ vel non datæ fuerint. Hoc autem ideo tantos testes esse diximus, ne ibi juramentum aliquod faciendum necessitas contingat. Non tamen omnino tantos testes mittendos esse diximus, ut ipsos semper omnes in dandis decimis præsentes esse pariter necesse sit; sed dum pluribus committitur, minus graventur, duos autem testes, si audierint, sufficere credimus, negligentes autem à presbyteris Ecclesiarum ammoneantur, usque ad tertiam vicem, ut ipsi decimam dent. Quod si contempserint, ab introitu Ecclesiæ prohibeantur, & si hoc minime emendaverunt, à ministris reipub. districti, singuli per caput VI. solid. Ecclesiæ componant, & insuper dare decimam cogantur. Nam si iterum contemptores existant, & per publicam autoritatem domus vel casæ eorum giffentur, quousque pro ipsa decima, sicut supra dictum est, satisfaciant. Quia si denuo rebelles vel contradictores esse voluerint, & super ipsam guiffam, sua auctoritate; tunc à ministris Regis in custodiam mittantur, usque dum ad judicium postmodum perducantur, & ibi secundum legem ad Comitem vel ad partem publicam componant. Reliqua vero decima, ut supra dictum est, & VI. solid. ad Ecclesiam satisfaciant.

IDEM.

VII. Quicunque decimam abstrahit de Ecclesia, ad quam per justitiam dare debet, & eam præsumptive vel propter munera, aut amicitiam, aut quamlibet aliam occasionem, ad aliam Ecclesiam deferit; vel per Comitem, vel per Missum nostrum distringatur, ut ejusdem decimæ quantitatem, cum sua lege, restituat.

IDEM.

VIII. De decimis, quas populus dare non vult, nisi quolibet modo ab eo redimatur, ab Epis-

copis

pis prohibendum est ne fiat: & si quis contemptor inventus fuerit, ad nostram præsentiam venire compellatur. Cæteri vero distringantur, ut inviti Ecclesiæ restituant, quæ voluntarie dare neglexerint.

IDEM.

IX. Ut terminum habeat unaquæque Ecclesia, de quibus villis decimam accipiat.

IDEM.

X. Dictum est nobis, quod in quibusdam locis Episcopi & Comites ab incestuosis, & ab his qui decimas non dant, guadias accipiant: & à presbyteris pro quibusdam negligentibus, & inter se pecunias dividant; quod penitus abolendum esse decernimus, ne forte avaritiæ locus detur: & constituimus, ut incestuosi juxta Canonicam sententiam, pœnitentia multentur. Qui vero decimam post tertiam ammonitionem & prædicationem sacerdotum dare neglexerint, excommunicentur: juramento vero eum constringi nolumus, propter periculum perjurii.

TIT. IV.

De iterantibus.

REX ROTHARIS.

I. Nulli sit licentia iterantibus herbam negare: excepto prato intacto, tempore suo aut messe: Post fœnum autem aut fruges collectas, ter tantum vendicet is, cujus terra est, quantum cum clausura sua potest defendere. Nam si quis caballos iter facientes, de stipula aut de ipsis pascuis, ubi alia peculia pascuntur, movere præsumpserit, in octogild caballos componat, pro eo quod ipsos de arvo campo, quod est fossinegar, movere præsumpserit.

IMP. CAROLUS.

II. De truste facienda, ut nemo præsumat ad nos venienti mansionem vetare, & quæ necessaria sunt, sicut vicino suo, ei vendat.

IMP. CAROLUS.

III. De iterantibus, qui ad palatium aut alicubi pergunt, ut eos cum collecta manu nemo ausus sit assilire; & nemo herbam alterius tempore defensionis tollere præsumat, nisi vel in hostem pergendo, aut Missus noster sit: qui aliter facere præsumpserit, emendet.

IDEM.

IV. Ut Missis nostris discurrentibus, vel cæteris propter utilitatem nostram iter agentibus nullus mansionem contradicere præsumat.

IMP. PIPINUS.

V. Episcopis, & Abbatibus, & Comitibus seu Vassis dominicis, vel reliquis hominibus, qui ad palatium veniunt, vel inde vadunt, vel ubicunque pergunt per regnum nostrum, ut non præsumant ipsi, aut homines illorum, alicui homini suam causam tollere, vel suum laboratum, in tantum si non comparaverit, aut ipse homo, qui sua spontanea voluntate eis non dederit, & quando hibernium tempus fuerit, nullus audeat mansionem vetare ad ipsos iterantes, in tantum quod ipsi iterantes injuste nullas causas tollant. Et si aliquis hoc præsumpserit facere, tam seniores quam vasalli nostri, & ipse homo ibidem ad eos proclamaverit: tunc volumus, ut præsentialiter ipse, qui hoc fecerit, hoc, quod ad ipsum hominem tulerit, secundum suam legem emendet. Et si evenerit, quod ei ipsa causa ibidem secundum legem præsentialiter emendata non fuerit, & ad palatium exinde proclamatio evenerit: tunc volumus, ut ipse, qui hoc malum fecerit, contra ipsum hominem, qui proclamaverit, secundum suam legem emendet, & insuper ad palatium nostrum componat, ex eo quod bannum nostrum frangere aulus fuerit.

TIT. V.

De cerariis & cartulariis.

IMP. CAROLUS.

I. De cerariis, & tabulariis, & cartulariis, sicut à longo tempore fuit consuetudo, ita observetur.

IDEM.

II. Stetit nobis de omnibus libellariis, ut nullus Comes nec juniores eorum amplius distringant, nec inquietent, nisi sicut à longo tempore fuit consuetudo.

IDEM.

III. Sicut consuetudo fuit sigillos & epistolas comprehendere, & viam vel portus custodire, ita nunc sit factum.

TIT. VI.

De heribanno.

IMP. CAROLUS.

I. De heribanno volumus, ut Missi hoc à modo exactare fideliter debeant, absque ullarum personarum gratia vel blanditia, sine terrore, secundum nostram jussionem; id est, de homine habente VI. libras in auro & argento, bruneis, ferramento, pannis, caballis, bobus, vaccis, aut peculiis; ita ut uxores aut infanses non fiant exspoliati pro hac re de eorum vestimentis: sed recipiatur legiti-

legitimum haribannum, vel libræ tres. Qui vero non habuerit amplius in suprascripto precio, libræ nisi libras III. solid. XXX. ab eo exigantur, id est, libra una & dimidia. Qui autem non habuerit nisi libras II. solid. X. si vero unam libram, solidi V. Ita ut iterum se valeat præparare ad Servitium Regis, & in nostram utilitatem. Et nostri Missi caveant, & diligenter inquirant, ne per aliquod malum ingenium subtrahant; nam justitiam alteri tradendo aut commendando.

TIT. VII.

Si quis literas nostras despexerit.

IMP. LODOVICUS.

I. Si quis literas nostras despexerit, id est, tractorias, quas propter Missos nostros recipiendos dirigimus; aut honorem, quem habet, amittat; aut in eo loco, ubi prædictos nostros recipere debuerit, tam diu re sideat, & de suis rebus Legatos illue venientes suscipiat, quousque animum nostrum satisfactum habeat. Qui vero epistolam nostram quocunque modo despexerit, justo nostro vento ad palatium, & juxta nostram voluntatem, congruam suæ stultitiæ castigationem accipiat. Et si liber homo, aut ministerialis Comitis hoc fecerit, honorem qualemcunque habuerit, sive beneficium amittat. Et si servus fuerit, nudus ad palatium vapuletur, & capilli ejus tondeantur.

IDEM.

II. De nova & falsa moneta diximus, & de despectu nostrarum literarum, & de latronibus cohercendis & puniendis, & faydis pagandis, & de homicidiis prohibendis, & de perjuriis, & fallis testibus compescendis; de his omnibus, & cæteris his similibus constituimus, ut omnibus annuncietur, & in futuro observetur. Hoc quoque volumus, ut Missi nostri observent, & quicquid de his causis vel simul vel singulariter emendare potuerint, emendent: & ea, quæ emendaverint, diligenter scriptus notent; & hoc sic peragere curent, quatenus juste reprehendi à quoquam nullatenus possint; & quæ facere debent aut quæ possint nullatenus prætermittant. Imo caveant ne, quod absit, aut gratia alicujus, aut honoris, aut timoris sive odii causa illud, quod agere debent, omittant; & summopere studeant in hoc, quod per se facere non possunt, nobis notum faciant, & in omnibus providant, ut per singula capitula, tam verbis quam scriptis, de omnibus, quæ illinc peregerint, nobis rationem reddere valeant.

TIT. VIII.

De beneficiis & terris tributariis.

IMP. CAROLUS.

I. Quicunque suum beneficium occasione proprii desertum habuerit, & infra annum, postquam Comes vel Missus noster notum factum habuerit, illud emendatum non habuerit, ipsum beneficium amittat.

IDEM.

II. Quicunque tributariam terram, unde tributum ad partem nostram exire solebat, vel ad Ecclesiam, cuilibet alteri tradiderit: is, qui eam suscepit, tributum, quod exinde solebat exire, omnibus modis ad partem nostram tribuat: nisi forte talem firmitatem habeat de parte nostra, per quam ipse tributum sibi per donationem possit ostendere.

IDEM.

III. Si quis terram censualem habuerit, quam antecessores sui ad aliquam Ecclesiam, vel ad villam nostram dederint; nullatenus eam secundum legem tenere potest: nisi ille voluerit, in cujus voluntate illa Ecclesia vel villa pertinet. Nisi forte filius ejus aut nepos ejus sit, qui eam tradiderit, & ei eadem terra nostra ad tenendum placia sit. Sed in hac re considerandum est, utrum ille, qui eam tenet, & dives aut pauper sit; & utrum aliud beneficium habeat, vel etiam proprium: & qui eorum neutrum habuerit, erga hunc misericorditer agendum est. ne ex toto expolietur, ut in egestate incidat; & ut talem censum inde persolvat, qualis fuerit constitutus ei, vel portionem inde aliquam in beneficio accipiat, unde se substinere valeat.

* Fit nomine ut comis-Aurea est) Tertius, Lotharii Tertii successor.

IMP. CONRADUS. *

IV. In nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis CONRADUS Dei gratia Romanorum Imperator Augustus, sanctæ Dei Ecclesiæ fidelibus nostrisque, tam præsentibus quam futuris, notum esse volumus: quod ad reconciliandos animos seniorum & militum, ut adinvicem semper inveniantur concordes, & ut fideliter & perseveranter nobis & suis senioribus serviant. devote præcipimus & firmiter statuimus, ut nullus miles Episcoporum, Abbatum & Abbatissarum, Marchionum vel Comitum, vel omnium qui beneficium de nostris publicis beneficiis aut de Ecclesiarum prædiis omnino tenent, aut tenuerint, aut hactenus injuste perdiderint, tam de nostris majoribus valassoribus, quam eorum militibus, sine certa & convicta culpa suum beneficium non perdat, nisi secundum consuetudinem antecessorum nostrorum, & judicium parium suorum. Si contentio emerserit inter seniorem & militem, quamvis pares adjudicaverint illum suo beneficio carere debere; & ille dixerit, hoc injuste vel odio factum esse, ipse suum beneficium teneat, donec senior, & ille quem culpat, cum paribus ad nostram præsentiam veniant, & ibi causa juste determinetur. Si autem pares ejus culpatis in judicio seniorum defecerint, ille qui culpatur suum beneficium teneat, donec ipse cum suo seniore & paribus ad nostram præsentiam veniat. Senior vero & miles ejus qui culpatur, qui ad nos

venire

venire debuerit, sex ebdomadas, antequam iter accipiat, ei, cum quo litigaverint, innotescant. Hoc autem de maioribus valvassoribus observetur, de minoribus vero in Regno nostro, aut ante Missum nostrum eorum causa finietur. Præcipimus etiam, ut cum aliquis eius miles sive de maioribus sive de minoribus de hoc seculo migraverit, filios eius beneficium tenere: si vero filios non habuerit, & habiaticum ex malo lo reliquerit, parti modo beneficium habeat, servato usu maiorum valvassorum in dandis equis & armis, suis senioribus. Si vero forte habiaticum ex filio non reliquerit, sed fratrem legitimum ex parte patris reliquerit, sed seniorem offensum habuerit, & sibi vult satisfacere, & miles eius esse, beneficium quod patris sui fuit habeat, servato usu maiorum valvassorum in dandis equis & armis, suis senioribus, insuper & omnibus modis prohibemus, ut nullus senior beneficiorum suorum militum per cambium aut per precariam aut per libellum sine eorum assensu facere præsumat. Illa vero, quæ tenent proprietario iure, aut per præceptum, sive per rectum libellum, sive per precariam, nemo eum iniuste devestire audeat. a Frodum vero de castellis, quod nostri antecessores habuerunt, nullo modo exigimus. Si quis autem hanc iussionem nostram infregerit, auri optimi libras c. componat, medium cameræ nostræ, & medium cui damnum illatum fuerit.

a *Leg. Fodrum.*

TIT. IX.

De his qui se in potestate alterius subiecerint, vel res per fraudem alienaverint, vel divisionem distulerint facere.

IMP. PIPINUS.

I. Statuit nobis de illis hominibus liberis Longobardis, ut licentiam habeant se commodandi ubi voluerint, sicut antea in tempore Longobardorum consuetudo fuit, in tantum ut suo Comiti faciant rationabiliter, quod debent.

IDEM.

I. De illis hominibus, qui res suas alienaverunt, ubicunque super eas resident, restringat eos Comes per excubias publicas, sicut lex continet.

IDEM.

III. Placuit nobis, ut liberi homines, qui non propter paupertatem, sed ob vitandam reipub. utilitatem, fraudulenter ac ingeniose res suas Ecclesiis delegant, denuo sub censu utendas recipiunt, ut quosque res ipsas possident, & hostes & reliquas publicas functiones faciant. Quod si iussa facere neglexerint, licentiam eos distringendi Comitibus permittimus per ipsas res, non resistente immunitate aut statu & utilitas Regni huiusmodi adinventionibus non infirmetur.

IDEM.

IV. Volumus, ut simul in laicali ordine hæc ferveturmensura; videlicet, ut si quis alterius proprietatem (qui hostem facere possit) emerit, aut quovis modo ad eum pervenerit, eique ad utendum eat dimiserit: & si negligenter de hoste fuerit, per ipsas res à Comite distringatur, ut quoquo modo publica utilitas non minoretur.

IDEM.

V. Videtur nobis, ut quicunque liber homo ingeniose in servitium alicuius se tradiderit, is cuius recipit, hoc, quod ille, qui se in servitium tradidit, in publico per antiquam consuetudinem facere debuit, adimpleat.

IDEM.

VI. De his personis, qui suas res omnino alienam personam delegant, ut ad placitum venire non compellantur, ut mala, quæ facta habent, non emendent. Quod si apparuerit omnino delegasse, iustitiam faciat; volumus, ut ipsæ res in bannum mittantur, quo usque ille, qui eas habet, auctorem in placitum adducat, & sic de malefactore iustitiam faciat.

IDEM.

VII. Præcipimus, ut de his fratribus, qui in nostris & Romanæ finibus in paternam vel maternam succedunt hereditatem; si contigerit, quod unus Ecclesiasticæ militiæ sit mancipatus: & idcirco is, qui secundum militare debuerat, ut se ad defensionem Regni subtrahat, in nostris finibus partem substantiæ in portionem suscipere dissimulaverit, idcirco ut neque à Comite distringi valeat. Ubicunque enim suus Comes eum invenerit, licentiam distringendi ei concedimus: ita ut primum fideiussorem, donec ad placitum veniat, & bannum nostrum persolvat. Si vero fideiussorem non invenerit, tamdiu per Comitem sub custodia teneatur, quousque fideiussorem inveniat, & bannum nostrum persolvat.

IDEM.

VIII. De liberis vero hominibus, qui in alienam potestatem mobile suum transfertur, ut causatores eorum pignorare eos non possint: placet nobis, ut eorum res infiscentur, quousque venientes ad audiendam iustitiam faciant. Si vero venire contempserint, secundum capitulare domini ac genitoris nostri, de rebus eorum agatur. Nam & de rebus eorum habita æstimatione, damnum quæsitori sarciatur. Qui vero illud mobile recepit, si hoc per sacramentum probare non potuerit, quod propter iustitiam alterius differendam illud mobile non recepisset, bannum nostrum persolvat. De fratribus namque, qui simul in paterna seu materna hereditate vivunt communiter, substantiam eorum dividere occasione, ut unus eorum tantum in hostem vadat, volumus; ut si solus est, vadat: si vero duo, similiter: si vero tres fuerint, unus remaneat. Si

ultra

ultra tres numerus creverit, unus semper propter domesticam curam atque rerum commutationem re-colentiam remaneat. Si vero inter eos aliqua fuerit orta contentio, quis eorum expeditionem ire debeat, tunc prohibemus, ut nemo eorum remaneat. In ætate quoque illorum lex propria servetur, & in nepotibus hæc conditio remaneat similiter.

TIT. X.

Quando liceat rectoribus Ecclesiarum acta antecessorum suorum rescindere.

REX ASTULPHUS.

I. Si quis Longobardus cum Pontificibus, Abbatibus, vel Custodibus Ecclesiarum seu Xenodochiorum Præpositis, de quibuscunque rebus convenientiam fecerit, & pœnam inter se præparaverit obligaverit; & heredes & successores suos obligaverit, & idonei homines interfuerint, non postea ab eorum successoribus removeri; sicut nec removetur ab eodem Longobardo, exceptis pœnam obligatam componere voluerit. Si vero commutationem fecerint de calis, terris, vel aliis rebus, & interfuerit Missus Regis vel Pontificis seu Judicis, aut tales homines tres, quorum fides antiqua, & res ejus meliorata apparuerit; tunc quando ipsa commutatio facta fuerit, quam pars religiosi loci susceperit, nullo tempore postea ab eorum successoribus removeantur; sed semper commutatio ipsa firma permaneat: Et si removere voluerit, pœnam inter se obligatam componat.

IMP. LOTHARIUS.

II. De precariis quoque, quæ à Rectoribus Ecclesiarum irrationabiliter fiebant, & se noti successores pœna gravi obligabant, ut facta ejus nequirent dissolvere, præcipimus: ut nemo successorum antecessoris sui pœna statuta sit obligatus: sed suæ providentiæ concessum, ut si antecessor ejus res Ecclesiæ irrationabiliter distribuerit, ab eo eidem Ecclesiæ ad jus tenendum revocetur.

IDEM.

III. Ut ubicunque commutationes, tam tempore nostro, quam genitoris nostri, illegitimæ & irrationabiles, atque inutiles in Ecclesiis Dei factæ sunt, dissolvantur; & recipiat unusquisque quod dedit. Vbi vero mortua manus interjacet, aut alia quælibet causa, quæ rationabilis esse videtur, inventa fuerit, diligenter perscribatur, & ad nostram notitiam perferatur.

IDEM.

IV. Si quis Episcopus aut propinquitatis affectu, aut muneris ambitione, aut causa amicitiæ Xenodochia aut monasteria, vel baptismales Ecclesias, sive Ecclesiæ pertinentes cuilibet per emphyteoseos contractus dederit, se suosque successores pœna multandos conscripserit; potestatem habeat mutandi Rectoribus Ecclesiarum, absque pœnæ conscriptæ solutione, concedimus.

TIT. XI.

De Pontificibus.

Dominus LOTHARIVS affixit ad limen beati Petri Apostoli juxta civitatem Romanam, tempore beati Eugenii Papæ, de Pontificibus hæc capitula.

I. Constitutum habemus, ut omnes, qui sub speciali defensione nostra seu domini Apostoli fuerunt susceptæ, impetrata inviolabiliter justa utantur defensione, quod si quis in quocunque tempore hoc violare præsumpserit, sciat se periculum vitæ suæ esse incursurum. Nam & hoc decernimus, ut domino Apostolico in omnibus observent obedientiam, seu Judicibus ac ducibus suis, ad instantiam faciendam.

IDEM.

II. Volumus, ut deprædationes, quæ hactenus fieri solebant, ne fiant, neque vivente, neque defuncto Pontifice. Si quis vero hoc ulterius fecerit, sciat se legali sententia esse damnandum. quæ autem retroactæ factæ sunt, placet nobis, ut per districtionem nostram legaliter fiant emendatæ.

IDEM.

III. Volumus, ut in electione Pontificis nullus præsumat venire, neque liber, neque servus, qui aliquod impedimentum faciat, illis exceptis solummodo Romanis, quibus antiquitus fuit consuetudo concessa per constitutionem sanctorum patrum eligendi Pontificem. Et si quis contra hanc jussionem facere præsumpserit, in exilio tradatur.

IDEM.

IV. Novissime admoneatur homo, ut omnis, sicut Dei gratiam & nostram habere desiderat, ita præstet obedientiam & reverentiam huic Pontifici.

TIT. XII.

Ne liberi homines opprimantur.

IMP. CAROLUS.

I. Audivimus etiam, quod juniores Comitum vel aliqui ministri reipub. sive etiam nonnulli fortiores Vassi Comitum, aliquas redhibitiones vel collectiones quidam per passum, quidam sine pasto, quasi deprecando populo exigere solent. Similiter quoque operas collectionum frugum, arare, seminare, runcare, vel cætera his similia à populo per easdem vel alias machinationes exigere coi-

consuevere; non tantum ab Ecclesiasticis, sed etiam à reliquo populo; quæ omnia nobis ab omni populo juste removenda esse videntur. Quia in quibusdam locis tantum inde populus oppressus est, ut multi ferre non valentes per fugam à dominis patronis suis lapsi sint, & terræ ipsæ in solitudine redactæ sunt. Potentioribus autem vel ditioribus ex spontanea tantum voluntate, vel mutua delectione volentibus solatia præstare invicem, minime prohibemus.

I D E M*

*alias, Pipini

II. Placuit nobis, ut nullos liberos homines Comites nostri ad eorum opus in servitium non opprimant, & quicunque hoc fecerit, secundum judicium, quod statutum habemus, emendet.

IDEM.*

*alias est lex Lotarii.

III. Placuit nobis de omnibus liberis, ut nihil ei supponatur, nisi sicut lex est, & rectitudo continet.

I D E M.*

*An est Carolomannus? an Carolus Crassus?

IV. De oppressione pauperum liberorum hominum, ut non fiat à potentioribus per aliquod malum ingenium contra justitiam oppressi, ita ut coacti res eorum vendant aut tradant; omnino hoc, ut supra de liberis hominibus diximus, ne forte parentes eorum contra justitiam ex hereditati sui siant, & ut Regale obsequium non minuatur, & ipse heres propter indigentiam mendici, vel latrones, seu malefactores efficiantur: & ut non sæpius fiant banniti ad placita, nisi sicut in alio capitulo præcipimus, ita observetur.

IMP. GUIDO.

V. Nemo Comes neque loco ejus positus, neque Sculdasius, ab Arimannis suis aliquid per vim exigat, præter quod constitutum legibus est. Sed neque pro sua fortuna in mansione arimanni se applicet, aut placitum teneat, aut aliquam violentiam faciat. Si vero de prædictis personis publicis hoc irritum fecerit, honore proprio sive ministerio privetur, & secundum legem emendet.

TIT. XIII.

De his qui ad patriam defendendam ire neglexerint, vel auxilium suum Comiti denegaverint.

IMP. LOTHARIUS.

I. Quicunque liber homo à Comite suo fuerit ammonitus, aut ministris ejus, ad patriam defendendam, & ire neglexerit, & exercitus supervenerit ad istius Regni vastationem, vel ad contrarietatem fidelium nostrorum, capitali subjaceat sententiæ. Similiter observandum est, si vocati fuerint audito inimicorum nostrorum adventu, & ita contigerit, ut hostes supervenerint, hi qui vocati fuerint, & venire noluerint, unusquisque secundum suam legem emendet.

IMP. GUIDO.

II. Quicunque igitur ex laicali ordine, tam liberi quam servi homines, in Comitatu manentes, à proprio Comite vel à publica parte, qui ab his, qui rempub. agunt, ammoniti fuerint, si se subtraxerint ab adjutorio sui proprij Comitis, & eum non adjuvaverint infra ipsum Comitatum, contra prædones vementes in suo Comitatu; tertiam partem liberi ex suis mobilibus componant: servi autem LX. ictus à propriis dominis accipiant, si probatum fuerit, quod eis fuisset denunciatum.

I D E M.

III. Si igitur ex præcepto Imperiali Comes loci ad defensionem patriæ suos arimannos hostiliter præparare monuerit, aut per se aut per missos suos, si aliquis eorum remanserit, exceptis his, quos Episcopus elegerit in sua necessitate, aut Comes dimittere voluerit, nisi aliquibus sonnis cæteris impedimentis, quæ legibus continentur, detentus fuerit, guidrigild suum componat. Et hoc nullus Comitum aut publicus potestatem habeat exigendi, nisi cum Misso palatij Imperatoris.

TIT. XIV.

Qualiter cum fara sua aliqui migrare permissum sit.

REX ROTHARIS.

I. Si quis liber homo migrare voluerit aliquo, potestatem habeat intra dominium Regni nostri cum fara sua migrare, quo voluerit: sic tamen, si jam à Rege ei data fuerit licentia, & si ei aliquas res Dux aut quicunque liber homo donaverit, & cum eo noluerit permanere, vel cum herede ipsius, res ad donatorem vel ad heredem ejus revertantur.

TIT. XV.

De advenis.

REX ROTHARIS.

I. Omnes gargangi, qui de extremis finibus in Regni nostri finibus advenerint, seque suosque potestati nostræ se subdiderunt, legibus nostris Longobardorum vivere debeant, nisi legem suam

à pietate noſtra meruerint. Si legitimos filios habuerint, heredes eorum in omnibus, ſicut & filii legitimi Longobardorum, exiſtant. Et ſi filios non habuerint legitimos, non ſit illi poteſtas abſque juſſione Regis, res ſuas cuicunque thingare, aut per quodlibet ingenium, aut per quemlibet titulum alienare.

TIT. XVI.

De his qui ſecreta Regis fraudulenter inquirunt.

REX RACHIS.

I. Relatum eſt nobis, quod ſunt aliqui pravi homines, qui ſubmittunt in palatium ad noſtrum ſecretum diſcendum, ut per delicioſos, aut per hoſtiarios, vel per alios homines captioſe aut abſconſe inveſtigare poſſint, quicquid nos agimus; & ipſi, qui rogantur, qui cognoſcere poſſunt, eis mandant, aut annunciant noſtra ſecreta, & adhuc in extraneas provincias mandatum faciunt. Sed apparuit nobis, ut ille, qui talem cauſam perpetrare præſumpſerit, non eſt in fide ſua rectus, ſed in mala ſuſpicione manere videtur: unde decernimus, ut qui in tali cauſa amodo detentus fuerit, tam qui ſubmittit, quam qui ſubmittitur, animæ ſuæ incurrat periculum, & res ejus infiſcentur: quia, ſicut dicit ſcriptura, *Secretum Regis abſcondere bonum eſt: opera autem Dei honorificum revelare eſt.*

TIT. XVII.

De bruneis extra noſtrum Regnum non vendendis.

IMP. CAROLUS.

I. De bruneis, ut nullus extra Regnum noſtrum vendere præſumat.

TIT. XVIII.

Ubi mercatum habendum ſit.

IMP. CAROLUS.

I. Ut mercatum nullo habeatur loco, niſi ubi antiquitus fuerit, & legitime debet eſſe.

TIT. XIX.

De eo qui alium injuſte in judicio adjuvare præſumpſerit.

IMP. CAROLUS.

I. Si quis in judicio injuſte hominem contra alium altercantem per malum ingenium præſumpſerit adjuvare, atque inde coram judicibus vel Comitibus increpatus fuerit, & negare non potuerit, XV. ſolid. culpabilis judicetur.

TIT. XX.

Qua lege aldiones vel aldiæ vivere debeant.

IMP. CAROLUS.*

al. Ind. Pipinus.

I. Aldiones vel aldianæ ea lege vivant in Italia in ſervitute dominorum ſuorum, qua fiſcalini vel lidi vivunt in Francia.

TIT. XXI.

De contemptionibus legum.

IMP. CAROLUS.

I. De his qui legem ſervare contemſerunt, ut per fidejuſſorem in præſentia Regis deducantur.

TIT. XXII.

Ut menſuræ æquales fiant.

IMP. CAROLUS.

I. De menſuris, ut ſecundum juſſionem noſtram æquales fiant.

TIT. XXIII.

De homine ad judicium non mittendo.

IMP. CAROLUS.

I. Ut nullus præſumat hominem ad judicium mittere, niſi judicatum fuerit.

TIT. XXIV.

Ne per vitam Regis vel filiorum juretur.

IMP. CAROLUS.

I. Nullus præſumat per vitam Regis vel filiorum ejus jurare.

TIT.

TIT. XXV.

Ne quis judicem suum prætermittat.

IMP. CAROLUS.

I. Ut causa, quæ adhuc coram Comite non fuerit finita, & is qui se reclamat propter suam stultitiam, aut contumaciam, & Comitem inde appellare noluerit, iterum Comiti commendetur.

TIT. XXVI.

De excommunicatis

IMP. CAROLUS.

I. Placuit nobis secundum sanctorum Patrum auctoritatem, si quis ab Episcopo suo juste excommunicatus fuerit, à nullo penitus recipiatur, antequam in præsentia sui Episcopi veniat, pro culpa satisfactionem redditurus.

TIT. XXVII.

Si quis sanctum crisma ad judicium subvertendum dederit.

IMP. CAROLUS.

I. Ut presbyter, qui sanctum crisma dederit ad judicium subvertendum, postquam de gradu suo expulsus fuerit, manum amittat.

TIT. XXVIII.

De eo qui bonum donarium refutaverit.

IMP. CAROLUS.

I. Quicunque liber homo denarium merum & bene pensantem recipere noluerit, bannum nostrum, id est, LX. solid. componat. Si vero servi Ecclesiastici vel Vasallorum nostrorum hoc facere præsumpserint, LX. ictus accipiant, aut si magister eorum aut advocatus, qui liberi homines sunt, eos vel Comiti vel Misso nostro præsentare voluerit, prædictum bannum, id est, LX. solid. componat.

TIT. XXIX.

Ubi interdictum sit legatum alicui mittere.

REX RACHIS.

I. Si quis Judex aut quicunque homo missum suum præsumpserit dirigere Romam, Ravennam, Spoletum, Beneventum, Franciam, Baioariam, vel Alamaniam, sine Regis jussione, animæ suæ incurrat periculum, & res ejus infiscentur.

TIT. XXX.

Si mulier filium suum ad confirmandum tenuerit.

IMP. CAROLUS.

I. Si mulier filium vel filiam suam per fraudem aliquam coram Episcopo ad confirmandum tenuerit, propter fallaciam suam, pœnitentiam agat, à viro tamen suo non separetur.

TIT. XXXI.

De capitulis legi Salicæ additis.

IMP. CAROLUS.

I. Generaliter omnes admonemus, ut capitula, quæ præterito anno legi Salicæ cum omni consensu addenda esse censuimus; jam non ulterius capitula, sed tantum leges dicantur, imo prolegibus Salicis teneantur.

TIT. XXXII.

Qualiter judicium inter Episcopum & privatum fieri debeat.

IMP. PIPINUS.

I. Ut qui se reclamaverit super Pontificem, quod justitiam habeat ad inquirendum, dirigat illum Comes aut per missum suum, aut per Epistolam suam ad ipsum pontificem, & si Episcopus ipse Francus, aut Longobardus, distulerit ad justitiam faciendam; tunc juxta, ut ipsi Episcopi elegerint, ubi consuetudo fuerit pignorandi à longo tempore, ut inantea in eo modo sint pro justitia facienda. Et hoc statuimus, ut ubicunque Episcopi substantiam habuerint, advocatum habeant in ipso Comitatu, qui absque tarditate justitiam faciat & suscipiat, & talis sit ipse advocatus, liber homo, bonæ opinionis, laicus aut clericus, qui sacramentum pro causa Ecclesiæ, quam peregerit, deducere possit juxta qualitatem substantiæ, sicut lex eorum habet.

TIT. XXXIII.

De rebus forfactis.

IMP. PIPINUS.

I. De rebus forfactis, quæ per diversos Comitatus sunt, volumus, ut ad palatium pertineant transacto anno & die.

TIT. XXXIV.

De hominibus Placentinis.

IMP. PIPINUS.

I. Non est nostra voluntas, ut homines Placentini, per eorum præceptum, de curte palatij nostri aldiones recipiant.

TIT. XXXV.

Ut Imperatoris foreſtes cuſtodiantur, & alieno juri non inſtituantur.

IMP. LUDOVICUS.

I. De foreſtibus nostris, ut ubicunque fuerint, diligentissime inquirantur, quomodo salvę factę sunt, & defensæ: & Comitibus denuncietur, ne ullam foreſtam noviter instituant; & ubi noviter institutas sine nostra jussione invenerint, dimittere præcipiant.

TIT. XXXVI.

de Romanis ludicibus, ut in præſentiam Imperatoris veniant.

IMP. LOTHARIUS.

I. Placuit nobis, ut cuncti Judices, sive hi qui cunctis præsse debent, per quos Judicialis potestas in hac urbe Romana agi debeat, in præsentiam nostram veniant; quorum volentes nomina & numerum scire, & singulis de ministerio sibi credito ammonitionem facere.

TIT. XXXVII.

De capitulis prolege tenendis.

IMP. LOTHARIUS.

I. Placuit nobis, ut capitula, quæ excerpsimus de Capitulare, bonæ memoriæ, avi nostri KAROLI, ac genitoris nostri LODOVICI Imperatoris; his omnibus & fidelibus nostris, & sanctæ Ecclesiæ in Regno Italiæ consistentibus, per legem teneantur & serventur: & quicunque horum capitulorum contemptor extiterit, LX. solid. componat.

TIT. XXXVIII.

De ſcripturis ſine menſe, & die menſis.

IMP. LOTHARIUS.

I. Auditu comperimus, in finibus Tusciæ talia scripta esse prolata, quæ sunt absque mensa & die mensis, de quibus volumus, ut si deinceps prolata fuerint, nullum habeant vigorem.

TIT. XXXIX.

De ſuſpectis tutoribus removendis.

IMP. LOTHARIUS.

I. Comperimus, quod ab his, qui secundum mundanam legem viduarum & orphanorum tutelam sibi vendicant, non solum negliguntur, sed etiam aliquotiens opprimuntur, quibus Ecclesiastica sollicitudine succurrendum esse censemus: & si hujusmodi oppressores ab Episcopali ammonitione corrigi gratulandum his est; sin autem in obstinationum impietate duraverit, suggerendum clementissimo Imperatori, quatenus ipse efficaciam tutorem tribuat, & ut illi remuneratio reddatur, adeo & de inutili silentio sacerdotalis ordo damnetur.

TIT. XL.

Quibus honoribus filij diaconorum, presbyterorum &c. removeantur.

IMP. OTHO.

I. Diaconorum, Episcoporum, Presbyterorum filios, Notarios, Sculdfioas, Comites, Judices fieri, omnibus modis prohibemus.

TIT. XLI.

De beneficijs non diſtrahendis.

IMP. LOTHARIUS.*

II. Divina favente clementia Imperator LOTHARIUS Romanum, Pius, felix, inclitus triumphator semper Augustus, cum universo populo. Imperialis benevolentiæ proprium judicamus, commo-

*Est hoc nomine Secundus, sive (ut aliqui computant) Tertius. Henricis V. in Imperio successor.

commoda subjectorum investigare, & eorum diligenti cura mederi calamitatibus, simul publicum bonum & statum ac dignitatem Imperij, omnibus privatis commodis præponere. Quocirca omnium fidelium nostrorum, tam futurarum quam præsentium, noverit universitas, qualiter dum apud Roncalias, secundum Imperatorum antiquorum consuetudinem, pro justitia ac pace Regni componenda consideremus omnia, quæ ad honorem Imperij spectare videntur: sollicite indagantes pernicio sam pestem, & reipub. non mediocre detrimentum inferentem, resecare proposuimus. Per multas enim interpellationes factas ad nos, didicimus milites beneficia sua passim distrahere, ac ita omnibus exhaustis suorum seniorum servitia subterfugere. Per quod vires Imperij maxime attenuatas esse cognovimus, dum Proceres nostri milites suos omnibus beneficiis exutos, ad fidelem nostri nominis expeditionem minime transducere valeant. Hortatu itaq; & consilio Archiepiscoporum, Ducum, Marchionum, Comitum, Palatinorum, ceterorumque Nobilium, simul Judicum, hac edictali lege in omne ævum Deo propitio valitura decernimus; non licere beneficia, quæ à suis Senioribus habent, absque ipsorum permissu distrahere, vel aliquod commercium adversus tenorem nostræ constitutionis excogitare, per quod Imperij vel dominorum minuatur utilitas. Si quis vero contra saluberrima nostræ legis præcepta, ad hujusmodi illicita commercia accesserit, vel aliquid in fraudem legis machinari tentaverit, precio ac beneficio se caritutum agnoscat. Notarium vero, qui fecerit per tali contractu libellum vel aliud instrumentum conscripserit, post amissionem officij, infamiæ periculum sustinere sancimus. Datum

sexto die mensis Novemb.

indict. XV.

D. N.

Anno Christi 847.

LOTHARII IMP. CÆSARIS AUG.
PII, FELICIS, PP.

CAPITULARE, EX CAROLI MAGNI ET LUDOVICI Pii Impp. necnon Pipini Cæsaris & suis ipsius Constitutionibus Imperialibus compositum, atque universo Imperio per Germaniam, Galliam & Italiam promulgatum Anno Domini DCCC. XLVII.

Anno feliciter undecimo Regni Domini nostri CAROLI gloriosissimi Regis in mense Maijfactum Capitulare: qualiter congregatis in unum Synodali Concilio Episcopis, Abbatibus, virisque Illustribus, Comitibus, una cum piissimo Domino nostro secundum Dei voluntatem de causis oportunis consenserunt.

INCIPIT DE METROPOLITANIS.

UT Suffraganei Episcopi secundum Canones subjecti sint, & ea, quæ erga ministerium illorum emendanda cognoscant, libenti animo emendent, atque corrigant.

CAP. II.

De Episcopis.

Ubi præsentes Episcopi ordinati non sunt, sine tarditate ordinentur.

CAP. III.

De Monasteriis.

Ut, ubi Regulares fuerunt, secundum regulam vivant. Nec non & monasteria puellarum ordinem sanctum custodiant; & una quæque Abbatissa in suo monasterio sine intermissione resideat.

CAP. IV.

Ut Episcopi de presbyteris, & clericis infra illorum parochia potestatem habeant secundum Canones.

CAP. V.

Ut Episcopi de incestuosis hominibus emendandi licentiam habeant, seu & de viduis infra sua parochia potestatem habeant corrigendi.

CAP. VI.

Ut nulli liceat alterius Clericum recipere, aut ordinare in aliquo gradu.

CAP. VII.

De decimis.

Ut unusquisque suam decimam donet, atque per jussionem Pontificis dispensentur.

Item de decimis.

De decimis, ut dentur, & dare nolentes, secundum quod anno præterito denunciatum est, à ministris Reipub. exigantur, id est, eligantur quatuor, sive octo optimi homines, vel, prout opus fuerit, de singulis plebibus juxta qualitatem unius cujusque plebis, ut ipsi inter sacerdotem & plebem testes existant, ubi datæ, vel non datæ fuerint. Hoc ideo, ne ibi juramentum aliquod faciendi necessitas com-

tas contingat. Non tamen ideo tantos testes mittendos dicimus, ut ipsi semper omnes in dandis decimis præsentes esse pariter necesse sit, sed ut, dum pluribus committitur, minus gravetur. in duobus autem, si ad fuerint, sufficere credimus.

Negligentes autem amoveatur à presbyteriis Ecclesiarum usque ad tertiam vicem, ut ipsam decimam dent. quod si contempserint, ab introitu Ecclesiæ prohibeantur. & si hoc non emendaverint, à ministris Reipubliæ districte singuli per caput sex solidos Ecclesiæ componant, & insuper decimam dare cogantur. Nam si iterum contemptores extiterint, tunc per publicam authoritatem domus vel casæ eorum hiuentur, quo usque pro ipsa decima, sicut supra dictum est satisfaciant. Quod si denuo rebelles. vel contradictores esse voluerint, & super ipsam hiufam sua autoritate intrare præsumpserint, tunc à ministris Reipubl. custodia mittantur, usque dum ad judicium publicum producantur, & ibi secundum legem contra Comitem, vel partem publicam componant. Reliqua autem, ut supra dictum est de decimis, & VI. solidis contra Ecclesiam satisfaciant.

CAP. VIII.

Ut homicidæ, aut cæteri rei, qui legibus mori debent, si ad Ecclesiam confugerint. non excusentur, neque eis ibidem victus detur.

CAP. IX.

Ut latrones de infra immunitatem judices ad Comitis placita præsentent; & qui hoc non fecerit, beneficium & honorem perdat.

Similiter & vuassus noster, si hoc non impleverit, beneficium & honorem perdat; & qui beneficium non habuerit bannum solvat.

CAP. X.

De eo, qui perjurium fecerit, nulla redemptione, nisi manum perdat.

Quod si acculator contendere voluerit de ipso perjurio, stent ad crucem, & si jurator vicerit, lege sua accusator emendetur. Hæc vero de minoribus causis observandum. De majoribus vero rebus, aut de statu ingenuitatis secundum legem custodiant.

CAP. XI.

De vindicta, & judicio in latronibus facto, Episcoporum absque peccato Comitis esse dicunt, si tamen ut absque invidia, aut occasione mala. & nihil aliud ibi interponatur, nisi vera justitia ad perficiendum. Et si per odium, aut malum ingenium, nisi per justitiam faciendum, hominem diffecerit, honorem suum perdat, & legibus, contra quem injuste fecit, secundum pœnam quam intulit emendet.

CAP. XII.

Quæ bonæ memoriæ *genitor noster in sua placita constituit, sic & nos conservare volumus. *Pipinus

CAP. XIII.

De rebus vero Ecclesiarum, unde nunc pensiones exeunt, decima & nona sint soluta. Unde antea non exierint, similiter nona & decima detur, atque de casatis quinquaginta solido. I. & de casatis XXX. medio solido, & de viginti tremisse, & precariis, ubi modo sunt, renoventur; & ubi non sunt, scribantur. Et sic discretio inter præstarias de verbo nostro factas, & inter eas, quæ spontanea voluntate de ipsis rebus Ecclesiarum faciunt.

CAP. XIV.

De truste facienda nemo præsumat.

CAP. XV.

De ceratiis & tabulariis, atque cartulariis, sicut de longo tempore fuit, observetur.

CAP. XVI.

De Sacramentis per geldonia invicem conjurantibus, ut nemo facere præsumat. Alio vero modo de illorum eleemosinis, aut de incendio, aut de naufragio, quamvis convenientia faciant, nemo in hoc jurare præsumat.

CAP. XVII.

De iterantibus, qui ad palatium, aut alciubi pergunt, ut eos cum collecta nemo sit ausus salire.

CAP. XVIII.

Ut nemo alterius herbam defensionis tempore tollere præsumat, nisi in hostem pergendo, aut Missus noster sit. Qui aliter facere præsumit, emendetur.

CAP. XIX.

De tholoneis. Qui jam antea formannitis fuerunt, nemo tollat, nisi ibi, ubi antiquo tempore, præsumat.

CAP. XX.

De mancipiis. Qui vendentur, & in præsentia Episcopi, vel Comitis, aut in præsentia Archidiaconi, & Centenarij, sive Vice domini, aut Judicis, Comitis, ante bene nota testimonia, & foras marcha nemo mancipium vendat. Qui hoc fecerit, tantas vices bannum solvat, quanta mancipia vendit. Et si non habet pretium in vuadio, per servum semetipsum donet, usque dum ipsos bannos solvat.

CAP. XXI.

De pruvias, ut nullus foras nostro Regno vendere præsumat.

CAP. XXII.

Si Comes in suo ministerio justitias non fecerit, Missum nostrum de sua causa sonniare faciat, usque dum justitiæ ibidem factæ fuerint. Et si vuassus noster justitias non fecerit, tunc & Comes & Missus ad ipsius causam sedeant, & de suo vivant, quousque justitias fecerint.

CAP. XXIII.

Si quis pro faida pretium recipere non vult, tunc ad nos sit transmissus, & nos eum dirigamus, ubi damnum minime facere possit. Simili modo & qui pro faida pretium solvere voluerit, nec justitiam exinde facere, in tali loco eum mittere volumus, ut per eum maius damnum non crescat.

CAP. XXIV.

De latronibus ita præcepimus observandum, ut per primam vicem non moriantur, sed oculum perdant.

De secunda vero culpa nasus ipsius latronis abscindatur.

De tertia vero culpa, si non emendaverit, moriatur.

Item Capitulare, quod factum est in: Aquis palatio publico anno XX.

Regnante Domino nostro Jesu Christo in perpetuum, Ego CAROLUS gratia Dei, ejusq; misericordia donante, Rex & Rector Regni Francorum, & devotus sanctæ Ecclesiæ Defensor, humilisque Adjutor, omnibus Ecclesiasticæ pietatis ordinibus, seu secularis potentiæ dignitatibus in Christo Domino Deo æterno, perpetuæ pacis & beatissimis salutem. Considerans pacifico piæ mentis intuitu una cum Sacerdotibus & Consiliariis nostris abundantem in eos, nostrumque populum Christi Regis clementiam, & quam necessarium est non solum toto corde, & ore & pietate agere gratias Deo incessanter, sed etiam continua bonorum operum exercitatione ejus insistere laudibus, quatenus qui nostro Regno tantos contulit honores, sua protectione nos, nostrumque Regnum in æternum conservare dignetur. Quapropter placuit vobis vestram rogare solertiam, ô pastores Ecclesiarum Christi, & doctores gregis ejus, clarissima mundi luminaria, ut vigili cura, & sedula admonitione populum Dei ad pascua vitæ æternę ducere studeatis, & errantes oves bonorum exemplorum, seu adhortationum humeris intra ecclesiasticæ firmitatis muros reportare satagatis, ne lupus insidians aliquem canonicas sanctiones transgredientem, vel paternas traditiones universalium conciliorum excedentem, quod absit, inveniens devoret. Ideo magno devotionis studio admonendi, & adhortandi sunt, imo & compellendi, ut firma fide & infatigabili perseverantia intra paternas sanctiones se contineant. In quo opere & studio sciat certissime sanctitas vestra, nostram vobis cooperari diligentiam. Quapropter & nostros ad vos direximus Missos, qui ex nostri nominis autoritate una vobiscum corrigerent, quæ corrigęda essent. Sed & aliqua capitula ex Canonicis institutionibus, quæ magis nobis necessaria viderentur, subjunximus. Ne aliquis, quæso, hujus pietatis admonitionem esse præsumptuosam judicet, qua nos errata corrigere, superflua abscindere, recta cohortari studemus, sed magis benevolo caritatis animo suscipiat. Nam legimus in Regnorum libris, quomodo sanctus Josias regnum sibi à Deo datum, circumeundo, corrigendo, admonendo, ad cultum veri Dei studuit revocare, non ut me ejus sanctitati æquiparabilem faciam, sed quod nobis sunt ubique sanctorum semper exempla sequenda; & quoscunque poterimus ad studium bonæ vitæ in laudem & gloriam Domini nostri Jesu Christi congregare, necesse est. Quapropter ut prædiximus, aliqua Capitula notari jussimus, ut simul hæc eadem vos admonere studeatis; & quæcunque vobis alia necessario esse sciatis, ut & ista, & illa æquali intentione prædicetis, nec aliquid, quod vestræ sanctitati; populo Dei utile videatur, omittete, ut pio studio nos admoneatis, quatenus & nostra solertia, & subjectorum obedientia æterna felicitate ab omnipotenti Deo remuneretur.

Omnibus.

Sunt enim aliqui, qui culpis exigentibus, ab Episcopo proprio excommunicantur, & ab aliis Ecclesiasticis vel laicis præsumptiose in communionem accipiantur, quod omnino sanctum Nicenum Concilium, simul & Chalcedonense, nec non & Antiochenum, atque Sardicense, fieri prohibent.

Episcopis.

Item habetur in eodem Concilio, ut eorum, qui ad ordinandum veniunt, fides & vita prius ab Episcopo diligenter discutiantur, & sic ordinentur.

Omnibus.

Item in eodem Concilio, nec non & Antiocheno, simul & Calcedonensi, ut fugitivi Clerici, & peregrini à nullo recipiantur, nec ordinentur sine commendatitiis literis, & sui Episcopi, vel Abbatis licentia.

Omnibus.

Item in eadem synodo interdictum est presbyteris & diaconibus, vel omnibus, qui in Clero sunt, mulierem habere in domo sua propter suspicionem, nisi matrem aut sororem, vel eas tantum personas, quæ suspiciones effugiunt.

Omnibus.

Item in eodem Concilio, seu in decretis Papæ Leonis, nec non in Canonibus, qui dicuntur Apostolorum, sicut & in Lege Dominus ipse præcepit, omnino omnibus interdictum est ad usuram aliquid dare.

Episcopis.

Auditum est aliquos presbyteros missas celebrare, & non communicare, quod omnino in Canonibus Apostolorum interdictum esse legitur, vel quomodo dicere recte potest, si non communicaverit,

vaverit, *sumpsimus, Domine, Sacramenta*? hæc vero per singula Capitula sustituta in Niceno Concilio legere potestis, seu in aliis sanctorum Patrum synodalibus edictis.

Omnibus.

In Antiocheno Concilio de his, qui damnati sunt à synodo, vel à suo episcopo, & postea ministrare præsumunt, præcipitur, ut nullus audeat eis communicare. Si quis vero eis communicat, simili sententiæ subjaceat, sicut & damnatus.

Episcopis.

Item in eodem Concilio, ut ad Metsiopolitanum Episcopum suffraganei Episcopi respiciant, & nihil novi audeant facere in suis parochiis sine conscientia, & consilio sui Metropolitani; nec Metropolitanus sine eorum consilio.

Sacerdotibus.

Item in eodem Concilio, simul & in Acironensi, ut Chorepiscopi cognoscant modum suum, nihil faciant absque licentia Episcopi, in cujus parochia habitant.

Omni Clero

Item in eodem Concilio, ut Episcopus, vel quilibet ex clero, sine consilio, vel literis Episcoporum, vel Metropolitani non audeant regalem dignitatem pro suis causis clamare, sed in communi Episcoporum Concilio causa ejus examinetur.

Episcopis.

Item in eodem Concilio, simul & in Sardicensi, nec non & in decretis Innocentij Papæ, ut nullus Episcopus in alterius parochia ordinationes aliquas audeat efficere, vel negotia peragere, quæ ad eum non pertinent.

Episcopis.

Item in eodem Concilio, ut Episcopus ejus Ecclesiæ curam habeat, ad quam ordinatus est.

Episcopis.

Item in eodem Concilio, nec non & Chalcedonensi, ut comprovinciales Episcopi cum suo Metropolitano bis in anno propter causas Ecclesiæ Concilia celebrent.

Episcopis.

In Concilio Laodicensi, nec non in Africano præcipitur, ut Monachi & Clerici tabernas non ingrediantur edendi vel bibendi causa.

Clericis.

Item in eodem Concilio, ut à vespera ad vesperam dies Dominica servetur.

Omnibus.

Item in eodem Concliio, ut ignota Angelorum nomina nec fingantur, nec nominentur, nisi illorum, quos habemus in authoritate, ij sunt Michael, Gabriel, Raphael.

Clericis & Nunnanibus.

Item in Concilio, quod non oporteat mulieres ad altare ingredi.

Sacerdotibus.

Item in eodem Concilio, ut coctoarij, malefici, incantatores vel incantatrices fieri non sinantur.

Omnibus.

Item in eodem Concilio, nec non in Sardicensi, quod non oporteat in villulis, vel in agris Episcopos constitui. *Sacerdotibus.*

Item in eodem Concilio, ut Canonici libri tantum legantur in Ecclesia.

Clericis & Monachis.

In Concilio Chalcedonensi, ut non oporteat Episcopos aut quem ex clero per pecunias ordinari, quia utrique deponendi sunt, & qui ordinant, & qui ordinantur, nec non & qui mediator est inter eos.

Omnibus.

Item de eadem re in Canonibus Apostolorum legitur, quam hæresin jam ipse princeps Apostolorum in Simone mago terribiliter damnavit.

Omnibus.

Item in eodem Concilio infra duo Capitula, nec non & in decretis Leonis Papæ, ut nec Monachus nec clericus in secularia negotia transeat, & ut servum alterius nullus sollicitet ad clericalem, vel monachicum ordinem sine voluntate, & licentia domini sui promovere.

Sacerdotibus.

Item in eodem Concilio infra duo Capitula, nec non & in Sardicensi, ut nec Episcopi, nec clerici transmigrentur de civitate in civitatem.

Omnibus.

Item in eadem Synodo, ut nullus absolute ordinetur sine pronunciatione, & stabilitate loci,

Omnibus.

Item in Concilio eodem, ut clerici & monachi in suo proposito, & voto, quod Deo promiserunt, maneant. *Sacerdotibus.*

Item in decretis Innocentij Papæ de eadem re, ut monachus si ad clericatum probatur, propositum monachicæ professionis non amittat.

Omnibus.

Item in eodem Concilio, ut si Clerici inter se negotium aliquod habuerint, à suo Episcopo dijudicentur, non à secularibus.

Om

Omnibus.

Item in eodem Concilio, ut nec Clerici nec Monachi conspirationes, vel insidias contra patrem suum faciant.

Omnibus.

Item in eodem Concilio, ut laici Episcopos, aut Clericos non accusent, nisi prius eorum discutiatur existimationis opinio.

Omnibus.

Item in eodem Concilio, ut loca quæ semel Deo dicata sunt, ut monasteria sint, manentque in perpetuo monasteria, nec possint ultra fieri secularia habitacula.

Omnibus.

In Concilio Carthaginensi, primo omnium ut fides sanctæ Trinitatis, & incarnationis Christi, passionis, resurrectionis, & ascensionis in cœlos diligenter omnibus prædicetur.

Omnibus.

Item in eodem, de prohibenda avaritia, ut nullos alienos fines usurpet, vel terminos patrum transcendat.

Omnibus.

Item in eodem, de his, qui in periculo constituti sunt, & convertunt se ad Deum, ut Canonice inquirant reconciliationem, & Canonice reconcilientur.

Omnibus.

Item in eodem, ut illi, qui non sunt bonæ conversationis, & eorum vita est acculabilis, ut non audeant Episcopos, vel maiores natu accusare.

Omnibus.

Item in eodem, ut, qui excommunicato præsumptiose communiaverit, excommunicetur & ipse.

Sacerdotibus.

Item in eodem Concilio infra duo Capitula, ut nullus presbyter contra suum Episcopum superbire audeat.

Omnibus.

Item in eodem, ut Clerici & Ecclesiastici ordinis, si culpam incurrerint, ut apud Ecclesiasticos judicentur, non apud seculares.

Omnibus.

Item in eodem, ut qui commodaverit pecuniam, pecuniam accipiat; si speciem aliam, eandem speciem, quantam dederit, accipiat.

Omnibus.

In Concilio Africano, ut virgines Deo sacratæ à graviorib. personis diligenti custodia serventur.

Episcopis.

Item in eodem, ut non liceat Episcopo principalem Cathedram suæ parrochiæ negligere, & ad aliquam Ecclesiam in sua diœcesi magis frequentare.

Episcopis.

Item in eodem, ut falsa nomina Martyrum, & incestæ Sanctorum memoriæ non venerentur.

Omnibus.

Item in eodem, ut nec uxor à viro dimissa alium accipiat virum, vivente viro suo, nec vir aliam accipiat, vivente uxore priore,

Episcopis.

Item in eodem, ut probati à Metropolitano judices non spernantur.

Omnibus.

Item in eodem infra duo capitula, ut viles personæ non habeant potestatem accusandi. & sint primo crimine victi sunt falsum dicere, in secundo non habeant potestatem dicendi.

Omnibus.

Item in eodem, ut virgines non velentur ante 25. annos, nisi rationabili necessitate cogenti.

Omnibus.

In Concilio Cangarensi, ut nulli liceat oblata, quæ ad pauperes pertinent, rapere, vel fraudare.

Omnibus.

Item in eodem, ut Ecclesiastica jejunia sine necessitate rationabili non solvantur.

Sacerdotibus.

In Concilio Acironensi, inventum est in eos, qui cum quadrupedibus, vel masculis contra naturam peccant, dura & districta pœnitentia. Quapropter Episcopi & presbyteri, quibus judicium pœnitentiæ injunctum est, conentur omnimodis hoc malum à consuetudine prohibere, vel abscindere.

Sacerdotibus.

In Concilio Neocæsariensi, ut nullatenus presbyter ordinetur ante trigesimum ætatis suæ annum, quod Dominus Iesus non prædicavit ante trigesimum annum.

Omnibus.

In decretalibus Siricij Papæ, ut alterius sponsam nemo accipiat.

Item Episcopis. Monachis & virginibus.

Item ejusdem, ut monachi & virgines suum propositum omnimodis observent.

Omnibus,

Omnibus.

In decretalibus Innocentij Papæ, ut pax detur omnibus, confectis Christi sacramentis.

Sacerdotibus.

Item ejusdem, ut nomina publice non recitentur ante precem sacerdotalem.

Episcopis & Sacerdotibus.

Item ejusdem, ut nulli Sacerdotum liceat ignorare sanctorum Canonicum institua.

Episcopis.

In decretis Leonis Papæ, sicut in Sardicensi Concilio, ut Episcopi alterius Clericum ad se non sollicitent, nec ordinent.

Episcopis.

Item ejusdem, ut nullus Episcopus servum alterius ad clericatus officium siue domini sui voluntate promovere præsumat, & hoc Gangarense Concilium prohibet.

Episcopis.

Item ejusdem, ut si quis Sacerdotum contra constituta decretalia præsumptiose agat, & corrigi nolens, ab officio suo submoveatur.

Episcopis.

In decretis Gelasij Papæ, ut nullus Episco vidua velare præsumat.

Hæc enim, dilectissimi, pio studio, & magna dilectionis intentione vestram unanimitatem admonere studuimus, quæ magis necessaria videbantur, ut sanctorum patrum Canonicis institutis inhærentes præmia cum illis æternæ felicitatis accipere mereamini. Scit namque prudentia vestra, quam terribili anathematis censura feriantur, qui præsumptiose contra statuta universalium Conciliorum venire audent. Quapropter & vos diligentius admonemus, ut omni intentione illud horribile execrationis judicium vobis cavere studeatis, & magis Canonica instituta sequentes, & pacifica unitate nitentes ad æterna pacis gaudia pervenire diguemini. Sunt quoque aliqua Capitula, quæ nobis utilia huic præcedenti admonitioni subjungere visa sunt.

Omnibus.

Primo omnium, ut fides Catholica ab Episcopis, & presbyteris diligenter legatur, & omni populo prædicetur, quia hoc primum præceptum est Domini Dei omnipotentis in lege: *Audi Israel, quia Dominus Deus tuus Deus unus est; & ut ille diligatur ex toto corde, & ex tota mente, & ex tota anima, & ex tota virtute nostra.*

Omnibus.

Ut pax sit & concordia, & unanimitas cum omni populo Christiano inter Episcopos, Abbates, Comites, Judices, & omnes ubique seu majores, seu minores personas: quia nil Deo sine pace placet, nec munus sanctæ oblationis ad altare, sicut in Evangelio ipso Domino præcipiente legimus; quia & illud secundum mandatum est in lege: *diliges proximum tuum sicut teipsum.*

Item in Evangelio; *Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur.* Et iterum, *in hoc cognoscent omnes, quia mei discipuli estis, si dilectionem habueritis ad invicem.* In hoc enim præcepto discernuntur filij Dei a filij diaboli, quia filij diaboli semper dissensiones, & discordias movere satagunt. Filij autem Dei semper paci, & dilectioni student.

Omnibus.

Ut quibus data est potestas judicandi, recte judicent, sicut scriptum est; *juste judicate filij hominum.* Non in muneribus, quia munera excæcant corda prudentium, & subvertunt verba justorum. Non adulatione, nec in consideratione personæ, sicut in Deuteronomio dictum est; *Quod justum est, judicate, sive civis sit, sive peregrinus, nulla sit distantia personarum: quia Dei judicium est.* Primo namque judici diligenter discenda est Lex a sapientibus populis compolita, ne per ignorantiam à via veritatis erret, & dum ille rectum intelligat judicium, caveat, ne aut per adulationem aliquorum, aut per amorem cujuslibet amici, aut per timorem alicujus potentis, aut propter præmium à recto judicio declinet. Et honestum nobis videtur, ut judices jejuni causas audia, & discernant.

Omnibus.

Item habemus in lege, Domino præcipiente, *non periurabis in nomine meo, nec pollues nomen Domini Dei tui, non assumus nomen Domini Dei tui in vanum.* Ideo omnino admonendi sunt omnes diligenter, ut caveant periurium, non solum in sancto Evangelio, vel in altari, seu in sanctorum reliquiis, sed & in communi loquela. Quia sunt alij, qui per caritatem, & veritatem jurant, & cavent sea juramento nominis Dei, & nesciunt quia idem est Deus, quod est Caritas & veritas; dicente Joanne Apostolo, quia *Deus Caritas est*; item ipse Dominus in Evangelio: *Ego sum via, veritas & vita.* Ideo qui in veritate & caritate jurant, in Deo jurant. Item cavendum est, ne pharisaica superstitione aliquis plus aurum honoret, quam altare, ne dicat ei Dominus; *stulte, & cæce, quid est majus, aurum, an altare, quod sanctificat aurum*; sed & nobis videtur honestum, ut, qui in sanctis habet jurare, hoc jejunus faciat eum omni honestate & timore Dei, & sciat se rationem redditurum Deo uniuscuiusque juramenti, ubicunque sit, sive intra Ecclesiam, sive extra Ecclesiam. Et ut parvuli sine rationabili ætate non cogantur jurare, sicut Gunebodigni faciunt. Et qui semel periuratus fuerit, nec testis sit posthæc, nec ad Sacramentum accedat, nec in sua causa, vel alterius jurator existat.

Omnibus

Omnibus.

Item habemus in lege Domini mandatum; *non auguraminis*, Et in Deuteronomio, *nemo sit inter vos qui ariolos scisciturve, vel somnia observet, vel ad auguria intendat*. Item; *ne sit maleficus, nec incantator, nec pythonis consultor*. Ideo præcipimus, ut caucolatores, & incantatores, & tempestarij, vel obligatores earum fiant; & ubicunque sint, emendentur, vel damnentur.

Item de arboribus vel petris, vel fontibus, ubi aliqui stulti luminaria, vel alias observationes faciunt, omnino mandamus, ut iste pessimus usus, & Deo execrabilis, ubicunque inventus, tollatur & destruatur.

Omnibus.

Item prædicare necesse est, quantum malum sit odium, vel invidia, quia in lege scriptum est; *Non oderis fratrem tuum in corde tuo, sed publice argue eum*. Item Joannes Evangelista; *qui odit fratrem suum homicida est*. Item in Evangelio; *si peccaverit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te, & ipsum solum*, & cætera, quæ ibi legantur.

De avaritia autem legimus Apostolum dicentem; *Avaritia, quæ est idolorum servitus, cavenda*.

Item de concupiscentia legitur, quod sit *radix omnium malorum*; & in lege, *non concupisces proximi tui*.

Item ut homicida infra patriam, sicut in lege Domini interdictum est, nec causa ultionis, nec avaritiæ, nec latrocinandi fiant; & ubicunque inventa fuerint à judicibus nostris secundum legem nostro mandato vindicentur, & non occidatur homo, nisi lege jubente.

Omnibus.

Item & furta, & injusta connubia, nec non & falsa testimonia, sicut sæpe rogavimus, prohibere diligenter, sicut & lex Domini prohibet. Et hoc cum magno studio admonere, ut filij honorent parentes suos, quia ipse Dominus dicit; *Honora patrem tuum, & matrem tuam, ut sis longævus super terrâ, quam Dominus Deus tuus dabit tibi*.

Sacerdotibus.

Episcopi diligenter discutiant per suas parochias presbyteros, eorum fidem, baptisma, & Missarum celebrationes, ut & fidem rectam teneant, & baptisma Catholicum observent, & ut illarum preces bene intelligant, & ut Psalmi digne secundum divisiones versuum modulentur, & Dominicam orationem intelligant, & omnibus prædicent intelligenda, ut unusquisque sciat, quid petat à Deo. & ut, *Gloria Patri*, cum omni honore apud omnes cantetur, & ipse Sacerdos cum Sanctis Angelis, & populo Dei communi voce, *Sanctus, Sanctus, Sanctus*, decantet. Et omnimodis dicendum est presbyteris, & diaconibus, ut arma non portent, sed magis se confidant in defensione Dei, quam in armis.

Aliquid Sacerdotibus, aliquid omnibus.

Item placuit nobis admonere reverentiam vestram, & ut unusquisque vestrum videat per suas parochias, ut Ecclesia Dei suum habeat honorem, simul & altaria secundum dignitatem veneretur, & non sit domus Dei, & altaria Sacrata pervia canibus, & ut vasa Sacrata Deo cum magna veneratione habeantur, & ut sacrificia sacrificata cum magna diligentia ab eis colligantur, quæ dignis cum honore serventur; & ut secularia negotia, vel vaniloquia in Ecclesijs non agantur, quia *domus Dei domus orationis debet esse, non spelunca latronum*, & ut intentos habeat animos ad Deum, quando veniunt ad missarum solennia, & ut non exeant ante completionem benedictionis sacerdotalis.

Sacerdotibus.

Sed & hoc flagitamus vestram almitatem, ut ministri altaris Dei suum ministerium bonis moribus ornent, seu alij Canonici observantiæ ordines, vel monachi, præpositi, congregationes, obsecramus, ut bonam & probabilem habeant conversationem, sicut ipse Dominus in Evangelio præcepit; *sicut luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum, qui in cœlis est*: ut & eorum bona conversatione multi pertrahantur ad servitium Dei, & non solum servilis conditionis infantes, sed jam ingenuorum filios aggregent, sibique socient, & ut schola legendorum puerorum fiat. Psalmos, notas, cantus, computum, gratiam per singula monasteria, vel Episcopia & libros Catholicos bene emendate, quia sæpe, dum bene aliqui Deum rogare cupiunt, sed per in emendatos libros male rogant; & pueros vestros non finite eos velle gendo, vel scribendo corrumpere, & si opus est, Evangelium, Psalterium, & Missale scribere, perfectæ ætatis homines scribant cum omni diligentia.

Sacerdotibus.

Simul & hoc rogare curavimus, ut omnes ubicunque sunt, qui se voto monachicæ vitæ constrinxerit, monachice & regulariter omnimodis secundum votum suum vivant, secundum quod scriptum est; *Vota vestra reddite Domino Deo vestro*. Et iterum; *melius est non vovere, quam non reddere*. Et ut ad monasteria venientes secundum regularem ordinem primo in pulsatorio probentur, & sic accipiantur; & qui ex seculari habitu in monasteria veniunt, non isti foras ad ministeria monasterij mittantur antequam intus bene erudiantur; & ut monachi ad secularia placita non vadant. Similiter qui ad Clericatum accedunt, quod nos nominamus *canonicam vitam*, volumus ut illi canonice secundum suam regulam omnimodis vivant, & Episcopus illorum regat vitam, sicut Abbas monachorum.

Omnibus.

Ut æquales mensuras, & rectas, & pondera justa, & æqualia omnes habeant, sive in civitatibus, sive monasteriis, sive ad dandum in illis, sive ad accipiendum, sicut in lege Domini præceptum habemus. Item in Psalmo; Domino dicente; *pondus & pondus, mensuram & mensuram odisti anima mea*.

Omnibus.

Omnibus.

Et hoc nobis competens, & venerabile videtur, ut hospites, & peregrini, & pauperes susceptiones regulares, & Canonicas per loca diversa habeant. Quia ipse Dominus dicturus erit in remuneratione magni diei; *hospes eram & suscepistis me.* Et Apostolus hospitalitatē laudans dixit; *per hanc quidam placuerunt angelis hospitio susceptis.*

Episcopis & Abbatibus.

Auditum est aliquas Abbatissas contra morem sanctæ Dei Ecclesiæ benedictiones cum manus impositione, & signaculo sanctæ Crucis super capita virorum dare: nec non & velare virgines cum benedictione sacerdotali: quod omnino vos, sanctissimi patres, in vestris parochiis interdicendum esse scitote.

Clericis.

Ut illi Clerici, qui se fingunt habitu, vel nomine monachos esse, & non sunt, omnimodis videtur corrigendos atque emendandos esse, ut vel veri monachi sint, vel veri Canonici.

Omnibus.

Item & pseudographia, & dubiæ narrationes, vel omnino quæ contra fidem Catholicam sunt, ut Epistola pessima & fallacissima, quam transacto anno dicebant aliqui errantes, & in errore alios mittentes, quod de cœlo cecidisset, nec credantur, nec legantur, sed comburantur, ne in errorem per talia scripta populus mittatur, sed soli Canonici libri, & Catholici tractatus, & sanctorum autorum dicta legantur & tradantur.

Aliquid Sacer dotibus, aliquid Omnibus.

Item ut isti mangones, & cogciones, qui sine omni lege vagabundi vadunt, per istam terram, non sinantur vagari, & deceptiones hominibus agere. Nec isti nudi cum ferro, qui dicunt se data sibi pœnitentia, ire vagantes, melius videtur, ut si aliquid in consuetum, & capitale crimen commiserint, in uno loco permaneant laborantes, & servientes, & pœnitentiam agentes, secundum quod sibi canonice impositum sit.

Omni Clerô.

Ut cantum Romanum pleniter discant ordinaliter per nocturnale, vel graduale officium peragere, secundum quod beatæ memoriæ genitor noster PIPINUS Rex decretavit, ut fieret, quando Gallicanum tulit, & ob unanimitatem Apostolicæ sedis, & sanctæ Dei Ecclesiæ pacificam concordiam.

Omnibus.

Statuimus quoque secundum quod & in lege Dominus præcepit, ut opera servilia diebus Dominicis non agantur, sicut & bonæ memoriæ Genitor meus in suis synodalibus Edictis mandavit, id est, quod nec viri ruralia opera exerceant, nec in vinea colenda, nec in campo arando, vel fœnum secando, vel sepem ponendo, nec in sylvis stirpare vel arbores cædere, vel in petris laborare, nec domus construere, nec hortum laborent, nec ad placita conveniant, nec venationes exerceant. Et tria carraria opera licet fieri in die Dominico, id est, ortalia carra, vel victualia, vel si forte necesse erit corpus cujusbet ducere ad pulchrum.

Item, fœminæ opera textrilia non faciant, nec capillent, vestitus non consuant, vel acupictile faciant, nec lanam carpere, nec linum battere, nec publice vestimenta lavare, nec verveces tondere habeant licitum, ut omnimodis honor, & requies diei Dominicæ servetur. Sed ad missarum solennia, ad Ecclesias undique conveniant, & laudent Dominum in omnibus bonis, quæ nobis in illa die fecit.

Omnibus.

Sed & vestrum videndum est, sanctissimi & venerabiles pastores & rectores Ecclesiarum Dei, ut presbyteros, quos quos mittetis per parochias vestras, ad regendum per Ecclesias populum Deo servientem, ut recte & honeste prædicent, & non sinatis nova vel non Canonica aliquos ex suo sensu, & non secundum Scripturas sacras fingere ac prædicare populum. Sed vosmet ipsi utilia, honesta & recta, & quæ ad vitam ducunt æternam prædicate, aliosque instruite, ut hæc eadem prædicent.

Primum omnium prædicandum est omnibus generaliter, ut credant Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum unum esse Deum, omnipotentem æternum, invisibilem, qui creavit cœlum & terram, mare, & omnia quæ in eis sunt, & unam esse Deitatem, substantiam, & majestatem in tribus personis, Patris, & Filij, & Spiritus sancti.

Item, prædicandum est, quomodo filius Dei incarnatus est de Spiritu sancto, & er Maria semper virgine, pro salute & reparatione humani generis, passus, sepulus, & tertia die resurrexit à mortuis, & ascendit in cœlos, & quomodo iterum venturus sit in majestate divina judicare omnes homines secundum merita propria, & quomodo impij pro scelcribus suis cum diabolo in ignem æternum mittentur, & justi cum Christo & sanctis Angelis suis in vitam æternam.

Item diligenter prædicandum est, de resurrectione mortuorum, ut sciant & credant in iisdem corporibus præmia meritorum accepturos.

Item cum omni diligentia cunctis prædicandum est, pro quibus criminibus deputentur cum diabolo in æternum supplicium. Legimus enim Apostolum dicentem; *Manifesta autem sunt opera carnis, quæ sunt fornicatio, immunditia, luxuria, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, animositates, iræ, rixæ, dissensiones, hæreses, sectæ, invidiæ, homicidia, ebrietates, comessationes, & his similia, quæ prædico vobis, sicut prædixi, quoniam qui talia agunt, regnū Dei non possidebunt.* Ideo hæc eadē, quæ magnus prædicator Ecclesiæ Dei sigillatim nominavit, cum omni studio prohibete. Intelligentes, quam sit terribile

illud quod dicit, quia *qui talia agunt, regnū Dei non consequuntur*. Sed omni instantia admonete eos de lectione Dei & proximi, de fide & spe in Deo, de humilitate & patientia, caritate & continentia, de benignitate & misericordia, de eleemosinis & confessione peccatorum suorum, & ut debitoribus suis secundū Dominicam orationem sua debita dimittant: Scientes certissime, quod, qui talia agunt, regnum Dei possidebūt. Et hoc ideo diligentius instigimus vestræ Caritati, quia scimus temporibus novissimis pseudo doctores esse venturos, sicut ipse Dominus in Evangelio prædixit, & Apostolus Paulus ad Timotheum testatur. Ideo dilectissimi, toto corde præparemus nos in scientia veritatis, ut possimus contradicentibus veritati resistere, & divina donante gratia, verbum Dei crescat, & currat, & multiplicetur in profectum sanctæ Eccl. siæ, & salutem animarum vestrarum, & laudem, & gloriam nominis Domini nostri Jesu Christi.

Pax prædicantibus, gratia obedientibus, & gloria Domino Deo nostro Jesu Christo, Amen. Anno Dominicæ incarnationis DCC. LXXXIX. indictione XII. Anno XX. Regni nostri actum est hujus legationis edictum in Aquisgrani palatio publice, data est hæc carta die decimo Kalend. April.

ITEM CAPITUL. II.

De monachis Girovagiis, vel Sarabaitis. Item Ca. de Anachoretis. melius est, ut hortentur in congregatione permanere, quamvis animos eorum aliubi ambulare tentent.

III.

Ut non parvi pendentes sint pastores animarum sibi commissarum, nec majorem curam habeant de lucris terrenis, quam de animabus sibi commissis.

IV.

De obedientia, quæ Abbati exhiberi debet, & ut absque murmuratione fiat.

V.

De Decanis & Præpositis, ut eorum mutatio secundum regulam fiat.

VI.

De Cellariis monasterij, ut non avari mittantur, sed qualis regula præcepit.

VII.

Ut, ubi corpora Sanctorum requiescunt, aliud oratorium habeatur, ubi fratres secrete possint orare.

VIII.

De Eulogiis.

IX.

De susceptione hospitum, sicut regula continet.

X.

De vestimentis monachorum, ubi superfluum est, abscindatur; & ubi minus, augeatur.

XI.

De noviter venientibus ad conversationem, ut secundum regulam probentur, & non antea suscipiantur, nisi sicut regula jubet. Et nullus cogatur invite repromittere, & de obedientia, & de stabilitate permanendi, sicut regula habet.

XII.

De filiis Nobilium, qui offeruntur.

XIII.

De ordinando Abbate.

XIV.

De fratribus in via directis.

XV.

Ut nullus Abbas pro susceptione Monachi præmium quærat.

XVI.

Ut disciplina Monachis regularis imponatur, non secularis. Iidem non orbentur, nec mancationes habeant, nisi ex autoritate regulæ.

ITEM CAP. I.

Ut Comites pupillorum & orphanorum causas primum audiant, & in venationem non vadant illo die, quando placitum debent custodire, nec ad partum.

II.

De sacramento fidelitatis, quod nobis & filiis nostris jurare debent, quod his verbis contestari debet: *Sic promitto ego ille partibus Domini mei CAROLI Regis, & filiorum ejus, quia fidelis sum, & eo debeo vitam meam, sine fraude vel malo ingenio.*

III.

De monasteriis, ubi Nananes sine regula sedent, volumus, ut in uno loco congregatio fiat regularis; & Episcopus prævideat; ubi fieri possit; & ut nulla Abbatissa foras monasterio exire præsumat sine nostra jussione, nec sibi subditas facere permittat, & earum claustra sint bene firmata, & nullatenus ibi vini leoddos scribere, vel mittere præsumat; & de pallore earum propter sanguinum novationem.

IV. De

IV.

De tabulis vel Codicibus requirendis, & ut nullus in Psalterio vel Evangeliò, vel in aliis rebus fortiti præsumat, nec divinationes aliquas observare.

V.

Vt nullus glorietur per justitiæ rationem aut conquirere aliquid, aut continere.

VI.

Vt illæ disciplinæ, quæ propter legem conservandam sunt constitutæ, propter præmium non dimittantur.

VII.

Vt audiant Episcopi baptisterium presbyterorum, ut secundum morem Romanum baptizent.

VIII.

De calciamentis secundum Romanum usum.

IX.

Vt in diebus festis, vel dominicis omnes ad Ecclesiam veniant, & non invitent presbyteros ad domos suas ad missam faciendam.

X.

Omnino prohibendum est omnibus ebrietatis malum, & istas conjurationes, quæ faciunt per sanctum Stephanum, aut per Nos, aut per filios nostros, prohibemus. Et præcipimus, ut Episcopi vel Abbates non vadant per casam miscendo.

XI.

De eo, quod Missi nostri providere debent, ne forte aliquis clamor super Episcopum, vel Abbatem, vel Abbatissam, vel Comitem, seu super qualemcunque gradum fit, & nobis renunciare.

XII.

De injustis Theloneis.

XIII.

De manu leprosi.

XIV.

Vt monachi & qui in sacerdotali gradu constituti sunt, ad secularia negotia non transeant. De reliquis tonsuratis detur spatium usque in synodum nostram.

XV.

Vt Episcopi, & Abbates, & Abbatissæ cuplascanum non habeant, nec falcones, nec accipitres, nec joculatores.

XVI.

De pauperibus in plateis, vel quadruviis jacentibus, ut ad Ecclesiæ & illorum confessiones donentur.

XVII.

Vt super altaria tecuria fiant, vel laquearia.

XVIII.

Vt cloeas non baptizent, nec cartas per perdices pendant, propter grandinem.

XIX.

Vt Missi nostri providant beneficia nostra, quomodo sint condirecta, & nobis renunciare faciant.

XX.

De leprosis, ut si non intermisceant alii populo Christiano. Et omnino Missis nostris præcipimus, ut bona, quæ aliis per verbum nostrum docent facere, factis in se ipsis ostendant.

Incipit Capitulare, qualiter præcipit Dominus Rex de quibusdam causis.

Primo cap. de Xenodochiis jussit, ut quicunque Xenodochia habent, si ita pauperes pascere voluerint, & consilio facere, quomodo abantea fuit, habeant ipsa Xenodochia, & regant ordinaliter. & si hoc facere noluerint, ipsa dimittant, & per tales homines in antea sint gubernanda, qualiter Deo & nobis exinde placeant.

II.

De Ecclesiis baptismalibus, ut nullatenus eas laici homines tenere debeant, sed per sacerdotes fiant, sicut ordo est, gubernatæ, & neque illi pagenses negligentiam habeant de hoc, quod ibidem facere debeant, & illi sacerdotes sic regant, quomodo ordo Canonicus exposcet.

III.

De advocatis sacerdotum, volumus pro Ecclesiastico honore, & illorum reverentia advocatos habeant.

IV.

De diversis generationibus hominum, qui in Italia commanent, volumus ut ubicunque culpa contigerit, unde faida crescere potest, propter eas fatigationes hominis illius, contraque culpam secundum ipsius legem, cui negligentiam commisit, emendet. De vero statu ingenuitatis, aut aliis querelis, unusquisque secundum suam legem se ipsum defendat.

V.

De compositionibus, quæ ad palatium pertinent, si Comites ipsas causas commoverint ac requiren-

quirendum, illam tertiam partem ad illorum recipiant opus, duas vero ad palatium. Et si per suam negligentiam remanserint, & Missus Dominicus ipsas causas cœperit inquirere, tunc volumus, ut ipse Comes illam tertiam partem non habeat, rectum integritate ad palatium veniat.

VI.

De monasteriis & xenodochiis, quæ per diversos Comites esse videntur, ut regalia sint, & quicunque ea habere voluerit, per beneficium dono Regis habeat.

VII.

De rebus per diversos Comites volumus, ut ad placitum pertineant.

VIII.

Si cui res in elecmosina datæ sunt, & ipse mortuus fuerit ante quam eas dispensset, tunc Missi dominicus una cum Episcopo paroch iæ illa conquiret, qualiter in Domini Regis mercede ipsa elecmosina fiat facta, & infra xxx. noctes impletæ esse debent.

IX.

De filia, cujus pater per manum arrogatoris homines servos suos jussit fieri liberos, & quia contra legem esse videtur, instituimus, ut ipsa in terti m portionem.

X.

Placuit inferere, ubi lex erit, præcellere consuetudinem, & nulla consuetudo superponatur legi.

XI.

Placuit etiam nobis, ut quæcunque fœmina potestatem habet per comeatum viri sui vendere, habeat potestatem & donare.

XII.

De mancipiis palatii nostri, & Ecclesiarum nostrarum, nolumus mundium recipere, sed nostra ipsa mancipia habere.

XIII.

Placuit nobis, ut illos liberos homines Comites nostri ad eorum opus servile non opprimant, & quicunque hoc fecerit, sicut judicandum habemus, emendet.

XIV.

De rebus, quæ Hildegardæ Reginæ traditæ fuerunt, volumus, ut fiant descriptæ breves, & ipsæ breves ad nos fiant adductæ.

XV.

Non est nostra voluntas, ut homines Placentini per eorum præceptum de curte palatii nostri vitaldiones recipiant.

XVI.

De fugitivis, qui in partibus Beneventi, & Spoleti, sive Romania, vel Pentapoli, qui confugium faciunt, & reddantur, & sint reversi ad proprium locum.

XVII.

Sicut consuetudo fuit sigilla, & epistolas prendere, & vias vel portas custodire, ita nunc sit factum.

Cap. quæ ad Niumaeg.d.

Unusquisque in suo Missatico maximam habeat curam ad prævidendum, & ordinandum, ac disponendum secundum voluntatem Dei, & secundum jussionem nostram.

II.

De Sacramento, ut hi, qui antea fidelitatem partibus nostris non promiserunt, promittere faciant, & insuper omnes denuo repromittant.

III.

Ut ea, quæ inter filios nostros propter pacis concordiam statuimus, pleniter omnes consentire debeant.

IV.

Ut prædicti Missi per singulas civitates, & monasteria virorum, & puellarum prævideant, quomodo aut qualiter in domibus Ecclesiarum ornamenta Ecclesiis emendata, vel restaurata esse videantur; & diligenter inquirant de conversatione singulorum, vel quomodo emendarum habeant, quod jussimus de eorum lectione, & cantu, cæterisque disciplinis & Ecclesiasticæ Regulæ pertinentibus.

V.

Ut singuli Episcopi, Abbates, Abbatissæ diligenter considerent thesauros Ecclesiasticos, ne propter perfidiam aut negligentiam custodum aliquid de vasis, reliquo quoque thesauro perditum sit, quia dictum est nobis quod negotiatores, Judæi, nec non & alii gloriantur, quod, quicquid eis placeat, possint ab eis emere.

VI.

Volumus, ut æqualiter Missi nostri faciant de singulis causis, sive de heribanno, sive de advenis, sive de cæteris quibuslibet causis. De advenis volumus, ut qui jamdiu conjugati sunt per singula loca, ut ibi maneant, & sine causa, vel sine aliqua culpa non fiant ejecti: fugitivi vero, & latrones rediant ad propria loca.

VII.

Auditum habemus, qualiter & Comites, & alii homines qui nostra beneficia habere videntur compa-

comparent sibi proprietates de ipso nostro beneficio, & faciunt servire ad ipsas proprietates servientes nostros de eorum beneficio, & curtes nostræ remanent desertæ, & in aliquibus locis ipsi vicinantes multa mala patiuntur.

VIII.

Audivimus, quod aliqui reddunt beneficium nostrum ad alios homines in proprietatem, & in ipso placito, dato pretio, comparant ipsas res iterum sibi in alode, quod omnino cavendum est: quia qui hoc faciunt, non bene custodiunt fidem, quam nobis promissam habent. Et ne forte in aliqua infidelitate inveniantur, qui hoc faciunt, per eorum voluntatem ad aures nostras talia opera illorum non perveniunt.

IX.

Sunt & alii, qui justitiam legibus recipere debent, & in tantum fiunt in quibusdam locis fatigati, ut, qui, dum suam justitiam per fidejussorem manus tradant, ita aliquid, vel parvum possint habere, & fortiores suscipiant majorem portionem.

X.

De mendicis, qui per patrias discurrunt, volumus, ut unusquisque fidelium nostrorum suum pauperem de beneficio, aut de propria familia enutriat, & non permittat alicubi ire mendicando: & ubi tales inventi fuerint, nisi manibus laborent, nullus ei quicquam tribuere præsumat.

XI.

De Teloneis, & cispaticis, sicut in alia capitula ordinavimus, teneant id, ut ubi antiqua consuetudo fuit exigantur, & ubi nova fuerint inventa, destruantur.

XII.

Usura est, ubi amplius requiritur, quam detur, verbi gratia, si dederis solidos decem, & amplius requisieris, vel si dederis modium frumenti, & iterum super aliud exegeris.

XIII.

Cupiditas in bonam partem potest accipi, & in malam. in bonam juxta Apostolum; *cupio dissolvi & esse cum Christo.* & in Psalmo; *concupivit anima mea in atria Domini.*

XIV.

Cupiditas vero in malam partem accipitur, qui supra modum res quaslibet appetere vult, juxta Salamonem; *post concupiscentias tuas non eas.*

XV.

Avaritia est alienas res appetere, & adeptas nulli largiri, & juxta Apostolum, hæc est *radix omnium malorum.*

XVI.

Turpe lucrum exercent, qui per varias circumventiones lucrandi causa, in honeste res quaslibet congregare decertant.

XVII.

Fœnus est, qui aliquid præstat, justum fœnus est, qui amplius non requirit, nisi quantum præstitit. Quicunque enim tempore messis, vel tempore viridemiæ non necessitate, sed propter cupiditatem comparat annonam, aut vinum, verbi gratia, de duobus denariis comparat modium unum, & servat usque dum iterum venundare possit contra denarios quatuor, aut sex, & amplius, hoc turpe lucrum dicimus. Si autem propter necessitatem comparat, ut sibi habeat & aliis tribuat, hoc negotium dicimus.

XVIII.

Consideravimus itaque, ut præsenti anno, quia per plurima loca fames valida esse videtur, omnes Episcopi, Abbatissæ, Optimates, & Comites, seu Domestici & cuncti fideles, qui beneficia regalia, tam de rebus Ecclesiasticis, quam de reliquis habere videntur, ut unusquisque de suo beneficio, suam familiam nutricari faciat, & sua proprietate propriam familiam nutriat, & si, Deo donante, super se, & super familiam suam, aut in beneficio, aut in dote annonam habuerit, & venundari volucrit, non carius vendat, nisi modium de avena denariis duobus, modium de ordeo contra denarios tres, modium unum de secale contra denarios quatuor, modium unum de frumento parato contra denarios sex, & ipsum modium sit, quod omnibus habere constitutum est, ut unusquisque habeat æquam mensuram, & æqualia modia.

Item Capitul. I.

Ut nullus ad mallum; vel ad placitum infra patriam arma portet, id est, scutum & lanceam.

II.

De latronibus, quicunque post missam sancti Joannis latroni mansionem dederit, si Francus est, cum XII. similibus Francis juret, se latronem eum fuisse, non scisse, licet pater ejus sit aut frater, vel propinquus. si hoc jurare non potuerit, & ab alio convictus fuerit, quod latronem in hospitio susceperit, quasi latro, & infidelis judicetur, quia latro, & infidelis esse noster, & Francorum & qui illum suscepit, similis est illi. Si autem audivit, quod latro fuisset, & tamen non scit pro firmiter, aut juret solus, quod nunquam eum audisset nec per veritatem, nec per mendacium, latronem; aut sit paratus, si ille de latrocinio postea victus fuisset, ut similis damnetur.

III.

Ut nullus comparet caballum, bovem, aut jumentum, vel alia, nisi illum hominem cognoscat, qui eum vendidit, aut de quo pago est, vel ubi manet, aut quis est ejus Senior.

IV.

De adventitiis autem, cum Missi nostri ad placitum venerint, habeant scriptum, quanti adventicii sunt in illorum Missatico, & de quo pago sunt, & in nomina eorum, & qui sunt eorum Seniores.

Similes direximus Missos in Aquitaniam, & in Longobardiam, ut omnes fugitivos, & adventicios ad nostrum placitum adducant. Quicunque ista Capitula habēt, ad alios Missos transmittāt, qui non habent, & nulla excusatio de ignorantia fiat, & hoc Missi nostri ante nativitatem Domini cognitum faciant.

Incipiunt cap. excerpta de Canone.

I.

Ut per singulos annos Synodus bis fiat.

II.

Qualis ad sacerdotium, vel sacros ordines, secundū quod in Canone legimus, venire non possit.

III.

Ut nequaquam intra duos Metropolitanos provincia dividatur.

IV.

Ne in una civitate duo sunt Episcopi, & de Vicariis Episcoporum.

V.

Quod non oportet ordinationes Episcoporum diu differre.

VI.

De ordinatis Episcopis, nec receptis.

VII.

Quod non oporteat solute quoslibet ordinare.

VIII.

De servo, si nesciente Domino suo fuerit ordinatus.

IX.

Quod non liceat clericum in duabus civitatibus ministrare, nec Abbates pluria monasteria, aut cellas habere.

X.

Ne de uno loco in alium transeat Episcopus sine decreto Episcoporum, velut clericus sue jussione Episcopi sui.

XI.

De peregrinis Episcopis & Clericis.

XII.

De literis peregrinorum, & clericis sine literis ambulantibus.

XIII.

Quales, aut pro qualibus culpis quis secundum Canonicam institutionem degradetur de officio sacerdotali.

XIV.

De expulso ab Ecclesia, & excommunicatione, vel damnato ab officio.

XV.

De ordine Ecclesiastico, & officio Missæ, & reliquis sanctorum, & oratoriis villaribus.

XVI.

De altaribus non consecrandis, nisi lapideis.

XVII.

De confirmatione cum Chrismate.

XVIII.

De Baptismo.

XIX.

De Pasca, & die Dominico, & reliquis festivitatibus.

XX.

De jejunio, & quadrigesima, vel letaneis.

XXI.

Ut festivitates præplures non, nisi in Civitatibus, aut in vicis publicis teneantur.

XXII.

De hoc officio.

XXIII.

Ut omnes fideles communicent, & ad missas persteant in synodali deprecatione.

Incipit Canon Sancti Sylvestri.

Fecit hos gradus in gremio synodi, ut non presbyter adversus Episcopum, non Diaconus adversus Presbyterum, non subdiaconus adversus Diaconum, non Exorcista adversus Acolitum, non Lector adversus Exorcistam, nec ostiarius adversus Lectorem det accusationem aliquam. Et non damnabitur Præsul sine 72. testibus, neque Præsul summus à quoquam judicabitur, quoniam scriptum est; *Non est discipulus super Magistrum.*

Presbyter autem, nisi in XLIV. testimoniis, non damnabitur. Diaconus autem cardine constructus

urbis

urbis Romæ, nisi 17. non condemnabitur. Sed Diaconus, Acolitus, Exorcista, Lector, nisi, sicut scriptum est, in 7. testimoniis filios habentes, & uxorem, & omnino Christum prædicantes. Si datur mystica veritas.

MISSI.

Ut judices vel fiscales freda non exigant priusquam facimus componatur.

Hoc quoque jubemus, ut judices nominati sive fiscales, de quacunque libet causa freda non exigant, priusquam facinus componatur. Si quis autem ista per cupiditatem transgressus fuerit, legibus componatur, fredum autem, non illi judici tribuat, cui culpam commisit, sed illi, qui solutionem recipit, tertiam partem coram testibus fisco tribuat, ut pax perpetua stabilis permaneat.

Capitula, quæ ad legem data sunt I.

De occasione Clericorum, qui subdiaconum occiderit CCC. solidos componat, qui Diaconum CCCC qui Presbyterum, DC. qui Episcopum, DCCCC. qui monachum, CCCC. solidis culpabilis judicetur.

II.

Si quis immunitate damnum aliquod fecerit, DC. solidos componat. Si autem homo furtum, aut homicidium fecerit, vel quodlibet crimen foris committens intra immunitatem fugerit, mandet Comes illi Episcopo, vel Abbati, qui cum tenuerit, ut reddat ei reum. Si ille contradixerit, & eum reddere noluerit in prima contradictione XV. solidis culpabilis judicetur. Si ad secundam inquisitionem eum reddere noluerit, XXX. solidis culpabilis judicetur. Si nec ad tertiam consentire voluerit, quicquid reus damni fecerat, totum ille, qui eum infra immunitatem retinet, nec reddere vult, solvere cogatur, & ipse Comes veniens licentiam habeat ipsum hominem intra immunitatem quærendi, ubicunque eum invenire potuerit. Si autem ita in prima inquisitione Comiti responsum fuerit, quod reus intra immunitatem quidem fuisset, sed fuga lapsus, statim juret, quod ipse eum ad justitiam cujuslibet infaciendam fugere non fecisset, & sic ei in hoc satisfactum. Si autem intranti in ipsam immunitatem Comiti collecta manu quilibet resistere tentaverit, Comes hoc ad Regem, vel ad Principem deferat, ibique judicetur, & sicut ille, qui in immunitate damnum fecit, DC. solidos componere debuit, ita qui Comiti collecta manu resistere præsumpsit. DC. solid. culpabilis judicetur.

III.

Si quis ad Ecclesiam confugium fecerit, in ipso atrio ipsius Ecclesiæ pacem habeat, nec sit necesse Ecclesiam ingredi, & nullus eum inde per vim abstrahere præsumat, sed liceat ei confiteri quid fecit, & inde per manus bonorum hominum ad discussionem in publicum perducatur.

IV.

Si quis hominem in judicio injuste, contra alium altercantem adjuvare per malum ingenium præsumpserit, atque inde coram judicibus, vel Comitibus increpatus fuerit, & negare non potuerit, XV. solidis, culpabilis.

V.

Si quis de libertate sua fuerit interpellatus, & timens, ne in servitium cadat, aliquem de propinquis suis, per quem se in servitium casurum timet, occiderit, id est, patrem, matrem, patruelem, avunculum, vel quamlibet hujusmodi propinquitatis personam, ipse, qui hoc perpetravit, moriatur, agnatio ejus & consanguinitas in servitium cadat, & si negaverit se illum occidisse, ad novem vomeres ignitos judicio Domini examinandus accedat.

VI.

Qui res suas pro anima sua ad casam Dei tradere voluerit, domi traditionem faciat coram testibus legitimis, & quæ hactenus in hoste factæ sunt traditiones, de quibus nulla est quæstio, stabiles permaneant. Si vero aliquis alii res suas tradiderit, & in hostem profectus fuerit, & ille, cui res traditæ sunt, interim mortuus fuerit, adhibitis testibus coram quibus traditio facta est, res suas recipiat. Si autem & ipse mortuus fuerit, heredes ejus legitimi res traditas recipiant.

VII.

Si quis per cartam ingenuitatis convictus fuerit, aut XV. solid. componat, aut XV. ictus ab Scabinis, qui causam prius judicaverunt, accipiat.

VIII.

Optimus quisque in pago civitate in testimonium assumatur, & cui is, contra quem testari debet, nullum crimen possit indicere.

Item Capitulare.

I.

De causis admonendis, de Ecclesiis emendandis, & ubi in uno loco plures sunt, quam necesse sint, & destruantur, quæ necessariæ non sunt, & aliæ construantur.

II.

Ut Presbyteri non ordinentur prius, quam examinentur, & excommunicatio passim, & sine causa non fiat.

III.

Ut Missi nostri Scabinos, Advocatos, Notarios per singula loca eligant, & eorum nomina, quando reversi fuerint, secum scripta deferant.

IV.

De his, qui legem servare contempserint, ut per fidejussores ad præsentiam Regis deducuntur.

V.

Ut illi, qui haribannum solvere debent, conjectum faciant ad haribannatorem.

VI.

De fugitivis & peregrinis, ut distringant, ut scire possimus, qui sint, aut unde venerit.

VII.

Ut beuga, & brunnias condantur negotiatoribus.

VIII.

De mensuris, ut secundum jussionem nostram æquales fiant.

IX.

Ut non mittantur testimonia super vestituram Domini PIPINI Regis.

X.

Ut nec colonus, nec fiscalinus possint alicubi traditiones facere.

XI.

Ut nullus præsumat hominem ad judicium mittere, nisi judicatum fuerit.

XII.

Ut liber homo, qui in monasterio regulari comam deposuerit, & res suas ibidem delegaverit, promissione facta, secundum regulam firmiter teneat.

XIII.

Ut omnia debita, quæ ad partem Regi solvi debent, solid. XII. denariorum solvant, exceptofreta, quæ in lege Salica conscripta est, illa iisdem solid. quibus cæteræ compositiones solvi debent, componatur.

XIV.

Ut omnia, quæ uvadiari debent, juxta quod in lege continetur, pleniter, secundum ipsam legem, revuadiata fiant, & postmodum vel Dominus Rex, vel ille, cujus causa est, juxta quod ei placuerit misericordiam faciat.

XV.

De Episcopis, Abbatibus, Comitibus, qui ad placitum nostrum non venerunt.

XVI.

Ut nullus ebrius suam causam in mallo possit conquirere, nec testimonium dicere, nec placitum Comes habeat, nisi jejunus.

XVII.

Ut nullus præsumat alium cogere ad bibendum, nisi quod ei necesse fuerit.

XVIII.

De Missis nostris discurrentibus, vel cæteris hominibus iter agentibus, ut nullus mansionem contra dicere præsumat.

XIX.

De canibus, qui in dextro armo tonsi sunt, ut homo qui eum habuerit, cum ipso cane in præsentia Regis veniat.

XX.

Ut populus interrogetur de Capitulis, quæ in lege noviter addita sunt, & postquam omnes consenserint, subscriptiones, & manufirmitiones suas in ipsis capitulis faciant.

XXI.

Ut nullus ad placitum banniatur, nisi qui causam suam quærere debet, exceptis Scabinis VII. qui ad omnia placita præesse debent.

XXII.

Si aliter res fortuito non præoccupaverint VIII. Kal. Jul. id est, missa sancti Johannis Baptistæ ad Mogontiam, sive ad Cabilionem generalem placitum nunciantes habere volumus.

De Lege Ripuarense.

I.

Si ingenuus ingenuum ictu percusserit, XV. solidis culpabilis judicetur.

II.

Homo regius, id est, Fiscalinus, & Ecclesiasticus, vel laicus interfectus, C. solid. componatur.

III.

Homo ingenuus, qui multam quamlibet solvere non potuerit, & fidejussores non habuerit, licet ei semetipsum in uvadium ei, cui debitor est, mittere, usque dum multam, quam debuit, persolvet.

In eodem Cap. Clesoniste aut DC. solidos componat, aut cum XII. juret, aut si ille qui causam quærit, XII. hominum Sacramentum recipere noluerit, aut cruce, aut scuto, & fuste contra eum decertet.

IV.

Nemini liceat servum suum propter damnum ab illo cuilibet illatum dimittere, sed juxta qualitatem damni Dominus pro illo respondeat, vel eum in compositione, aut ad pœnam peutoris offeret

feret. Si autem servus perpetrato scelere, fugerit, ita. ut à domino penitus inveniri non possit, sacramento se dominus etiam excusare studeat, quod hoc nec suæ voluntatis, nec conscientiæ fuisset, quod servus ei tale facinus commisit.

V.

Si quis ad mallum legibus mannitus fuerit, & non venerit, si eum sunnis non detinuerit, XV. solid. culpabilis judicetur. Sic ad secundum & tertium. Si autem ad quartum venire contempserit, possessio ei in bannum mittatur, donec veniat, & de re, qua interpellatus fuerit, justitiam faciat. Si infra annum non venerit, de rebus eis, quæ in banno missæ sunt, Rex interrogetur, & quicquid inde judicaverit, fiat. Prima ammonitio super noctes VII. Secunda super noctes XIV. tertia super noctes XXI. quarta super XL. II. similiter & de beneficio hominis, si forte res proprias non habuerit, mittatur in bannum usque Rex interrogetur.

VI.

Si auctor venerit, & rem intertiatam recipere renuerit, campo, vel cruce contendant.

VII.

Qui filios non habuerit, & alium quemlibet heredem sibi facere noluerit, coram Rege vel coram Comite, & Scabinis, vel Missis dominicis, qui tum ad justitias faciendas in provincia fuerint ordinati, traditionem faciat.

VIII.

Homo denariolis non antea hereditare in suam aguationem poterit, quam usque in tertiam generationem perveniat.

IX.

Homo Cartularius similiter.

X.

Omne Sacramentum in Ecclesia, aut supra reliquias juretur, & quod in Ecclesia jurandum est, vel cum sex electis, vel si XII. esse debent, quales potuerit invenire: *Sic illum Deus adjuvet, & Sancti, quorum iste reliquiæ sunt*, ut veritatem dicat.

XI.

Si res intertiata furto ablata fuerit, liceat ei, super quas res intertiata fuerit, per Sacramenta se excusare de furto, quod nec suæ voluntatis, aut conscientiæ fuisset, quod ablatum est, aut tantum sine damno restituat.

XII.

De homine, qui comprehendit servum, jussit eum occidere Dominos suos duos infantes, unum qui habuit IX. annos, alium qui habuit XI. ad extremum illum servum, postquam Dominus suos illos pueros occidit, in foveam quandam projecit, & judicatum est, ut illum, qui novem annos habuit, vue regulo componat, alium vero qui XI. habuit, dupliciter; servum, quem mordicum, tripliciter, & bannum nostrum ad omnia.

Item Capitulare.

I.

Infra Ecclesiam de lectionibus.

II.

De Cantu.

III.

De Scribis, ut non vitiose scribant.

IV.

De Notariis.

V.

De cæteris disciplinis.

VI.

De Computo.

VII.

De Medicinalibus.

VIII.

De Ecclesiis sine honore manentibus, absque officiis & luminaribus, & de his qui decimas absumunt, & de Ecclesiis non curant, & de altaribus, ut non superflua sint in Ecclesiis.

IX.

De laicis noviter conversis, ne ante, quam suam legem pleniter discant, vivendo ad alia negotia mittantur.

X.

De derelinquentibus seculum, ut unum è duobus eligant, aut pleniter secundum canonicam, aut secundam regularem constitutionem vivere debeant.

XI.

De servis propriis, vel ancillis, ut non amplius tondeantur, vel velentur, nisi secundum mensuram, ut & ibi satis fiat, & villæ non sint desolatæ.

XII. De

XII.

De congregationibus superfluis, ut nullatenus fiant, sed tantos congregent, quanti consilium dare potest.

XIII.

De illis quæ non fiunt secundum regulam à pulsantibus, ut deinceps emendentur, & pulsetur secundum regulam.

XIV.

Vt infantulæ ætatis puellæ non velentur ante, quam ille eligere sciant, quid velint, salva canonica authoritate.

XV.

Vt laici non sint Præpositi monachorum infra monasteria, nec Archidiaconi sint laici.

XVI.

De incestuosis, ut Canonice examinentur, & nec propter alicujus amicitiam quidam relaxentur, quidam vero constringantur.

Item Capitul. I.

De pace, ut omnes, qui per scelera rebelles sunt, constringantur ad omnes generaliter.

II.

De justitiis Ecclesiarum Dei, viduarum, orphanorum, pupillorum, ut in publicis judiciis non despiciantur clamantes, sed diligenter audiantur.

III.

De justitiis regalibus, ut pleniter fiant inquisitæ.

IV.

De hoc, si famis evenit, clades, ut inæqualitas aeris, vel alia qualiscunque tribulatio, non exspectetur edictum nostrum, sed statim deprecetur Dei misericordia, & in præsenti anno de famis inopia, ut suos quisque adjuvet, prout potest, & suam annonam non nimis care vendat, & ne foris *Imperium* nostrum vendatur aliquid alimoniæ.

V.

De armis infra patriam non portnadis, item scutis, & lanceis, & loricis. Si faidosus quis sit, discutiatur tunc, qui de duobus contrariis sit, ut pacati fiant, & distringantur ad pacem etiam, si voluerint. Et si aliter pacificare nolunt, adducantur in nostram præsentiam. Et si aliquis post pacificationem alterum occidit, componat illum, & manum, quam perjuravit, perdat, & insuper bannum dominicum solvat.

VI.

De armatura in exercitu, sicut antea in alio capitulari commendavimus, ita servetur, & insuper omnis homo XII. menses brunniam habeat, qui vero brunniam habens eam secum non tulerit, omne beneficium cum brunnia perdat.

VII.

De negotiatoribus, qui partibus Sclavorum, & Avarorum pergunt, quousque procedere cum suis negotiis debeant, id est, partibus Saxoniæ usque ad partem Nuivih, ibi prævideat Heretus: & ad Skesba, ubi Madalgaidus prævideat: ad Alvestat, & ad Erpfesfurt, item, Majam prævideat: ad Foranheim, & ad Brenberg & ad Raginilpurg: Audulfus, ad Magadeburg prævideat Hatto, & ad Lauriacum Werniheri. Et ut arma & brunnias non ducantur ad venundandum. Quod si inventi fuerint portantes, omnis substantia eorum auferatur ab eis, dimidia quidem pars partibus palatii, alia vero media inter jam dictos Missos, & inventorem, dividatur.

VIII.

De clamatoribus vel causiticis, quod nec judicium Scabinorum acquiescere, nec blasphemare volunt, antiqua consuetudo servetur, id est, ut in custodia reclaudantur, donec unum è duobus faciant, & si ad palatium pro hac re clamaverint, & literas detulerint, non quidem eis credatur, nec tamen in carcere ponantur, sed cum custodia & cum ipsis literis pariter ad palatium nostrum remittantur, & & ibi discutiatur sicut digni sunt.

IX.

De juramento, ut nulli alteri per sacramentum fidelitas promittatur, nisi nobis, & unicuique seniori proprio ad nostram utilitatem, & sui senioris, exceptis his sacramentis, quæ juste secundum legem, alteri ab altero debentur.

X.

De conspirationibus, quicunque facere præsumpserint, & Sacramento quacunque conspirationem firmaverint, ut triplici ratione judicentur. Primo, ut ubicunque aliquod malum pro hoc perpetratum fuerit, autores facti interficiantur, adjutores vero eorum alter ab altero flagellentur, & nares sibi invicem præcidant. Vbi vero nihil mali perpetratum est, similiter quidem inter se flagellantur, & capillos sibi vicissim detondeant. Si vero per dextras aliqua conspiratio firmata fuerit, si liberi sunt, aut jurent cum idoneis juratoribus hoc pro malo non fecisse, aut si facere potuerint, suam legem componant, si vero servi sunt, flagellentur, & ut de cætero in Regno nostro nulla hujusmodi conspiratio fiat, nec per Sacramentum, nec sine Sacramento.

XI.

De perjuriis ut cavcantur, & non admittantur testes ad juramentum ante, quam discutiatur, & si

& si aliter discuti non possunt, separentur ab invicem, & singulariter requirantur, & non soli accusatori liceat testes eligere absente suo accusatore, & omnino nullus, nisi jejunus; ad juramentum, vel ad testimonium admittatur. Si refutatur, dicat ille, qui eum refutat, & probet, quare illius recipere nolit. Et de ipso pago, non de altero testes eligantur, nisi forte extra Comitatum longius causa sit inquirenda. Et si quis convictus fuerit periurus, perdat manum, aut redimat.

XII.

De Advocatis idem, ut pravi Advocati, Vicedomini, Vicarij, & Centenarij tollantur, & tales eligantur, quales & sciant, & velint juste causas discernere, & terminare, & si comes pravus inventus fuerit, nobis renuncietur.

XIII.

De theloneis placet nobis, ut antiqua, & justa thelonea à negotiatoribus exigantur, tam de pontibus, quam de navigiis, seu mercatis. Nova vero, seu injusta, ubi vel funes tenduntur, vel cum navibus sub pontibus transitur, seu his similia, in quibus nullum adjutorium itinerantibus præstatur, ut non exigantur. Similiter etiam nec de his, qui sine negotiandi causa substantiam suam, de una domo ad aliam, aut ad palatium, aut in exercitum ducunt. Si quid vero fuerit, unde dubitetur, ad proximum placitum nostrum, quod cum ipsis Missis habituri sumus, interrogetur.

XIV.

De fugitivis Clericis, seu & laicis, etiam fœminis, sicut jam in alio Capitulare præcepimus, ita servetur.

XV.

De liberis hominibus, qui ad servitium Dei se tradere volunt, ut prius non faciunt hoc, quam à nobis licentiam postulent, hoc ideo, quia audivimus illos non tam causa devotionis, quam exercitus, seu alias functiones Regales fugiendo, quosdam vero cupiditatis causa ab his, qui res illas concupiscunt circumventos audivimus; & hoc ideo fieri prohibemus.

XVI.

De oppressione pauperum liberorum hominum, ut non fiant à potentioribus per aliquod malum ingenium contra justitiam oppressi, ita, ut coacti res eorum vendant, aut tradant. Ideo hæc, ut supra, & hic de liberis hominibus diximus, ne forte parentes contra justitiam faciant ex hereditate, & Regale obsequium minuatur, & ipsi heredes propter indigentiam mendici, vel latrones, vel malefactores efficiantur, & ut sæpius non fiant manniti ad placitum, nisi sicut in alio loco præcipimus, ita servetur.

XVII.

De Ecclesiis seu sanctis, noviter sine autoritate inventis, nisi Episcopo probante, minime venerentur, salva etiam de hoc, & de omnibus Ecclesiis canonica autoritate.

XVIII.

De falsis monetis, quæ in multis locis contra justitiam, & contra edictum fiunt, volumus, ut nullo loco alia moneta sit, nisi in palatio nostro, nisi forte iterum à nobis aliter fuerit ordinatum. Illi tamen denarij, qui modo moneti sunt, si pensantes & meri sunt, habeantur.

XIX.

De aribanno volumus, ut Missi nostri hoc anno fideliter exactare debeant absque ullius personæ gratiæ, blanditiis, sive terrore secundum jussionem nostram, id est, de homine habente libras VI. in auro, & argento, prunneis, heramenta, pannis integris, caballis, bobus, vaccis, vel alio peculio, & uxores, vel infantes non fiant spoliati pro hac re, sed de eorum vestimentis accipiant legitimum haribannum, id est, lib. III. Qui vero non habuerit amplius in suprascripto precio valente, nisi lib. III. solid. XXX. ab eo exigant, Id est, lib. I. & dimidiam. Qui autem non habuerit amplius, nisi duas lib. solidos X. Si vero unam habet, solid. V. ita, ut iterum se valeat præparere ad Dei servitium, & ad nostram utilitatem, & nostri Missi caveant, & diligenter inquirant, ne per aliquod malum ingenium subtrahant nostram justitiam alteri tradendo, aut commendando.

XX.

Census Regalis undecunque legiti exhibeatur, volumus, ut inde solvatur, sive de propria persona hominis, sive de rebus.

XXI.

De latronibus, sicut jam in alio Capitulari commendavimus, ita maneat.

XXII.

De liberis hominibus, qui uxores fiscalinas Regias, & fœminis liberis, quæ homines similiter fiscalinos Regios accipiunt, ut non de hereditate parentum, vel de causa sua quærenda, nec de testimonio pro hac re abjiciantur, sed talis etiam nobis in hac causa honor servetur, qualis & antecessoribus nostris Regibus, vel Imperatoribus servatus esse cognoscitur.

XXIII.

Ut decimæ populi dividantur in quatuor partes, id est, una pars Episcopo, alia clericis, tertia pauperibus, quarta Ecclesiæ in fabricis applicetur, sicut in decreto Gelasij Papæ continetur.

XXIV.

XXIV.

Ut viduis, & pupillis, orphanis, cæcis, & claudis tuitionem atque adminiculum impertiamur juxta possibilitatem nostram, vel vires, sicut in præcepto Domini Regis continetur.

XXV.

De incantationibus, auguriis, vel divinationibus, & de his qui tempestates, vel alia maleficia faciunt, placuit Sancto Concilio, ut, ubicunque deprehensi fuerint, videat Archipresbyter dicæcesis ipsius, ut diligentissima examinatione constringantur, si forte confiteantur malorum quæ gesserunt, sed tali moderatione fiat eadem districtio, ne vitam perdant, sed ut salventur, in carcere afflicti usque dum Deo inspirante spondeant emendationem peccatorum. Et ut nullatenus per aliqua præmia à Comitibus, vel Centenariis absque districta examinatione remittantur. Et hoc si fecerint Archipresbyteri, dum hoc cognoverunt, nequaquam Episcopis celare audeant, & ab Episcopis, ut dignum est, pro hoc corripiantur.

ITEM CAPITULARE.

I.

De ordinatione Ecclesiastica, & restauratione Ecclesiarum Dei, omnes generaliter habeant bonam providentiam.

II.

Ut pacem & concordiam habeant ad invicem fideles nostri.

III.

Quomodo marca nostra sit ordinata, & quæ per se fecerunt confiniales nostri, specialiter illis præteritis annis.

IV.

De placito condicto ad marcam necesse est, ut omnimodis ex omni parte, sicut ordinatum fuerit, unusquisque conveniat.

V.

De illis hominibus non recipiendis à Marchionibus nostris, qui Seniores suos fugiunt, pro damnaque eis facta habent.

VI.

De pravis judicibus, Advocatis, Vicedominis, Vicariis, Centenariis, vel reliquis Actoribus malevolis non habendis.

VII.

De liberorum hominum possibilitate, ut juxta qualitatem proprietatis exercitare debeant.

VIII.

Ut nullus consentiat suis hominibus ad malefaciendum infra patriam de eo, quod dicunt se non posse habere homines ad marcam defendendam, si eos bene distringunt.

IX.

De vassis Regalibus, ut honorem habeant, & per se, aut ad nos, aut ad filium nostrum caput teneant.

X.

De obsidibus, quod bene non custodiunt, & ab eis fugiunt.

XI.

De illis qui necessitatem patiuntur, ut meliorem habeant consolationem ad eorum justitiam.

XII.

Ut per placita non fiant banniti homines, excepto si aliqua proclamatio super aliquem venerit, aut certe si Scabinus, aut Judex non fuerit, & pro hoc condemnati illi pauperiores non fiant.

XIII.

Ut haribannum, aut aliquod collectum pro exercitali causa Comites de liberis hominibus recipere, aut inquirere non præsumant, excepto si de palatio nostro, aut filij nostri missus veniat, qui dum haribannum requirat.

Carolus Gratia Dei Rex Francorum, & Longobardorum, ac Patricius Romanus.

Dilectis Comitibus, seu Judicibus & Vassis nostris, Vicariis, vel Centenariis, vel omnibus Missis nostris & Agentibus. Cognoscat utilitas vestra, quia resonuit in auribus nostris præsumptio non modica, quod non ita obtemperetis Pontificibus nostris, seu sacerdotibus, quem admodum canonum, & legum continet autoritas. Ita ut Presbyteros, nescio qua temeritate, præsentari Episcopis denegetis. Insuper & aliorum clericos usurpare non permittatis, & absque consensu Episcopi in vestras Ecclesias mittere audeatis. Nec non & vestris ministeriis Pontifices nostros talem potestatem habere non permittatis, qualem rectitudo Ecclesiastica docet. Insuper nonas & decimas, vel census, improba cupiditate de Ecclesiis, unde ipsa beneficia sunt, abstrahere nitemini, & precariis de ipsis rebus, sicut a nobis dudum in nostro Capitulare institutum est, accipere negligatis, & ipsam Sanctam Dei Ecclesiam una cum ipsis Episcopis, vel Abbatibus emendare juxta vires vestras. Quapropter nos una cum consensu Episcoporum nostrorum, Abbatum, nec non & aliorum sacerdotum, hæc instituta partibus nostri direximus. Præcipientes enim jubemus, ut nullus quilibet ex fidelibus nostris à minimo usque ad maximum in his, quæ ad eum pertinent, Episcopo suo inobediens parere audeat de-

de supradictis capitulis, seu aliis eruditionibus ad illorum ministeria pertinentibus, sed cum bona voluntate, & omni manluetudinis subjectione unusquisque Sacerdoti suo, propter Deum, & pacis studium, obtemperare studerat. Si quis autem, quod absit, unus ex vobis ullus de nonis, & decimis, censibusq; reddendis, atque precariis renovandis negligens apparuerit, & importunus Episcopis nostris de his, quæ ad ministerium illorum pertinere noscuntur, vel sicut in Capitulare dudum à nobis factum continetur, contradicere præsumpserit, sciat se procul dubio, nisi se cito correxerit, in conspectu nostro exinde ducere rationes, & ut has literas certius credatis, de annulo nostrò subterius decrevimus roborare.

Capitula, quæ addita sunt ad Legem Longobardorum.

Carolus divino nutu coronatus, Romanum regens Imperium, Serenissimus, Augustus, omnibus Ducibus, Comitibus, Gastaldiis, seu cunctis Reipub. per provincias Italiæ, à nostra manluetudine Præpositis. Anno ab incarnatione Domini nostri Jesu Christi DCCC. primo, indictione nona: Anno vero Regni nostri in Francia XXXIII. in Italia XXVIII. Consulatus autem nostri primo. Cum in Italiam propter utilitatem sanctæ Dei Ecclesiæ, ac provinciarum disponendarum venissem, & multæ atque diversæ per orbis singulas ante conspectum nostrum quæstiones tam de Ecclesiasticis, quam publicis ac privatis rebus discuterentur, pleraque statuta, recitata ex Romana, seu Longobardica lege, competenti sententia terminata sunt: Quædam vero in nostri examinis arbitrium ad tempus dilata, quorum judicialis sententia à legislatoribus aut penitus omissa est, aut à posteris oblivioni tradita. Quo circa nos considerantes utilitatem nostram, & populi à Deo nobis concessi, ea quæ ab antecessoribus nostris Regibus Italiæ, in edictis legis Longobardicæ ab ipsis editæ prætermissa sunt, juxta rerum & temporis considerationem, addere curavimus, solliciti, ut necessaria, quæ legi defuerant, supplerentur, ut in rebus dubiis non quorumlibet arbitrium, sed nostræ Regiæ autoritatis sententiæ prævalerent.

Capitula autem, quæ nobis addere placuit, hæc sunt.

I.

De cartis donationis faciendis statuimus, si quis Longobardus statum humanæ fragilitatis prægogitans, pro salute animæ suæ, de rebus suis cartam donationis quamlibet facere noluerit, non sicut hactenus fieri solebat, jus sibi vendendi, commutandi, & per aliam cartam eandem rem alienandi reservet, sed absolute faciat unusquisque de rebus suis, quid velit, & noverit sibi à nostra autoritate penitus interdictum duas de eadem re facere donationes. Sed postquam unam de rebus suis ordinationem fecerit, aliam de ipsis faciendi nullam habeat potestatem. Eidem tamen, ut ulumfructum per tantum precaria, res traditas usque in tempus definitum possidendi sit facultas.

II.

De aribano. Si quislibet, contempta jussione nostra, cæteris in exercitum pergentibus domi residere præsumpserit, plenum aribannum secundum legem Francorum solid. LX. sciat se debere componere. Similiter & pro contemptu singulorum capitulorum, quæ per nostræ Regiæ autoritatis bannum promulgavimus. Item qui pacem Ecclesiarum Dei, viduarum, orphanorum, & pupillorum, ac minus potentium irruperit, LX. solidos exsolvat.

III.

De desertoribus. Si quis adeo contumax aut superbus extiterit, ut dimisso exercitu, absque jussu vel licentia Regis, domum revertatur, & quod nos Theutisca lingua dicimus, eris lex, fecerit, ipse, ut reus majestatis, vitæ periculo incurrat, & res ejus fisco nostro socientur.

IV.

De latronibus. Si quis latronem morte dignum sibi ad occidendum traditum reservaverit, vitam indigne concesserit, medietatem damni propter quod traditus est, pro latrone componat, & si idem latro iterum in latrocinio fuerit comprehensus, quod in primis debuerat, capitali sententiæ debitum exsolvat.

V.

De mancatione qualibet. Si quis alterum præsumptione sua, vel sponte, castraverit, vel ei ambos testiculos amputaverit, integrum Widrigildum suum juxta conditionem personæ componat: si virgam abciderit, similiter; si unum testiculum, medietatem solvat. De oculis, manibus, ac pedibus, vel delingua sancimus, ut si unum horum abscissum fuerit, medietas wuidrigildi; si ambo, integritas pro factis emendatione componatur.

VI.

De Aldionibus publicis ad jus publicum pertinentibus. Aldiones, vel Aldianes ea lege vivant in Italia in servitute dominorum suorum, qui fiscalini vel liddi vivunt in Francia.

VII.

Item de latronibus. Si quis furem vel latronem comprehenderit, & eum in demnem dimiserit, neque illum ad præsentiam Ducis, aut Comitis, vel loci Servatoris, qui Missus Comitis est, adduxerit, & de hoc facto, vel nequitia post hoc in præsentia judicium convictus fuerit, ipse damnum ad existimationem, pro qua fur, aut latro comprehensus est, componere cogatur.

VIII.

De servis fugacibus. Ubicunque intra Italiam sive Regius, sive Ecclesiasticus, vel cujuslibet alterius

terius hominis servus fugitivus inventus fuerit à Domino suo, sine ulla annorum præscriptione vindicetur, ea tamen ratione, si dominus Francus, sive Alemannus, aut alterius cujuslibet nationis sit. Si vero Longobardus, aut Romanus fuerit, ea lege servos suos vel acquirant, vel amittant, quæ inter eos antiquitus est constituta.

In nomine patris, & Filii, & Spiritus Sancti.

CAROLUS, Serenissimus, Augustus, à Deo coronatus, Magnus, Pacificus, Imperator, Romanorum gubernans Imperium, qui & per misericordiam Dei Rex Francorum, & Longobardorum, dilectissimo Filio nostro PIPINO glorioso Regi, sempiternam in domino salutem. Pervenit ad aures Clementiæ nostræ, quod aliqui Duces, & eorum Juniores, Gastaldii, Vicarii, Centenarii, seu reliqui Ministeriales, Falconarii, Venatores, & cæteri per singula territoria habitantes, ac discurrentes, mansionaticos parvæ redæ accipiant, non solum super libcros homines, sed etiam in Ecclesias Dei, monasteria videlicet virorum, & puellarum, & Xenodochia, atque diversas plebes, & super reliquos servientes Ecclesiarum Dei in eorum opera: iidem in vineis & campis seu pratis, nec non in eorum ædificiis illos faciant operari, & carnaticos, & vinum contra omnem justitiam ab eis exactore non cessant. & multas oppressiones patiantur ipsæ Ecclesiæ Dei, vel servientes earum. Ideoque carissimi filii, has literas ad tuam dilectionem direximus, ut hanc causam diligenter, ac prudenter inquirere facias, & si veritas est, quod ita factum sit, deinceps omnimodis emendare & corrigere studeat, quatenus in diebus nostris, ac tuis, pax Ecclesiarum Dei, sive illarum servientium in omnibus conservetur, & ut merces copiosa nobis, ac tibi, exinde jugiter adcrescat.

Audivimus etiam, quod quædam capitula, quæ in lege scribi jussimus, per aliqua loca, aliqui ex nostris, ac vestris dicant, quod nos nequaquam illis hanc causam ad notitiam per nosmetipsos constam habeamus, & ideo nolunt eis obedire, nec consentire, neque pro lege tenere. Tu autem nosti, quomodo vel qualiter tecum locuti fuimus de ipso capitulo, & ideo monemus tuam amabilem dilectionem, ut per universum Regnum tibi à DEO commissum ea nota faciat, & obedire atque implere præcipiat, de Episcopis & Sacerdotibus occisis sicut statutum habemus, & de reliquis quibuslibet causis.

Verum tamen de Presbyteris videtur nobis, ut si liber natus est Presbyter, tripla compositione secundum tuam legem fiat compositus; & si placatus fueris secundum qualitatem plagarum, vel disciplinæ, tripla compositione emendetur, qui hoc perpetravcrit. Si tamen Presbyter servus natus fuerit, secundum illius nativitatem tripla compositione solvatur in plagis, & disciplinis, & de Diaconibus similiter fiat. His expletis bene vale in Domino, fili dilectissime.

Volumus primo, ut neque Abbates, & Presbyteri, neque Diaconi, nec subdiaconi, neque quislibet de clero de personis suis ad publica, vel secularia judicia trahantur, vel distringantur, sed suis Episcopis adjudicati, justitias faciant. Si autem de possessionibus suis, seu Ecclesiasticis seu propriis super eos clamor ad judicem venerit, mittat Judex clamantem cum Misso suo ad Episcopum, ut faciat eum per Advocatum justitiam recipere. Si vero talis aliqua inter eos contentio orta fuerit, quam per se pacificare non velint, aut non possint, tum per Advocatum Episcopi, qualem jusserit ipse, in causa ipsa ante Comitem vel Judicem veniat, & ibi secundum legem finiatur anteposita, ut dictum est, persona cleri.

Vt servi Aldiones, libellarii, antiqui, vel illi noviter facti, qui non pro fraude, non pro malo ingenio de publico se abtrahentes, sed pro mala paupertate, & necessitate terras Ecclesiæ incolunt, vel colendas suscipiunt, non à Comite, vel quolibet ministro illius ad ullâ angariam, seu servitium publicum, vel privatum cogantur. vel compellantur. Sed quicquid ab eis agendum est, à Patrono vel domino suo ordinandum est.

Si vero de crimine aliquo accusantur, Episcopus primo compellatur ut ipse, per Advocatum suum, secundum quod lex est, juxta conditionem singularum personarum, justitiam faciant.

Sin vero, sicut in Capitulare nostro scriptum est, ita fiat. cæteri vero liberi homines, qui vel commendationem vel beneficium Ecclesiasticum habent, sicut reliqui homines justitiam faciant.

Volumus etiam & statuimus de plateis vel cloacis curandis unius cujusque civitatis de Regno Italiæ pertinentibus, ut singulis annis curentur. Tamen non volumus, quod exinde pandum aliquis ad partem palatii nostri persolvat, sed præcipimus, quatenus exactores singularum civitatum studium habeant, ne ante finiatur annus, quam plateæ & cloacæ emendentur, & hoc unus quisque Procurator civitatis publice ex nostra Imperiali parte admonendo præcipiat, ne prætermissum fiat.

Hæc sunt capitula quæ aliqui ex Missis nostris, ad nostrum notitiam detulerunt Anno XVI. Imperii nostri.

De his qui sine consensu Episcopi, Presbyteros in Ecclesiis constituunt, vel de Ecclesiis ejiciunt, vel ab Episcopo vel à quolibet Misso dominico admoniti obedire nolunt, ut bannum nostrum revadiare cogantur, & per fidejussores ad placitum nostrum venire jubeantur, & tum nos decernamus utrum nobis placeat, ut aut illum bannum persolvant, aut aliam harmiscaram sustineant.

II. De

II.

De Ecclesiis quæ inter hæredes divisæ sunt, consideratum est, quatenus si secundum providentiam, & admonitionem Episcopi ipsi cohæredes eas voluerint tenere, & honorare faciant. Si autem hoc contradixerint, ut Episcopus potestatem teneat, utrum eas ita consistere permittat, aut reliquias exinde auferat, & ubi ad nostrum beneficium Ecclesiæ pertinentes ita divisæ inventæ fuerint, ut deserti bantur, & nobis renuncietur.

III.

De Ecclesiis destructis, & Episcopi & Missi inquisitionem faciant, utrum per negligentiam, aut impossibilitatem destructæ sint. Et ubi negligentia inventa fuerit, Episcopali autoritate emendare cogantur, qui eam restaurare debuerant, si vero impossibilitate contingit, aut plures sint quam necesse sit, aut majoris magnitudinis, quam ut ex rebus ad eas pertinentibus restaurari possint, Episcopus modum inveniat, qualiter congrue emendare, & consistere possint.

IV.

De uno manso ad Ecclesiam dato, de quo aliqui homines contra statuta sibi servitium exigunt. Quicunque pro hac causa accusatus fuerit, Comes, vel Missus, hoc, quod deinde subtractum est, Presbyteris cum sua lege restituere faciant.

V.

De his qui nonas & decimas jam per multos annos, aut ex parte, aut ex toto dare neglexerunt, volumus, ut per Missos nostros constringantur, ut secundum capitularem priorem solvant unius anni nonam, & decimam cum sua lege, & insuper bannum nostrum. Et hoc eis denuncietur, quod quicunque hanc negligentiam iteraverit, beneficium suum, unde hæc nona, & decima persolvi debuit, amissurum se sciat.

VI.

Ita enim continetur in capitulare bonæ memoriæ genitoris nostri in lib 1. Vt, qui Ecclesiarum beneficia habent, nonam & decimam eis Ecclesiæ, cujus res sunt, donet, & qui tale beneficium habent, & ad medietatem laborant, & de eorum portione proprio Presbytero decimas donent.

VII.

Item in Capitulare nostro in lib. 2. cap. 21. de eadem. De nonis & decimis, unde genitor noster, & nos frequentes, & in diversis placitis admonitionem fecimus, & in Capitularia nostra, qualiter hæc observentur, ordinavimus, volumus, atque jubemus, ut in omni conlaborato, & de vino, & fœno fideliter, & pleniter ab omnibus nona & decima persolvatur. De nutrimine vero pro decima, sicut hactenus consuetudo fuit, ab omnibus observetur. Si quis tamen Episcoporum fuerit, qui argentum pro hac accipere velit, in sua maneat potestate, juxta quod ei, & illi, qui hoc persolvere debet, convenerit.

VIII.

Quicunque decimam abstrahit de Ecclesia, ad quam per justitiam dari debet, & eam præsumptione, vel propter munera, aut amicitiam, aut aliam quamlibet occasionem ad alteram Ecclesiam dederit, à Comite, vel à Misso nostro constringatur, & ejusdem decimæ quantitatem cum sua lege restituat.

IX.

De decimis, quas populus dare non vult, nisi quolibet modo ab eo redimantur, ab Episcopis prohibendum est, ne fiat. Et si quis contemptor inventus fuerit, & nec Episcopum, nec Comitem audire velit, si noster homo fuerit, ad præsentiam venire compellatur. Cæteri vero distringantur, ut invitiEcclesiæ restituant, qui voluntarie dare neglexerunt.

X.

Quicunque de rebus Ecclesiarum, quas in beneficium habent, restaurationes earum facere neglexerint, juxta Capitulare, in quo de operibus, nonis & decimis constitutum est, sic de illis ad impleatur.

XI.

Item in lib. 4. cap. 38. de opere, & restauratione Ecclesiarum. Considerandum est, ut de frugibus terræ, & animalium nutrimine persolvantur. De opere vero & restauratione Ecclesiarum, Comes & Episcopus, sive Abbas una cum Misso nostro, quem ipsi sibi ad hoc elegerint, considerationem faciant, ut unusquisque eorum tantum inde accipiat ad operandum & restaurandum, quantum ipse de rebus Ecclesiarum habere cognoscitur. Similiter & uvassi nostri in commune tantum operis accipiant, quantum rerum Ecclesiasticarum habent, vel unusquisque per se juxta quantitatem, quam ipse tenet, aut si inter eos convenerit, ut pro opere faciendo argumentum donet, juxta æstimationem operis in argento persolvat, cum quo precio rector Ecclesiæ ad prædictam restaurationem operis & materiam operis conducere valeat, & qui nonas & decimas dare neglexerit, primum quidem illas cum sua lege restituat, & insuper bannum nostrum solvat, ut ita castigatus caveat, ne sæpius iterando beneficium amittatur.

XII.

De illo, qui agros dominicos propterea neglexit excolere, ut nonas exinde non persolvat, & alienos scintas ad excolendum propter hoc accipit, volumus, ut de tribus annis ipsam nonam cum sua lege persolvat, & si quis contemptor aut Comitis, aut Missorum nostrorum propter hoc exstiterit, per fidejussores ad placitum venire compellatur.

XIII.

Vt de rebus Ecclesiarum, quæ ab eis per xxx. annorum spacium sine ulla interrogatione possessæ sunt, testimonia non recipiantur, sed eo modo contineantur, sicut res ad fiscum pertinentes custodire solent.

XIV.

De beneficiis destructis hoc observetur, quod in Capitulari priori continetur, id est, in lib. 4. cap. 36. Quicunque suum beneficium occasione proprii delictum habuerit, & intra annum, postquam ei à Comite, vel misso nostro notum factum fuerit, illud emendatum non habuerit, ipsum beneficium amittat.

XV.

Vt Missi nostri ubicunque malos Scabinos inveniunt, ejiciant, & totius populi consensu in locum eorum bonos eligant, & cum electi fuerint, jura faciant, ut scientes injuste judicare non debeant.

XVI.

Vt in omni Comitatu inquisitores meliores, & veraces inveniri possint, eligantur à Missis nostris ad inquisitiones faciendas, & rei veritatem dicendam & adjutores Comitum sint ad justitias faciendas.

XVII.

Volumus, ut quicunque de Scabinis deprehensus fuerit propter munera, aut propter amicitiam injuste judicasse, per fidelejussores Missus noster ad præsentiam nostram venire faciat. De cætero omnibus Scabinis denuncietur, ne quis deinceps, etiam justum judicium vendere præsumat.

XVIII.

Volumus, ut ubicunque commutationes tam de proprio nostro, quam de genitoris nostri legitimæ, & rationabiles atque utiles Ecclesiis Dei factæ sunt, permaneant. Vbicunque vero mutationes & incommodæ, atque irrationabiles factæ sunt, dissolvantur: & recipiat unusquisque, quod suum fuit. Vbi vero mortua manus interjacet, aut alia quælibet causa, quæ irrationabilis esse videatur, inventa fuerit, diligenter describatur, & ad nostram notitiam perferatur.

XIX.

Quicunque comprobatus fuerit de eo, quod scienter testes in perjurium induxisset, sub fidejussione ad placitum nostrum venire compellatur, ut ibi cum fidelibus nostris consideremus, quid de tali homine faciendum sit.

XX.

De his qui discordiis, & contentionibus studere solent, & in pace vivere nolunt, volumus, ut sub fidejussoribus ad nostrum placitum veniant, & ibi cum fidelibus nostris consideremus, qui de talibus faciendum sit.

XXI.

De bonis denariis, quos populus recipere non vult, volumus, ut hoc observetur, & teneatur, quod in priori Capitulari nostro constitutum est in lib. 4. cap. 30.

XXII.

Quicunque liber homo vel in emptione, vel indebiti solutione denarium merum, & bene pensantem recipere noluerit, bannum nostrum, id est, LX. solid. componat. Si vero Ecclesiasticus vel filius noster, aut Comitum, aut vasallorum nostrorum hoc facere præsumpserint, LX. ictus vapulentur, & si actores nostri, aut aliorum, vel advocati, eos à comitibus justi præmere noluerint, prædictum bannum componant, & ad hanc nostram constitutionem adimplendam Episcopi & Abbates, sive reliqui, qui beneficia nostra habent, adjuvent Comites in suis hominibus distringendis. Et si Comites hanc nostram constitutionem neglexerint, hoc per Missos nostros ad notitiam perferatur.

XXIII.

De homicidiis, vel aliis injustitiis, quæ à fiscalinis nostris fiunt, quia impune se ea committere posse existimant, nos Actoribus nostris præcipiendum esse decernimus, ne ultra impune fiant, ita, ut ubicunque facta fuerint, solvere cum disciplina præcipiemus.

XXIV.

Collectam ad malefaciendum fieri omnimodis prohibeatur, & ubicunque hujusmodi præsumptiones factæ fuerint, digna emendatione corrigantur. Et si per negligentiam Comitis vel factæ sunt, vel inemendatæ remanserunt, hoc ad nostram notitiam perferatur: autor vero facti, si fuerit Præpositus, vel Advocatus, sive Centenarius, vel qualibet talia dignitate prædita libet a persona, post legem emendatam in loco factam, sub fidejussoribus ad nostram præsentiam veniat: multitudo vero, sive de liberis, sive de servis sit, legitima emendatione multetur.

XXV.

De pontibus publicis destructis placuit nobis, ut hi, qui jussionem nostram in reparandis pontibus contempserunt, volumus ac jubemus, ut omnes homines nostri in nostram veniant præsentiam rationes reddere, cur nostram jussionem ausi sunt condemnere. Comites autem reddant rationem de eorum pagensibus, cur eos aut non constrinxerunt, ut hoc facerent, aut nobis nunciare neglexerunt. Similiter & de injustis teloneis, ubicunque accipiuntur, sciant se exinde nobis rationem reddituros.

Vt examen aquæ frigidæ, quod hactenus faciebant, à Missis nostris interdicatur, ne ulterius fiat.

XXVI.

XXVI.

Quicunque Vicarii, vel alii ministri Comitum, tributum, quod inferenda vocatur, majoris precii à populo exigere præsumpsit, quam à Missis bonæ memoriæ genitoris nostri constitutum fuit, hoc est, duos solidos pro una vacca, hoc quod injuste superposuit, atque abstulit, sibique retinuit, his quibus hoc abstulit, cum sua lege restituat, & insuper fredum nostrum persolvat, & ministerium amittat.

XXVII.

Postquam Comes, & Pagenses de qualibet expeditione hostili reversi fuerint, ex eo die superalta nocte sit bannus relcissus, quod in lingua Teutisca scatlegi, id est, armorum depositio vocatur.

XXVIII.

Hoc missi nostri notum faciant Comitibus & populo, quod nos in omni hebdomada unum diem ad causas audiendas sedere volumus. Comites autem & Missi nostri magnum studium habeant, ne forte propter eorum negligentias pauperes crucientur, & nos tædium propter eorum clamores patiamur, si nostram gratiam habere velint. Populo autem dicatur, ut caveat de aliis causis se ad nos reclamare, nisi de quibus & Missi nostri, aut Comites eis justitia facere noluerunt.

Hæc sunt Capitula, quæ pro lege habenda sunt.

De homicidiis in Ecclesiis, vel in atriis earum commissis hoc observetur, & teneatur, sicut in Capitulare priore constitutum, noluerit prædictum bannum LX. solid. componat.

IX.

De falsa moneta jubemus, ut quicunque percusserit, aut probatus fuerit, manus ei amputetur, & qui hoc consenserit, si liber est LX. solid. componat.

X.

Decernimus, ut quisque aliter testes habere non potuerit, aut per Comitis jussionem, quos in suo testimonio necessarios quosque habuerit, veritatem perlaturi publico conventu adducantur, ut per ipsos rei veritas cum juramento valeat inquiri. Quod si de duabus partibus fuerit inquisitio facta, idcirco, quod nullus eorum possit habere testes, antequam jurent, fiat inquisitio facta. Quod si omnes ad unam partem dixerint testimonia, jurent, verum dixisse testimonium. Et si dissenserint, aut quædam pars uni præbuerit testimonium, & alia alteri, tunc interrogetur, si audent per pugnam illorum testimonia approbare. Quod si nulla pars alteri cesserit, jurent & per pugnam probetur illorum testimonium. Et si una pars se subtraxerit, tunc illa, quæ causa fuerit contendere, recipiatur ad testimonium.

XI.

Ut per XXX. annos servus liber fieri non possit, si pater illius servus, aut mater illius ancilla fuit.

XII.

Unde nullus Cancellarius pro ullo judicato, aut scripto aliquid amplius accipere valeat, nisi dimidiam libram argenti de majoribus scriptis. De minoribus autem infra ipsam dimidiam libram quantum res exposcit, & judicibus rectum videatur, accipiat.

De orphanis autem, vel cæteris pauperibus, qui exsolvere hoc non possunt, in providentia Comitis fiat, ut nequaquam inde accipiat aliquid.

Notarii autem hoc jurare debent per singula loca, quod nullum scriptum falsum faciant, nec inocculum. Nec scriptum aliquod faciant de uno Comitatu in alium, nisi per licentiam illius Comitis, in cujus Comitatu stare debet. Quod si aliter fecerit.

Si vero necessitas itineris aliquem compulerit, aut infirmitas gravis, secundum Capitulare Domini, & genitoris nostri faciat.

SANCTIO.

Placuit nobis, ut hæc Capitula, quæ excerpsimus de Capitulis sanctæ memoriæ aut nostri CAROLI, ac domini nostri HLITOWICI Imperatoris, ab omnibus Sanctæ Dei Ecclesiæ, seu nostris fidelibus in Regno Italiæ consistentibus pro lege teneantur, & conserventur; & quicunque hujus Capitularis contemptor extiterit, LX. solid. componat, sicut in Capitulis prædicti Domini avi.

Ab ipsis Saxonibus CAROLO MAGNO imp. adscribitur, tamquam ejus auctori.

SPECULUM SAXONUM, QUOD JUS PROVINCIALE vulgo nuncupatur, ex Impp. Constantinorũ, Carolorum, Ludovicorum, Ottonum, Henricorum & Friderico-rum Augg. constitutionibus collectum ac compositum ab Eccone de Repkau Equite Saxone, & Assessore Imperialis Cameræ Magdenburgensis.

PROLOGUS.

DEUS, qui est Principium & Finis omnium rerum, in principio creavit hominem, quem paradiso, ut ei obediret, collocavit. Propria ipse elatus superbia, obedientia facta ejus contempta, malum tam pœnæ quam culpæ in suam progeniem dilatavit. Quamobrem unusquisque nostrum secundum prævæ voluptatis affectum oberravit, quousque nos suo pretioso sanguine redemit, legemque vivendi nobis ostendit, quam & gloriosissima morte confirmavit sua. Quare, secundum quod nobis eam sanctissimi Patres ac Romanorum Principes, præsertim vero CONSTANTINUS ET CAROLUS divæ memoriæ, edocuerunt, nunc observamus.

ARTICULUS I.

DEORUM gladiorum potestatem, spiritualem scilicet & secularem, ad defendendum suum populum, CHRISTUS in sua approbavit Ecclesia; ex quibus Apostolicum spiritualem, & Romanum Imperatorem secularem habere, nemo ambigit. Ob quorum figurationem, Apostolico super equum Candidum equitare constitutum est, & in ascensu ejus, à Principe sella, ne decidat, tenebitur. In quo significatur, ut si qui in obedientes Apostolico existerent, à Principe adobediendum, & è contra, cum necessitas hoc exegerit, dummodo exercitus fuerit, compellantur.

ARTICULUS II.

1. Quilibet Christianorum adultus, ter in anno Synodo se præsentare tenetur.

2. Libertas est etiam tripartita, quorum primi Episcoporum Synodum quærere solent, & si Banniti dicuntur: Propietarii summorum Præpositorum: Pagani autem Archipresbyterorum.

3. Simili modo & secularia judicia quærere solent, scilicet banniti Comitum, quod xvii. septimanis exponetur sub banno Imperatoris.

4. Si autem in numero quindenali pro violentia aliqua à superiori, judiciali termino judicium expositum fuerit, etiam ibidem venire tenentur, ac per id omne eorum proprium bannitu contra judicem omnino liberum faciunt.

5. Propietarii jure necessario suorum Præfectorum judicium quærent, quod sex septimanarum spacio provocetur; & ex his, si opus fuerit, præco eligatur.

6. Pagani proprium non habentes, suorum Gegraviorum judicium expectent. Ibi & in omnibus legitimis judiciis, debet unusquisque sculteus clamores illatarum injuriarum, & humana vulnera, alii ab alio illata, & comminationes ac evaginationes gladiorum, factas in damnum aliorum, & hos, qui ad judicium, cum tenebantur, non venerant, & omnemque injuriam pœnæ mortis, vel membrabscissione puniendam accusare, si coram judicio non fuerit incepta, alioquin ea non accusabit.

ad, omnes injurias, quæ in vitam, vel in cutem judicantur.

ARTICULUS III.

1. Origines, septem fore seculi ætates, quodque in septimana finiri debeat, enarravit, & sicut in scripturis appareat, quælibet seculi ætas, per mille annos est repræsentata. In Adam incepta prima, in Noe secunda, in Abraam tertia, in Moyse quarta, in David quinta transmigratione Babylonis sexta, in Christo septima, in qua nunc sumus sine finis certa notitia.

2. Sic

2. Sic etiam Clipeus seu Cingulus militaris in septimo terminatur. Et primum habet Rex Romanorum: Secundus Episcopi, Abbates & Abbatissæ, qui & superillustres dicuntur. Tertium laici Principes, ex quo facti sunt Episcoporum subditi & vasalli, qui illustres nuncupantur. Quartum Nobiles & Liberi domini. Quintum prædictorum Nobilium vasalli, & etiam banniti. Iplorumque ulterius vasalli tenent sextum.

3. Sicut autem in septima seculi ætate, quoad finem est Ecclesia incerta; sic nec scitur, an cingulus militaris in septimo existit.

4. Laici tamen Principes, cum facti sunt Episcoporum vasalli, sextum cingulum in septimum reduxerunt.

5. Sicut etiam cingulus in septimo, & seculum in septima finitur ætate, sic gradus cognitionis in septimo terminatur

6. Nunc itaque consideremus ubi cognatio incipit, & in quo membro finiatur. In membro capitis, masculus & fœmina, qui quæve legitime contradixerunt, constituuntur. In colli & corporis membro eorum proles, quæ de eodem patre, & eadem matre originem produxerunt. Si autem de iisdem non sunt progenitæ parentibus, non in eodem membro constituuntur, sed transeunt in gradum remotiorem.

7. Contrahant etiam duo fratres cum duabus sororibus, & tertius eorum frater sibi alienam sub arraverit, superdixerit q; sponsam, filii nihilominus eorum indistincte ad succedendum alter in alterius hæreditatem admittuntur, dummodo in eadem sunt dignitate propagationis.

8. Indistinctorũ fratrum filii, in membro annexionis brachii & corporis ponũtur: itidẽ & sororũ pueri, isti primũ gradum obtinent, fratrum videlicet, sororumve proles, qui & nepotes appellantur.

9. In membro cubiti secundus est gradus, & hi pronepotes dicuntur.

10. In conjunctione manus & brachii, ubi tertius, qui ab nepotes nuncupantur.

11. In membro manus & digiti medii, ubi quartus gradus, illi antenepotes nominantur.

12. In secundo membro digiti, ubi quintus gradus, qui trinepotes dicuntur.

13. In tertio membro quadrinepotes, ubi quintus gradus.

14. In septimo unguis & non membrum reperitur, & ideo ibi cognatio terminatur.

15. Qui à primo gradu usque ad ultimum se æque in gradibus computant, æque hæreditatem dimissam percipiunt. Qui autem se in proximiori gradu huic, de cujus hæreditate agitur, probaverit; præferuntur ei, qui ulteriorem obtinet gradum.

16. In septimo gradu terminatur cognatio, in percipiendis hæreditatibus, quamvis in quinto gradu Apostolicus matrimonia contrahere concessit. Qui tamen nullam decretalem in nostri juris feudalis, & civilis, poterit condere præjudicium.

ARTICULUS IV.

1. Super nanos, & homuncios, & hermaphroditos, nullum descendit feudum, aut hæreditas. qui autem propinquiores illorum existunt, id, quod ad ipsos pervenire ex bonis cernitur, accipiunt, ac illis necessaria sumministrabunt.

2. Nascitur etiam puer surdus aut mutus, sine pede aut manu, idq; cum natus sit, demonstretur, jure civili hæres quidem existere potest, sed non jure feudali. Si autem feudum ante hujusmodi tempora sit sortitus, propter superadveniens impedimentum, feudum prius acquisitum non amittit.

3. Quod & de leproso homine similiter enarramus.

ARTICULUS V.

1. Contrahat si filius tempore patris sui, cum muliere sibi in generatione coæquali, & ex ea prolem genuerit, postmodum vero, nondum ab hæreditate & bonis patris divisus, ab hac luce per mortem decesserit, proles ejus, mortuo avo, in hæreditate ejus, cum patruis & materteris accipit portionem, quod de nepotibus filiarum non est præsumendum.

2. Filia, quæ adhuc in domo est non emancipata, utensilia seu parafernam matris suæ, cum sorore, quæ jam emancipata est, dividere non compellitur. Divisionem vero rerum hæreditarium non poterit sibi denegare.

3. Mulier cum luxuria sui corporis famam quidem suam denigrare potest, jura tamen sua aut hæreditatem propter id minime perdet.

4. Clericus cum sorore sua, in utensilibus seu paraferna matris suæ, æquam habet portionem: similiter cum fratribus æquam partem in proprietate, ac hæreditate obtinebit. Impossibile v. est, quem clericum nominare, nisi sit doctus, ordinatus, & tonsuratus, priusquam hæc ad eum jure hæreditario pervenerunt. Vbi vero mulier fratrem non habet superstitem, nisi clericum, ipsa sibi in hæreditatis perceptione.

5. De clerici vero bonis post mortem ejus nemo utensilia potest postulare, quia res hæreditariæ sunt omnia, quæ sub ipso temporis inveniuntur.

6. Non emancipata mulier, utensilia matris suæ cum fratre clerico beneficiato, aut præbendato, non dividet.

7. Cum quibuscunque bonis homo moritur, hæreditas appellatur.

ARTICULUS VI.

1. Cum quibuscunque bonis homo moritur, hæreditas appellatur.

2. Qui hæreditatem percipit, debita solvit, quantumcunque hæreditas in mobilibus vel sese moventibus perdurabit aut extenditur.

3. Furta, spolia, lusorie perdita, solvere non tenetur, nec aliqua debita, nisi de quibus hereditas fuerat ampliata, vel quæ hæres personaliter fuerat stipulatus, hæc solvet: Si ei erunt per testimo-

a al. Originalium. nium septuaginta duorum bannitorum, aut totidem legitimorum a Latinorum, prout juris ratio exposcit, declarata.

4. Si autem actor suis voluerit renunciare testibus, & in jure civili aut feudali heredem impetierit de scientia sua, tunc necesse est, ut de sua scientia dicat veritatem, & si falsus fuerit, solvere debet. Si vero negaverit, ignorantiam suam jure jurando confirmabit: & ut lic. absolvetur.

5. Debita etiam defuncti heredibus ejus persolventur.

6. Debita, quæ homo personaliter debet, non inducunt talem pronunciationem. Sed si impetitus ea fatcatur, solvere tenebitur. Si vero negaverit, manifestissimum est, jurare eum oportere.

ARTICULUS VII.

1. Si quis ab alio quid accommodaverit, mutuaverit, seu quicquam stipulatus fuerit, hoc reddere debet, & ad implere, & quicquid fecerit, hoc ipsum ratum & gratum habere tenetur. Si vero postea negare voluerit, suo seoccasione illius liberabit juramento, dummodo coram judicio non fuerit factum, nam tunc actor, cum testimonio duorum virorum, & judicis, eundem convincet.

ARTICULUS VIII.

1. Proprietas & proprium appellatur possessio seu fundus, qui à nullo recipitur in feudum vel hæreditatem, sed per successionem devolvitur ad hæredes, absque aliquo tributo successoris.

2. Ubicunque proprietas donatur seu impignoratur, aut testimonium, derogationem juris, vitæ, aut sanitatis cujuscunque concernens, ferri contingat, hoc judex metseptimus, cum his, qui coram eo sententias jure adveniunt, comprobabit.

3. Testimonium autem præconis vice stat duorum, ubi testimonium septem virorum agetur, id est, ubi septem testibus probanda venit causa.

4. Sua emenda pari modo, & wer geldus, id est, recompensa, est duplex, secundum conditionem naturalem, ab eo tempore, quo præco electus est.

5. Transactio, id est, reconciliatio, & pax stipulata, seu jurata, in judicio concepta, cum duobus testibus & judice protestetur. Si vero extra judicium facta fuerit, testimonio septem virorum comprobatur.

ARTICULUS IX.

1. Proprietatem alteri in judicio dare, qui fuerit stipulatus, ubi & pecuniam emptor dederit proprietatis donatori, & donator priusquam donatio perficiatur, ab hac luce decesserit, donatio per hæredes ejus erit adimplenda; dummodo ab altero pecunia integre fuerit persoluta.

2. Idem est de bonis mobilibus censendum.

3. Quicunque etiam cum aliquo convenerit, & stipulatus fuerit sibi sua bona feudalia, coram feudi domino, resignare, dummodo ab altero infeudatio procuretur: & si is ante hujusmodi infeudationem morietur, ejus hæredi feudali, si extat: alioquin vero hæredi præfatam resignationem, & infeudationem heri sancitum est, dummodo pecunia stipulata integre fuerit exsoluta, aut hæredi pecuniam super hoc datam restituere oportebit.

4. Idem per omnia est, si quis cum domino feudi convenerit de certis bonis, libere in feudandis.

5. Si vero is, qui prædictam debeat facere resignationem, promiserit in feudationem alteri procurare, & si hoc fecerit, ac sibi cum testibus insinuaverit, ipsique hujusmodi infeudationem sine impedimento legitimo denegaverit acceptare, insinuamus de cætero à prædicta procuratione fit immunis: Si dominus vel moriatur, vel suam variaverit voluntatem, resignationem tamen facere tenebitur, si postea ipsemet prius recusatam infeudationem de novo à domino poterit implorare.

6. Qui etiam alteri ante resignationem & infeudationem, bonorum dimiserit possessionem, ipse ejusdem debet esse varendator, cum alter ipsius varendatione indigebit. Si vero ab eodem hujusmodi possessio jure evincatur, pecunia super hoc data, merito est restituenda.

7. Filius etiam resignationem promittentis, nisi ipsemet stipulatus fuerit, aut fidejussores super hoc dederit, adimplere non tenetur.

ARTICULUS X.

1. Si pater filio suo vestimenta, equos, aut arma donaverit, tempore quo donationem perficere potuerat, & filius eisdem uti valeat, donata hujusmodi post mortem patris cum fratribus dividere, aut domino patris, seu patris heredibus, dato, quod in generatione sibi non fuerit æqualis, reddere non tenetur: etiamsi filius à patre in bonis non sit emancipatus.

ARTICULUS XI.

1. Pater, si post mortem matris filios sub tutela habuerit suos, postquam sese ab invicem separaverint, ipse eisdem omnia bona materna (nisi præter ipsius culpam perierint) restituere tenetur.

2. Idem de matre post mortem patris, & de alio quolibet tutore est.

ARTICULUS XII.

1. Vbi fratres aut alii bona habuerint indivisa, eorumque servitiis, laboribus & expensis ea meliorari & augeri contingat, utilitas & fructus in his conjunctim omnibus ascribetur. Idem de damno est intelligendum.

2. Quicquid autem aliquis cum uxore sua receperit, in hac parte cum sociis suis, & fratribus, dividere non tenetur.

3. Si enim

3. Si etiam quis bona sua ludo, luxuria, donatione, aut alia prodigalitate dissipaverit, in idque fratres, seu socii sui non consenserint, damnum, quod ex his evenit, dissipantis est proprium, & non suorum fratrum, aut locitorum.

ARTICULUS XIII.

1. Emancipati liberi post parentum obitum, ad divisionem hæreditatis cum non emancipatus minime admittuntur nisi prius cum juramento bonorum, cum quibus emancipati fuerint, (præter utensilia & res expeditorias) fecerint collationem. Et si cum bonis immobilibus emancipentur, pro his non se potuerint sacramentaliter liberare. Si vero divisioni hæreditatis renunciarunt, carere debent eadem, nisi se juratorie studeant expurgare.

2. Pro renunciatione autem judicialiter facta, si probari valeat, non potuerint jurare.

3. Sculteetus etiam contra paganum, in hujusmodi causa, vice judicis in judicio testificetur.

ARTICULUS XIV.

1. Quamvis, jure feudali, dominus duntaxat unum de filiis cum feudo patris mortui valeat infeudare, non tamen est jus terræ, quod illud solus debeat retinere, quin fratres ipsius ad æqualem admiserit in feudo portionem.

2. Si etiam non est jus terræ, si pater unum de filiis suis cum feudo sua emancipaverit, quod ipsum post patris mortem solus cum fratribus suis, divisione facta, valeat obtinere. Unde etsi jure quidem feudali super eo impetere eundem non valebunt, jure tamen provinciali, si contra eum agant, eundem compellent ad justam & æquam divisionem.

ARTICULUS XV.

1. Si quis alteri mobilia concesserit, impignoraverit, aut apud eum deposuerit, locaveritve, sive cum conditione, sive non; & postmodum ille, vel hæres negare voluerit, conductor seu expositor facilius illud mettertius probabit, quam quod retentor suo juramento obtinere valeat.

2. Possessor vero, si hæreditarium quid in hujusmodi reb. competere sibi monstraverit, vel quod ita est, ex fœtu suorū animaliū educatione probaverit: vel si varendā emptionis producere potuerit, ipse eas cum juramento duorum obtinebit, nisi defectum in testibus, sive in varenda patratur.

3. Incusatus de quacunque re, quæ apud eum non apparuerit, suo se poterit excusare sacramento. Quæ autem apud eum sensibiliter demonstrari poterint, in his per juramentum non evadet.

ARTICULUS XVI.

1. Nemo sibi aliud jus, nisi quod ei sua tradiderit propagatio, usurpare poterit. Qui si super eo in judicio contenderit, & in probatione defecerit, cadet jure ab utroque, nisi sit servus manumissus, cui libertatem jura conceduntur.

2. Vbi filius est liber & legitimus, patris nanciscitur jura. Si autem pater vel mater in ministerialium consistit conditione, eum, vel eos erit proles secutura.

ARTICULUS XVII.

1. Moritur autem vir sine liberis, pater, si fuerit, sin autem, vocetur mater, & in successione fratribus præferatur.

2. Patris matrisque, fratris vel sororis hæreditatem, filius percipit, & non filia, nisi filius non superstit accepturus.

3. Quando autem ad hæreditatem soror non pertineat, neque frater, omnes qui se in uno gradu cognationis existere probaverint, sive sit vir, sive mulier * æquam hæreditatis percipiant portionem. In his enim sexum non discernemus, quare hæredes accelerantes appellamus. Attamen utriusque sexus nepotes, in successionibus, patribus & matribus, sororibus & fratribus defunctorum præferantur, eo, quod successio non respicit gradus ascendentium & collateralium, quamdiu descendentium gradus genitoribus suis in generatione æquales inveniantur. * *Vide sup. tit. 22. §. 3. infra.*

4. Si quis alii in generatione fuerit inæqualis, hæreditatem ejus non percipiet.

5. Suevi etiam de fœminea cognatione, hæreditatem non accipiunt, eo, quod in eorum generatione omnes fœminæ propter prædecessorum fœminarum vitia, sunt exhæredatæ.

ARTICULUS XVIII.

1. Triplicata jura Saxones, præter consensum CAROLI Imperatoris sunt consecuti, jus Sueviæ in odium fœminarum. Secundum, quod quicquid Saxo in judicio non fecerit, si sacramentaliter negare voluerit, hoc quidem facere potest, convincibili probatione aliqua non obstante. Tertium, quod nulla in terra Saxoniæ coram Imperio sententia, tam vera & justa promulgatur: Saxo si eam increpare voluerit, deferens manui dexteræ suæ, multitudinique majori, & si septenus alios septem debellaverit, tunc major pars vincentium sententiam obtinebit.

2. Ad hæc, omnia eorum antiqua jura consuetudinaria, ab aula Christianæ fidei non deviantia obtinuerunt.

ARTICULUS XIX.

1. Suevis, tam res expeditorias, hoc est arma bellica, seu hergevveth, quam hæreditarias, non solum in septimo tollit gradu, sed quousq; computare poterit se ad eum, de cujus hæreditate agitur, jure agnationis pertinere: & quousque probare poterit, quod prædecessor illius sui in generatione prædecessoris, vel è converso, res expeditorias susceperat, vel in judicio eas acquisiverat.

2. Suevi etiam inter semetipsos, & intra districtum Suevorum, licite à sententia appellabunt, eamq; non esse admittendam, Suevus ad antiquiorem eorum genealogiæ discutiendum deferet, quem & nominare oportet, & ad plurimos sententiæ consentientes, ac ad superiorem locum judicialem in judiciis celebrandis provocando, ac sese trahendo.

3. Sueve

3. Suevorum jura non discrepant à Saxonicis, nisi in successione hæreditatum, & appellationibus.

ARTICULUS XX.

1. Nunc intellige, quid unusquisque militaris ordinis, suæ uxori, seu hæredum assensu, nomine dotis erogare valeat, antequam cum ea ad prandium discubuerit; Servum impuberem, vel ancillam inennem, fepes, & ædificia carpentata, pecoraque pascualia, id est, quibus non laboratur, eidem libere erogabit.

2. Vbi vero ad mulierem loca ædificiorum non pertinent, post mariti sui mortui tricesimum, infra sex septimanarum tempus, tenetur sine foditione, carpentata deportare. a Si autem damnum per fodimentum illatum domino fundi illud rependere, secundum arbitrium paganorum, fuerit parata, eo nolente, extunc ædificia exfodientur, dummodo sic fiat terrarum reparentur.

a ol. Si aut prahuerit hæredi ædificia redimere secundū arbitrium paganorum, ipsis noluerit, extunc ædificia ipsa possunt dummodo solvat & ipsis ea reparentur.

3. Permanserit autem mulier cum mariti hæredibus per tempus breve vel spatiosum, non separatis emolumentis, cum se ab hæredibus separaverit, accipiet omne jus in rebus, quæ ibi protunc inventæ fuerint, sicut debuisset in tempore viri sui mortis suscepisse.

4. Manserit vero vidua in bonis mortui mariti sui cum filiis suis indistincte, filiusque matrimonium contraxerit, mortuo postmodum filio ejus, mulier in dotibus ac utensilibus, & in domesticis cibariis percipiendis matri suæ præferetur, quodque ipsa mater adhuc dotem nun acceperit, non obstabit, & è converso est, si filius in bonis matris decesserit, materque probare poterit possessionem pacificam, prætacta mater in perceptione dotis, juribus nurui præponetur. Dotem mulier proprio obtinet juramento, ad possessionem vero testibus indigebit.

5. Sic etiam cognata ejus, si uxor viro præmoriatur, facilius quam mater mariti, utensilia obtinebit. Sed & neptis, potius quam mater viri obtinet supellectilem materteræ.

6. Filius est hospes in possessione matris suæ, & è converso.

7. Omnes qui de militari non consistunt progenie, non nisi suum validiorem equum, vel animalia campestria, nomine dotis suis uxoribus possint erogare. Dotem mulier obtinet cum juramento sine teste.

ARTICULUS XXI.

1. Licite etiam datur dotalium, hoc est vitæ provisio, mulieribus, in virorum proprietatibus, quantumcunque juvenes sint, cum consensu hæredum, in judiciis, in quibus sunt situatæ, dummodo ibi sit bannus Regalis.

2. Dotalitium, id est vitæ provisionem, mulieribus nullus infringere potest; neque hæredes jam nati, neque posthumi, nisi ligna fructifera succiderent, vel ascriptitios bonorum, hoc est homines seu rusticos ad bona pertinentes, propellerent, vel quovis alio modo dotalitii dominium in alium transferant, idque in spatio competenti, postquam requisitæ fuerit jure non revocent.

3. Divortium si fuerit jure celebratum, mulier nihilominus dotalitium sibi in proprietate viri donatum obtinebit.

ARTICULUS XXII.

1. Hæres defuncti, licite ad viduam, servandarum causa rerum, ne pereant, infra tricesimum intrabit. Secundum ejus voluntatem vidua sepulturam procurabit. Nullam autem, præter id, in bonis defuncti, usque ad tricesimum, ampliorem hæres habebit potestatem.

2. De hæreditate primum detur familiæ pretium de servitum, usque in diem obitus patrisfamilias, & ipsis mercenariis, usque in diem tricesimum in expensis procuretur, quo eis provideant ut alicubi recipiantur. Si autem hæres ipse velit, usque ad tempus constitutum permanere tenebuntur, & plenam mercedem accipere. Si etiam pretium plus, quam deservierunt, sunt consecuti, hoc hæredi reddere non tenentur. Et si hæres mercenario mercedem anni negaverit, vel dimidii, hoc sacramentaliter contra hæredem obtinebit. Qui super gratiam se in servitio collocavit, hæredem per gratiam moneat. Si autem moriatur mercenarius autem tempus constitutum merces promissa, secundum ratam temporis usque ad ipsius servientis obitum, ejus hæredibus detur.

3. Post hæc vidua cum hærede domestica dividat cibaria post tricesimum, in omnibus curiis, vel in ejus potestate super extantia.

4. Tum & vidua res expeditorias, hoc est, arma bellica præstet, quæ sunt, gladius mariti, cum validiore equo sellato, & meliora arma, quæ tempore mortis possidebat, pro uno homine spectantia, cussinus cum lectulo, linteamen cum mensali uno, duæ pelves cum manutergio. Hæ sunt res expeditoriæ vere, quæ debentur, licet multi multas alias res appoluerunt. Quaslibet harum rerum, quas vidua non habet, non videtur dare oportere, dummodo pro qualibet earum suum interponet juramentum. De apparentibus, quilibet vir aut mulier, non jurando, sed cas præstando, absolvitur.

5. Vbi duo vel tres ad unam expeditoriam rem nati sunt, senior gladium tollit, in cæteris quilibet accipit suam portionem.

ARTICULUS XXIII.

1. Vbi filii innennes existunt, agnatus expeditorias accipit res, & in his eorum usque ad annos pupertatis tutor erit. Adveniente tempore pupertatis, easdem cum omnibus perceptis reddat, nisi probaverit ipsas in utilitatem eorum se impendisse, vel absque sua culpa violenter & casu fortuito perdidisse.

2. Dato,

2. Dato, quod pater suæ sit factus potestatis jure feudali, verus tamen tutor pupillum in rebus potest & debet gubernare, & domino pueri, secundum jura pupilli, debitam præstare servitutem, quamdiu propter infantiam & indiscretionem se nequit gubernare.

3. Tutor vero pueri hæredibus percepta singulis annis tenetur computare, & ei vel eis satisdare, id est, cautionem facere, quod pupillares res ab eo non parve consumantur, quamdiu puer in ætate consistit pupillari.

4. Sæpius tamen accidere solet de jure alium esse tutorem, & alium hæredem. Vbi autem tutela & hæreditatis successio in unam concurrunt personam, tunc neque satisdare compellitur, neque alicui rationem & computum facere.

5. Ipse etiam viduæ tutor erit, quousque matrimonium contraxerit, si ei in progenie fuerit comparatus.

ARTICULUS XXIV.

1. Post res expeditorias acceptatas, tollet mulier dotem suam, ad quam equi cum vaccis, & cæ-
præ cum porcis, qui & quæ gregatim pascantur, & ædificia, quæ nondum in toto constructa, sed nec
tecta sunt, tum etiam virgulta, & palos, quibus sepes constituuntur, pertinere dinoscuntur: similiter
sepes & carpentata ædificia. Crassati autem porci non his, sed domesticis cibariis applicantur.

2. Postea tollit mulier utensilia, & quæ ad ea numerantur, ut aseres & oves, cistas columna-
tas, id est, cum elevatis tectaris, omne filum nereatum, lectulos, id est, pulvinaria, cussinos, linteami-
mina, mensalia, balneamina, manutergia, cum pelvibus, caldear seu patellam pro coquenda cerevi-
sia, quæ muro affixa non est, sed pretio aliis ex loco mota conducitur, candelabra, linum, vestes mu-
liebres, annulos, brachialia, id est brachiorum ornamenta serta, omnes libros, qui à mulieribus usi-
tantur, & ad Dei cultum pertinent: Parvas cistas, cortinas, perpendicula cum velaminibus, & velamen
cum ornamentis.

3. Adhuc sunt quædam clenodia ad eam pertinentia, ut specula & acus, ac alia, quæ per transi-
euntur.

4. Pannum autem non sarcitum, ad mulierem vestimenta competens, & aurum per artifici- *a al pannum a sarcitum seu insertum.*
cem non operatum, ad ipsas mulieres non pertinebit.

5. Omnes res aliæ, præter nominatas, hæreditariæ appellantur.

6. Et si prædictarum rerum aliquæ, tempore mariti, loco pignoris fuerint obligatæ, eas, si vo-
luerit, is redimat, cui de jure debentur.

ARTICULUS XXV.

1. Clericus dividet cum fratribus, ad quam divisionem monachus non admittitur.

2. Monachetur autem puer, & si minor annis exiverit, jura feudi & civilia recuperabit. Si au-
tem adultus monachatur, ex tunc juribus feudi & civilibus est omnino alienus, ac feuda sua libere ad
dominum suum revertuntur, nam militiæ cingulo renunciavit, si religio ejus cum monachis, ubi effe-
ctus fuerat monachus, vel cum septem viris ei in generatione æqualibus, poterit comprobari, qui
eum viderunt religiosum. Et si in probationis anno exiverit, credat minime jam dimissum se statum re
habiturum.

3. Si autem religioni vir, sine consensu speciali suæ uxoris, fuerat emancipatus, & ipsa eum ju-
re possit synodali, repetitus non feudi jura, quibus renunciavit, obtinebit, sed tantum modo civilia:
quia militiæ cingulo renunciandi, vir sine consensu mulieris, liberam habet potestatem.

4. Moriatur si puer juvenis, vel monachetur, qui res ejus habent, tenentur suo hæredi,
qui eas post mortem ejus accepturus esset præsentare, nisi forsan de ipsius fuerint consumptæ volun-
tate.

ARTICULUS XXVI.

Imp. Fridericus I. Aug.

1. Si Monialis in Abbatissam, aut monachus in Episcopum eligatur, per hoc ab Imperio mi- *Ex libro Fre-*
litiæ cingulum, & non jura civilia, acquirere possunt. *derici Imp. cap. 1. ubi testatur Obs-*
ad hunc. art.

ARTICULUS XXVII.

1. Quælibet mulier militaris duabus viis hæreditatem post se relinquit, & in suos hæreditat: Vtensilia in propinquiorem cognatam, quæ ei ex fœmineo genere adhærebit, hæreditatem vero in
proximum, sive masculus sit, sive fœmina, relinquet.

2. Masculus consimili modo militaris, duabus personis videtur hæreditatem dimittere: res
expeditorias, id est, arma bellica, in proximiorem agnatum, hæreditarias vero in proximum cujus-
cunque sit sexus, dummodo ei in generatione sit æqualis, relinquet.

3. Cæteri vero cingulo militiæ carentes, post se tandummodo hæreditatem dimittunt perci-
piendam.

ARTICULUS XXVIII.

1. Quicquid talium rerum, videlicet expeditoriarum, utensilium sive hereditariarum morte
alicujus, hæredibus non extantibus, relictum sit, post tricesimum Judici vel præconi, si hujusmodi res
ab eodem postulatæ fuerint, præsententur, qui eas per annum & diem, hoc est, per annum & sex se-
ptimanas integras, hæredibus expectatis, si forte venerint, integraliter conservabit. elapso v. hoc spa-
tio, eas in usus convertet suos, nisi forte hæres teneretur captivus, vel in Imperii servitio constitutus
esset;

esset, vel ad limina sanctorum exul factus, nam tunc se in his negligere non potest, sed judicem eum expectare oportere est manifestum. Prædictam vero regulam de mobilibus intelligi debere judicamus.

ARTICULUS XXIX.

1. Proprietas & fundus non nisi post tricesimum & unum annum diemque & sex septimanas, adversus Saxonem in Saxonia præscribuntur.

2. Imperium & Sueyus in suis hæreditatibus tacendo se negligere minime possunt, quandiu in probatione non deficiant.

ARTICULUS XXX.

1. Quilibet advena in percipienda hæreditate succedit, non secundum suæ personæ, sed secundum jura terræ Saxoniæ, cujuscunque etiam sit, Bavariæ, Franciæ, vel Sueviæ nationis.

ARTICULUS XXXI.

1. Maritus & uxor bona inter se possident indivisa. Si autem viro vivente mulier decesserit, nulla mobilia præter utensilia: proprietatem vero si possidet, in proximum hæredem relinquet.

2. Nulla etiam mulier de suis rebus in alium transferre quidquam potest, quod hoc dissentiens maritus sustinere cogatur.

3. Postquam vir mulieri copulatur, tunc omnia ejus bona in suam accipit tutelam, ideoq; mulier nullam ei facere potest in suis mobilibus vel proprietate donationem, ut per id post mortem ipsius a veris ejus hæredibus alienentur. Et ex eo apparet, quod vir in substantia suæ uxoris non potest jus aliud sibi vendicare, nisi eam, quam circa dispensationem in actus est, tutelam.

ARTICULUS XXXII.

1. Nulla mulier usumfructum sui dotalitii, sed nec ejus heres, potest fundi proprietatem sibi vendicare, quamdiu appareat, quod in eo dotalitium sit sibi concessum. Quod si attentaverit, hujusmodi fundum reformati dotalitii suam esse proprietatem dixerit, ac repulsam jure in eo patietur, utrumque, hoc est, tam dotalitium quam proprietatem, perdit.

ARTICULUS XXXIII.

1. Nunc considerate de imprægnata muliere, quæ se in viri sepultura vel tricesimo ostendetit parituram, & postmodum partus vivus fuerit emissus: idque mulier cum quatuor viris, qui eum plorantem audierunt, & cum duabus mulieribus, quæ ei in partu ministraverunt, poterit comprobare. Posthumus huic sui patris hæreditatem obtinebit. Qui si posthac moriatur, in matrem suam eam transfert, si ipsa ei in generatione poterit coæquari; *a* & infringit omnem in patris fendo expectantiam feudalem; & tunc feuda ad dominum revertuntur, quia puer humanus & vivus post patris mortem apparebat. Si vero puer Ecclesiæ manifeste præsentetur, omnes, qui eum audierunt & viderunt, ad testimonium ejus vitæ admittantur.

a al. & dirimit omnis possessionis spem in feudo patris, eo, quia post mortem patris vixit, omniaq; feuda patrui vocabunt Domino, à quo tenebantur; si puer fuerit ostensus sanus & salis, quod vivere potuisset. b al. ut eximde judici objequia præsta re posset.

ARTICULUS XXXIV.

1. Sine judicis licentia potest quis suam alienare proprietatem, dummodo alienationi ab hæredibus assensus præbeatur, & dummodo ab alienatore dimidietas mansi & soli, id est, curiæ fundi, in qua currus verti poterit, reservetur, *b* de quo satis judici in jure fiat.

2. Si quis proprietatem suam domino ita dederit, ut eum eaper dominum vice versa infeudetur, ista donatio domino non proderit, nisi eam proprietatem per annum & diem libere possideat, pacto hoc spacio eandem proprietatem in feudum conferre secure potest, quia deinceps donator de suare in hac hæreditate vel proprietate monstranda non audietur: nec ipse donator, nec hæres suus illud proprium sibi amodo poterunt in proprietatem vendicare.

3. Impediet vero Judex injuste aliquem in suæ proprietatis alienatione, cum Rex fines Saxoniæ attigerit, coram eo donandi liberam habebit facultatem: dummodo injustum judicis impedimentum demonstretur.

ARTICVLVS XXXV.

1. Thesaurus omnis subterraneus, profundius meatu aratri jacens, ad Imperii pertinet majestatem.

2. Argentum sub terra absconditum nemini excidere licet, sine proprietarii illius loci voluntate. Si vero voluntas ipsius adenerit, in operis loco advocatiam obtinebit.

ARTICVLVS XXXVI.

1. Si maritata mulier ante definita tempora maturius prolem genuerit, proles hujusmodi in jure suo increpari potest.

2. Idem est de prole viduæ post obitum mariti tardius nata censendum.

ARTICVLVS XXXVII.

1. Vxorem alicujus manifeste adulterans, vel solutam & liberam violans, posteaque matrimonium secum contraxerit, proles ex ea nunquam legitima procreabitur.

ARTICULUS XXXVIII.

1. Certantes seu pugiles, & eorum proles, hystriones, joculatores, & omnes illegitimi. vel qui pactum-

paciſcuntur ſeu concordiaverint pro ſpolio, furto, vel ea reddunt: & qui vitam, cutim, aut crines redemerint: ſi in his coram judicio convicti fuerint, notantur infamia, & juri ſunt alieni.

2. Qui per annum & diem in proſcriptione imperatoriæ majeſtatis denique ſteterit, ille juri erit alienus, & ejus feudum domino liberum vocabit; nec non ejus proprietas eſſe Imperii majeſtatis pronuncietur. Si vero hæredes ipſius proprietatem hujusmodi infra totidem tempus cum ſuo juramento non abſolverint, eandem perdunt, nec occaſione illius, ſicut nec principalis, agere potuerunt, niſi juſtum & legale eis obſtet impedimentum, quod tamen heredes declarare tenentur.

3. Miniſterialium proprietas, licet juri derogent ſuo, extra ſuorum dominorum ſucceſſionem in Regalem devenire non poteſt poteſtatem.

4. Illegitimum legitimos non poſſe acquirere liberos, indubitati juris eſt.

5. Si quis in proſcriptione Regalis culminis per annum & diem fuerit, & ſi poſtmodum ei tam matrimonium, quam juris beneficia ſententialiter interdicantur, adhuc remiſſionem ac relaxationem proſcriptionis impetrare poterit, puta ut ex ea proſcriptione non interficiatur. Capitis tamen diminutionem, quam paſſus eſt, per id non recuperabit, niſi in acie Imperatoris ſeu Regis, ubi Rex cum alio Rege pugnaverit, præferatur, lanceatumque alium invadat, tunc primum ſtatum, & non bona ſibi adjudicata, recuperabit.

ARTICULUS XXXIX.

1. Qui ſua juris beneficia ex furto aut ſpolio, ut ſupra dictum eſt, perdiderunt, ſi denuo ſpolia vel furta commiſiſſe dicantur, vel pro his accuſentur, ipſi ſuis juramentis excuſari non poterunt ſed ex his tribus actibus unum eligant congruentem, vel ferrum candens manibus portent, vel in aquam bullientem brachium usque ad cubitum imponant, aut *a* ab incurſu in area contra certantem ſe defendant; & hoc facto expurgabuntur.

a al. aut contra pugilem proprio corpore decertent.

ARTICULUS XL.

1. Qui fide fragus vel ab Imperii ſervitio profugus ſententietur, id eſt, ſi convictus fuerit de fide fracta vel quod de obſequio Imperatoris fugerit, perdit honorem & feudum, non tamen vitam.

ARTICULUS XLI.

1. Agat ſi virgo vel vidua jure provinciali contra ſuum tutorem, eo quod ipſe ejus vel earum feudum, dotalitium, aut proprietatem, ex earum alienavit poteſtate, tribusque edictis citatus non comparuerit, ut ſuſpectus abjiciatur, tutoriaque ſibi interdicatur. Et eo tempore judex ejus vel earum tutelam ſuſceperet, bonaque earundem minus juſte à condemnato tutore alienata, in prædictæ vel prædictarum revocet poteſtatem, reſtituatque omnia, quibus injuſte fuerant ſpoliatæ.

ARTICULUS XLII.

1. Ante tempora diſcretionis, & tempore ſenectutis, poteſt unusquivis tutorem habere, ſi voluerit, vel absque tutore ſui juris permanere.

2. Qui ſuum tutorem in præſenti habere non poterit, tenetur eum ad terminum propter actionem ſuam ſibi aſſignatum prætentare.

3. Poſt vigeſimum unum annum homo diſcretionis attigit annos, & poſt ſexaginta annos, dies tranſcendit eosdem. Quare tutorem ſi voluerit, ibidem habeat, nec per id emendam ſuam, ſi quis in eum deliquerit, ſed nec verigeldum diminuet.

b al. Pilos in barba, alii, & aſcelas habeat, annos attigiſſe diſcretionis dicitur.

4. Si is, de cujus ætate dubitatur, *b* pubes in locis congruentibus apparebit, annos pubertatis eum impleviſſe credendum eſt.

5. Quando puer pubes factus fuerit, licite ſuæ uxoris, & aliorum tutor eſſe poterit, *c* etiamſi duellum pro his eſſet ineundum. nam qui ſeipſum tueri valet, non prohibetur tueri ſuos pupillos.

c al. & pro monomachia regundera poterit.

ARTICULUS XLIII.

1. In violentiarum actione, quæ duellum non infert, dum & in omni manuali facto, judex mulieribus licite dabit tutorem, ſi verum ſuum tutorem pro tunc habere non poſſunt. Si autem per eam actionem alicui partium duellarum inferatur, id eſt, ſi caſu ad duellum venerit, ex tunc tutor ejus non erit alius, niſi is, qui eſt in generatione ſibi æqualis, & ad eam jure agnationis pertinet.

ARTICULUS XLIV.

1. Proponat ſi fœmina aut vidua civiliter adverſus ſuum tutorem, quod ipſe ejus vel earum bona occupaverit, vel ſi maritus uxori ſuam proprietatem in modum, propter nuptias donationis, in recompenſationem erogaverit, id eſt, dederit: In his caſibus judex ejus vel earum tutor erit.

ARTICULUS XLV.

1. Licet maritus uxori ſuæ, quantum ad progeniem, non ſit æqualis, ratione tamen conſummati matrimonii, ejus tutor eſt, & efficitur ſibi æqualis. Morienteautem viro, mulier ab ejus abſolvitur jure, & primum ſtatum, quem ante copulationem viri habuit, recuperabit, innatumque jus acquiret; & ideo non mariti ejus, ſed ei in progenie æqualis & proximior agnatus ex parte

gladii, tutor ejus erit. Exindeque mulier nulla bona sine viri consensu, donandi, vendendi, neque resignandi habet potestatem; & hoc propterea, quia ipse ea cum uxore noscitur possidere.

a al, nisi tutor ut hæres ad illa pertineat.

2. Virgines tamen & viduæ propriétates suas sine tutoris autoritate vendere possunt, *a* si tutor hæres earum non fuerit.

ARTICULUS XLVI.

b al. virgines & mul.

1. Fœminæ *b* & mulieres tutores habere debent in qualibet actione, ex eo quod judiciaria potestas in testimonio eas non poterit superare. Ubi vero juramentum ab eis fieri debere decernetur, non tutor, sed persona juret principalis.

2. Veri etiam tutores earum, varendam seu cautionem pro eis promittere debent, & eandem, si necesse fuerit, recipere & promissam adimplere.

ARTICULUS XLVII.

1. Tutor judicialis, vel ex parte judicii datus pro mulieribus & fœminis, quibus tutor abcitus est, varendam seu cautionem recipere & promittere, interrogantique judici facti veritatem enarrare debet, & nihil amplius pro stipulatione prædicta sustinere, quia expirato judicio ejus tutela expirat.

2. In omnibus judicialibus terminis licebit judici, personis hujusmodi alium dare tutorem, cum verum non habeant defensorem.

ARTICULUS XLVIII.

1. Omnes illegitimi & capite diminuti, neque in suis actionibus, neque in eorum duellis tutores habere possunt. mutilati sine tutore se defendere debent, & etiam actiones instaurare, nisi in actione parti duellum inferatur; tunc eorum tutor sit quilibet ejus in progenie similis agnatus, quid in facere voluerit.

2. Si corpore viciatus non poterit suum verum habere tutorem, cum ei actio duelli indicetur, & hoc juramento suo affirmaverit, ex tunc quicunque hoc propter eum, vel nomine ipsius facere voluerit, eidem conceditur, vel pugilem, quem saltem suis poterit ad hoc nummis comparare, habuerit, dato quod ejus tutor verus ibi præsens sit constitutus. Si vero per pugilem se defendere voluerit, pars adversa æquo modo ipsum per pugilem poterit impugnare, *c* licet ei personaliter duellum primo indicebat, nec per hoc juri derogabit suo.

c al, quamvis in principio causæ de pugile nullam fecerat mentionem: nec &c.

3. Simili etiam modo defenditur mortuus, si ei duellia verba opponantur, & cum impetente quis de commissis velit.

4. Cum certatore potest se quis defendere, ut præmissum est. Eo *d* autem modo homo in suo jure minime potest impugnari, qui est bonæ famæ.

d al. cum pugile vero non possit quis hominem bonæ famæ in suo jure convincere.

ARTICULUS XLIX.

1. Vulneratus, si suum plagiarium, vel qui cum vulneravit, per duellum convincere velit, propter debilitatem, corporis pro tunc duellum perducere ad effectum non poterit, nec habet qui pro eo id aggredi velit; Judex dabit ei inducias seu terminum assignet, quo ad id perficere possit.

ARTICULUS L.

1. Occidens, aut vulnerans aliquem, eundemque occisum aut vulneratum si judicio præsentaverit, volens eum violatorem comprobare: Si in probatione defecerit, ibidem deprehendetur, & in culpa, quam vult vulnerato aut occiso imposuit, permanebit; licet etiam ille occisus sit homo illegitimus, aut joculator, dummodo raptoribus, aut furibus non comparatur, id est, quod non sit prædo vel latro, ut illorum exemplo debeat per pugilem convinci.

ARTICULUS LI.

1. Plures sunt noxii, hoc est, absque jure, qui non sunt à matrimonio contrahendo interdicti, quia noxii, id est, jure privati contrahere possunt, & pueros eis æquales procreare; qui etiam pueri parentum suorum in hæreditate erunt successores, si ab eis non discrepent servitute.

2. Legitimus vel legitima illegitimo non succedit.

3. Dicitur etiam secundum jura antiqua, quod proles suis matribus illegitima non existat, id est, puer spurius esse non potest suæ matris, quod falsum est. Mulier enim potest legitimam & illegitimam, mancipium & liberam prolem procreare, utputa si est ancilla, potest manumitti.

4. Si fornicaria, potest contrahere & in quolibet statu prolem propagare. Si quis in quatuor suis generationibus, hoc est, ex duobis avis, & duabus aviis, ac patre & matre, indiffamati juris est, illum in jure suo nemo infamare potest, si non solus ei personaliter prius derogavit.

5. Si quis bannitus alii sibi æquali duellum objecerit, suas quatuor indiget scire generationes, locumque sui banniti, & cum nominet: alios sibi alter poterit duellum de iure denegare.

6. Si quis alterum duelli faciendi gratia invaserit, apparueritque hoc iure fieri non debere, occupantem cum emenda competenti relinquere necessarium est.

ARTI-

1. Sine hæredum consensu, & legitimo judiciali termino, nulli servum aut proprietatem alienare licet. Illustres tamen & domini sine his, id est, absque judicio, ministeriales suos commutabunt, dummodo persona commutata poterit designari.

2. Donet autem si quis hæc prædicta contra justitiam sine hæredum consensu; hæres qui fuerit ipsam proprietatem veris sententiis postulet, & eam quasi donator obiisset, obtinebit, eo quod alienavit, quod de jure alienare non potuit.

3. Omnia mobilia vel se moventia potest quis sine hæredum consensu alienare, quamdiu præcinctus gladio & clypeo, sumum dextrarium seu equum, sine juvamine alicujus, ascendere poterit, dummodo dextrarius & strepæ eiteneatur, pedibusque ejus lapis vel truncus cubitum in altitudine habens supponatur. Cum id facere nequiverit, alienandi, conferendi seu donandi, aut quicquam faciendi, ut per id hæredibus post mortem suam auferatur, nullam habebit potestatem.

4. Quæ *a* autem injuste quis subtraxerit, reddere potest; in quo receptor non donationem, sed restitutionem poterit comprobare, & jura ab eo in his prius possessa obtinere.

a al. Hoc tamen decretum potest de jure resistere, quidquid alicui abstulerit injuste.

5. Si quis in sua infirmitate de suis facultatibus injuste quicquam impignoraverit vel alienaverit, uxor ejus, sed nec familia, pro his incusari debet, eo quod ipsa vel ipsi, sive juste, sive injuste, donationi patrifamilias contradicere minime potuerant. Si quid vero injuste legatum fuerit, a legatario illud justi. per sententiam repetatur.

6. Mulier pro nulla re sui mariti respondebit, nisi pro his, quæ tempore mortis sui mariti *b* ejus cultodiæ fuerunt mancipatæ.

b al. apud ipsam relicta sunt.

ARTICVLVS LIII.

1. Qui non sequitur, quando violentia alii illata sibi notificatur; vel qui suam interpositam actionem non fuerit prosecutus; vel qui duellum indixerit jure alicui, qui per jus evadit, hoc est, jure se excusaverit; vel qui in terminis judicialibus non comparuerit, vel etiam si quid in judicio injuste dixerit vel fecerit, debita aliæ adjudicata non solverit; in qualibet prædictarum causarum judici mulctam, id est, pœnam præstet. Et in aliis omnibus, quandocunque pars adversa emendam, id est, satisfactionem acquisiverit, super emendante judex etiam mulctam obtinebit. Attamen judex sæpius mulctam in judiciis ab indisciplinate agentibus consequitur, propter quæ parti adversæ emenda non præstatur.

2. Impetat etiam, id est, alloquatur homo bona aliqua, licet ea non consequatur, ipse nec mulctam, sed nec emendam propter hoc videtur perdidisse, dum tamen ea non invaserit.

3. Si quis mulctam vel emendam tempore debito non persolverit, præco eum pro his pignorabit, & ea pignorata tam in his debitis exponere, hoc est, oppignorare poterit vel venundare. Non licebit tamen præconi aliquem pignorare, nisi ad hoc sententialiter fuerit expetitus.

4. Nemo bis mulctam præstet pro uno actu, nisi violentiam commiserit in die feriato; eaque de causa in Canonem inciderit; tunc etenim tam Ecclesiastico, quam secnlari in præstanda mulcta condemnetur: una vero emenda injuriam passo emendabit.

ARTICVLVS LIV.

1. Non debet censitus altiora seu majora pignora, quam census annualis suus constat, pro domino sustinere suo.

2. Si quis censum debito tempore non persolverit, altera die & singulis diebus, dum modo in ædibus censitorum à domino sententialiter postuletur, duplicatur.

3. Census extra fines ædium non est persolvendus.

4. Censum facilius dominus, vel ejus, qui sibi agrum collocaverat, nuncius, si per censitum fuerit denegatus, obtinebit. Quod etiam de decimis fundi, quem quis possidet, censendum est. Si vero censum censitus persolutum affirmaverit, & si hoc mettertius, qui id viderunt & audierunt, firmaverit, absolvetur.

5. Dominus pro pretio à suo fundo sibi stipulato seu promisso, sine licentia judicis licite unum pignorabit.

6. Nullus censitorum sine consensu domini sui foveas excidere, vel ligna cædere, vel ejus radices poterit exturpare, nisi hæreditario jure fundus sit suus censualis.

ARTICVLVS LV.

1. Omne jus seculare ab arbitrio & electione initium traxerit, ideoque nullus judex esse poterit, nisi qui ad hoc eligitur, vel infeudatur. Eveniat autem evidens factum in furto, vel præda violentiave, cum qua perpetrans fuerit comprehensus; ad hoc licite Gogravius, ad minus ab incolis trium villarum seu prædiorum eligatur, factum illud judicaturus, & hoc si judex ordinarius non habeatur.

ARTICVLVS LVI.

1. In Gogravio natu, id est, subito electo ad judicium, non pertinet feudum, neque successio quia de libero rusticorum consistit arbitrio Gogravium illum eligere ad præsens factum, vel ad tempus designatum.

1. Conferat autem dominus alicui hoc officium in feudum, ut sic dominus ei & suis filiis [illegible] collationem illam, & ad jura feudi obligitur, nisi hoc libera rusticorum electione eliditur, id est, infringatur, utpote quia ex officio deponeretur.

ARTICVLVS LVII.

1. Si fur vel raptor captus sit infra diem naturalem, non condemnetur seu convincatur, ulterius cum Gogravius non judicabit, sed ad infeudati judicis spectat jurisdictionem.

2. Ista de Gograviis, qui ad violentiam in continenti judicandam eliguntur, sunt promulgata.

ARTICVLVS LVIII.

a al. & tamen to pro scripta fieri potest per nectatur que judicat injurias. Quando, &c.

1. Si vero Gogravius in tempus eligitur spatiosum, Dominus provinciæ, ut Marchio, vel Comes, eum tenebitur infeudare, a & sic coram eo deliberatum rusticorum arbitrium procedit, huicque pernoctatas judicat injurias seu violentias.

2. Quando Comes, vel Dominus provincialis judicium sui Gogravii ingressus fuerit, cessat judicium Gogravii, sicut quando Rex intraverit judicium Comitis, cessat judicium Comitis, ubi Rex & Comes ambo sunt actioni præsentes.

3. Sic etiam omnes judiciorum actiones in Regis præsentia, nisi actio Regem ipsum attigerit, suspendantur.

ARTICVLVS LIX.

1. Omnimodas actiones, & injurias, ac pacem fractam, judex ubicunque locorum in sua jurisdictione cognoscere ac judicare potest: dummodo actio ipsum non tangat, excepto si sit querela occasione proprii, vel nisi bannitus criminaliter accusatur. super eo etenim judex non nisi in legitimo loco judiciali sub Imperii banno cognoscet.

2. Sub Imperii banno nemini judicare licet, nisi quis prius bannum ab Imperatore susceperit.

3. Qui bannum Regalem semel à Rege acceptavit, cum secundario, si Rex, à quo cum susceperat, moriatur, acceptare non cogitur.

4. In una Advocatia non nisi unus potest esse bannus.

5. Qui sub banno Regali cognoscit, & investituram banni ab ipso Rege nondum postulavit, suam pro eo mulctet linguam.

6. Non poterit ullus Comes, qui sub Regali banno cognoscit, legitimum habere sine suo Scultheto judicium, cui ante omnia seipsum debet præbere judicandum. Et ideo ab ipso primam, si congruum & conveniens judicandi tempus fuerit, sententiam postulabit, & postmodum eundem interroget, si ei tumultus & indisciplinata, hoc est, insolentias, inobedientiam, in judicio liceat prohibere, quæ [illegible] ab eo (quod videlicet prohibere insolentias eidem liceat) fuerit pronunciatum, tandem unusquisque de eo, quod eum tangit, mediante ferendario, suam interponet actionem.

ARTICVLVS LX.

* Sine speech.

1. Sine * Ferendario quisque agere & se defendere potest, si damnum sibi per hoc eveniens (scilicet ut emissa sibi verba damnosa retractare non possit) voluerit sustinere.

2. Judex Ferendarium quemlibet primo postulatum dare debet, & non alium, nisi jure primus absolvatur.

3. Ferendarium se esse nullus negare potest in jurisdictione, in qua residet, vel bona possidet, vel in qua jus & actionem prosequitur, nisi cognato vel domino suo, vel vasallo, hæc actio in vitam, vel latitatem, aut famam, si vinceretur, extendatur, tunc contra eos & pro ipsius inimico, juste hoc recusabit.

ARTICVLVS LXI.

1. Vbi quis aliquem convenerit, ibi licite etiam reconvenietur.

2. Nullus actor prius interponere tenetur cautionem, nisi sibi ad agendum alius terminus præfigatur.

3. Qui fidejussorem habere non poterit, nec ibidem habet hæreditatem, illum judiciaria potestas reservet, si aliquem criminaliter accusat, vel ipse accusatur.

4. Postulent unum Ferendarium duo simul, cui illorum eundem dare voluerit, in arbitrio est judicantis.

5. Proponant etiam duo simul actiones, in judice dependet, quem ex eis prius audire voluerit; secus est, si unus eorum priorem actionis propositionem poterit comprobare.

6. Opisio, id est, Titubans, si in suis dictis ceciderit, sine damno relevare & meliorare sua dicta valebit. Si etiam clientulum, cujus verba locutus est, per verba sua titubantia neglexerit, ille per alium advocatum suum poterit supplere defectum.

7. Quilibet in terra Saxoniæ jure civili, dummodo sit bonæ famæ, exceptis clericis, Ferendarius esse potest. Fidejussorem autem statuere tenetur, si ibidem bona aut hæreditatem non possideat, pro mulcta judicis, & emenda partus adversæ exsolvenda; non tamen prius, nisi eandem demeruerit.

5. Cum unus aliquem in ferendarium accipit, ille licite pro suo principali in omnibus actionibus, tum etiam in ipsius defensionibus, sine licentia iterata, pro eo referat ac edisserat, quæ necessario edisserenda veniunt. Et hoc, quamdiu jure sibi alienatus non sit, vel unus alium per liberam cessionem non derelinquat.

ARTICULUS LXII.

1. Nullus ad actionem in judicio nondum cœptam compellatur, quamdiu enim quis voluerit, sibi illatum damnum poterit subticere. Si quis autem injuriam sibi illatam clamore judiciario manifestaverit, hanc de jure debet prosequi; quia clamor judiciarius in cœptio est actionis.

2. Si quis in alterius detrimentum gladium suum evaginaverit, gladius judici applicatur.

3. Pro solo judiciario clamore non jure prosecuto, à clamante, judici tres solidi, nomine mulctæ præstantur. Si *a* vero eum prosequitur, licet reus ab ejus instantia & impetitione absolvatur, damnum pro eo nullum sentit, si duellia verba interposita non fuerunt.

4. Qui illatæ sibi violentiæ nescit autorem, ipse eum suum violatorem in actione nominet absolute.

5. Testes *b* nominati, post sex septimanarum tempora vel incontinenti, si voluerit, producantur. Debeat autem proprietas testibus probari, hoc in continenti, vel in proximo judicio fieri debet.

6. Judex semper hominem interrogare debet, si dictis sui ferendarii consentiat, sententiamque quærere debet inter duorum rationes, hoc est, juxta quærelam & responsionem.

7. Interroget autem judex secundum suum arbitrium, & non secundum modum juris, nec secundum dicta partium, nihil ad rem facere existimatur.

8. Sententia prius postulata, primo erit pronuncianda.

9. Actor & reus, in qualibet causa tribus vicibus interloquantur, quousque per præconem ad judicium revocentur.

10. In omnibus locis est judicium, in quibus judex sententialiter, hoc est, per sententias Scabinorum judicabit.

11. Manifeste coram judicio, qui ferendarium impetravit, loqui non debet: Interrogatus vero a judice, si dictis sui ferendarii consentiat, respondere cogitur: *Sic* vel *non*, vel ad colloquendum seu consultandum inducias poterit impetrare, aut sententiam increpare.

a al. Si vero causam debito modo prosequatur absq; duello, & ille evaserit periustrandum, actor liber erit à pœna, nisi forte eundem dissuaserit impetisset.

b al. Qui se obligat per testes alicui probare infra sex hebdomadas, vel statim, si queat, ut fieri necesse est.

ARTICULUS LXIII.

1. Qui duellum indicere voluerit sibi in generatione coæquali, is judicem petat, ut sibi de jure liceat suum comprehendere seu invadere violatorem, quem ibi prospicit constitutum. Cum hoc licere fuerit ei pronunciatum, tunc interroget, qualiter eum comprehendere debeat, ut ei proficiat in jure suo: pronunciabitur, *c* quod manuste, in sui superiori foramine vestimenti: postquam eum, ut sic comprehenderit, & eundem cum licentia dimiserit, quo pacto id accidit, actor debet enodare; hoc tamen cum interlocutione, vel in continenti est faciendum: Tenebiturque eundem primo incusare, quod ipse pacem in eo violavit in via regia, aut in villa, aut ubicunque hoc factum sit, debet edisserere ac declarare. Secundo accusabit eum, quod ipse ei talem injuriam & plagas appposuit, quas poterit demonstrare per vulnera & si lanata fuerint, per cicatricem. Præterea accusabit eum, quod ipsum in tantum suis rebus deprædavit, ut merito pro his alicui duellum inferatur. Istæ tres violentiæ & querelæ sunt simul ab eo proponendæ; quas si simul non proposuerit, ejus duellum evanescit. Ulterius tandem dicat: Ibi ego eum personaliter vidi personalem, & eum cum judiciario clamore infestavi; quæ si fassus fuerit, bene placeat, vel contentus sum: si vero negaverit, ego eum vincam sicut terræ incolæ vel banniti, si Regalis bannus in eo loco extiterit, esse juris promulgabunt. Posthæc reus petat actionis varendam, quæ ei est facienda. Licite tamen potest quis actionem suam ante varendæ prætitionem, instatum perducere meliorem. Post varendam factam reus ille suam præbeat innocentiam, quæ est juramentum & duelli acceptatio, si fieri potest, puta si mutilatio non interfuit, id est, si non caret officio membri alicujus, ut tuto innocentiam clypeo & gladio declarare posset, quia alias dare pugilem pro se poterit.

c al. Decernetur, quod manuste seu disciplinate, attingendo eum circa oram vestimenti, & quærat tandem, si frevelinis aut temerarium in detinendo sejè offendat, quod dimittatur, sin autem, sibi noceat, sententiabitur, quod sic, & tandem arripiat eum cum duobus digitis.

2. Quilibet homo potest duellum sibi in generatione deteriori, sed non deterior meliori denegare.

3. Negare etiam potest quis duellum, si post meridiem ei inferatur; nisi prius fuerat initiatum.

4. Judex vero clypeum cum gladio reo, si indiget, ordinabit.

5. Duellum etiam unus litigantium cognatus, si ipsi invicem sunt cognati, potest prohibere, si met septimus suo in juramento tantam inter eos esse cognationem, ut de jure invicem certare non debeant, manifestet.

6. Judex cuique duos præbere debet, qui videant, quod secundum consuetudinem præparentur. Quantum volnerint, de corio & lineo induant, dummodo frontes, id est, capita atque pedes permaneant exudati. In manibus non nisi simplices habeant chirotecas: nudam in manu quilibet habeat gladium, & cum uno vel pluribus, secundum cujusque arbitrium, præcingatur: Clypeum ligneum corio tectum, & non nisi umbonem ferreum in manu ferant, & unam tunicam in-

duant, cujus manicæ usque ad cubitum se extendant. Judex circulo pacem, ne quis eos impediat, debet sub pœna capitis demandare. Cuilibet eorum judex unum, qui arborem sub phalangam ejus secerat, ordinabit, qui ferentes neminem eorum ullatenus impediant. Sed si eorum quis ceciderit, vel vulneratus fuerit, vel arborem petierit, & judex hoc licentiaverit, arborem interponant. Postquam circulo est pax nunciata, tunc petere debent, circulum sibi à jure licentiari, quem eis judex licentiabit. De vaginis *a* ferrum non auferant, nisi hoc eis à judice concedatur.

a al. Ferrum non auferant, sine vaginarum, absque eis cenia iudicis non portabunt.

7. Ante judicem accedere debent præparati & jurare, actor videlicet, quod illa accusatio vera sit, & reus quod innocens sit, ut sic eos Deus adjuvet in suo duello. Splendor solis eis dividatur, quando procedunt. Si reus vincitur, condemnatur. Si vero vicerit, donata sibi ab actore emenda, & judici multa absolvetur. Actor in circulum prior veniat, & si reus venire protraxerit, judex eum debet tribus vicibus per præconem de domo, in qua præparatur, adhibitis duobus bannitis, evocare: quod si in tertia vocatione non venerit, actor surgendo se debet duello præsentare, & *b* verberando contra ventum eum, superabit in querela contra eum proposita, ac judex eum, tanquam duello esset superatus, condemnabit.

b al. & hi percutiat seu feriat contra ventum, & tertio ficat in terram, & sup.

ARTICULUS LXIV.

1. Per simile & eodem etiam modo mortuus, si in rapina vel furto occiditur, superari debet. Si vero septem virorum testimonio mortuum actor convincere poterit, duello se præsentare contra eum non tenetur. Quod si unus, quicunque ille sit, ex mortui cognatis, ipsum mortuum duello à reatu imposito excusare voluerit, ipse omne dirimit testimonium; mortuusque, si proscriptus non apparuerit, sine duello non condemnetur.

ARTICULUS LXV.

c al. Et iam convincitur ad duellum receptus, velens duellum illum esti, pro miserit, vel stipulatus fuerit causionem interponeri, ut comparent: & in termino non comparet assignato.

1. Et prout supra dictum est, vincitur *c* etiam is, cui in comprehensione duellum illatum est, & qui promisit, cautionemque ad comparendum interposuit, in terminis tamen non comparuerit sibi assignatis.

2. In judicio condemnatus, si vitam aut manum redimat, sine jure & infamis erit.

3. Pacis violatores, super quos esset tacto pro vita vel sanitate, si quis ad fidejussoriam receperit, eosdem in termino limitato statuere promittens ad respondendum, id non fecerit, vel facere non valuerit, eorum recompensam solvere tenebitur. non tamen per id juri fidejussoris derogatur.

4. Qui etiam aliquem actionem injuriarum passum judicio exhibere promiserit, quod si facere nequiverit, cum suo absolvetur verigeldo, & per hoc juri non derogat suo. Verigeldus post tres menses à tempore ejus acquisitionis persolvetur.

5. Omnia debita ante solutionis diem, cui debentur, licite persolvantur, dummodo in eoloco fuerint soluta, à quo creditor ea secure deportare poterit. ipse autem solvens ad id testimonio indiget duorum virorum, qui solutionem viderunt, vel quod argento aut cum nummis usualibus debitum persolvere sese obtulit, quam solutionem creditor minus juste acceptare recusavit.

ARTICULUS LXVI.

d al. cum ex nomine pro scriptus seu condemnatus non sit, e al. quando contra absentem sit querela, ad proximum cuari debet iudicium.

1. Qui in facto comprehensus fuerit criminali seu manuali, statim debet judicio præsentari, & septem virorum testimonio actor eum vincere debet: quemadmodum & proscriptus superatur, si tactum proscriptionis poterit testificari. Attamen nulli sua vita propter eam proscriptionem auferatur, *d* in qua non nominatim positus fuerat condemnatus.

2. Qui vitam aut manum liberaverit ei condemnatam, infamis judicetur.

ARTICULUS LXVII.

1. Qui coram judicio impetitur, præsensque *a* ibidem non fuerit, vicinum ei judicium pro termino assignetur.

2. Qui autem pro violentia inculpatur, ter citabitur, datis semper induciis duarum hebdomadarum.

3. Si vero bannitus inculpatus fit, itidem ter citabitur, datis semper sex septimanarum induciis sub banno Imperii, & ad legitimum locum judicialem.

4. Qui tribus edictis citatus non comparuerit, proscribetur; pro nulla tamen alia causa; nisi qui mortem, vel membri amissionem inferat, proscribi poterit.

ARTICULUS LXVIII.

f al. aut sanguinolentum fecerit alicui carnis vulnere. g al. Cum vulneris cicatrice, & verbis duellaribus, potest unus alterum ad duellum provocare.

1. Qui alium baculaverit, ita quod loca tumescant læsa, vel *f* cuti ejus cruentas scissuras sine carnis vulneratione imposuerit, si hoc coram judice, præcone, vel sculteto, & villanis, cum scissuris recentibus proponetur: & si ille ad emendandum, vel ad excusandum se non præsentaverit, tempore deputato cum scissura hac aut ejus cicatrice, in proscriptionem condemnetur.

2. Cum *g* interpositione duellium verborum potest quis alium capere ad duellum.

3. Sine carnis vulneratione, ut percutiendo, trudendo, & jactando, & aliis diversis modis potest etiam quis occidi aut vulnerari, in quibus perpetrans, manus vel vitæ supplicium incurrit, aut proscriptionem.

4. Pro quacunque culpa aliquis proscribitur, si in ea proscriptione comprehensus judicio præsentatur

sentatur, ultimo supplicio subijcitur; Si actor factum & proscriptionem edocere poterit. Si vero reus à proscriptione se absolverit, & judicio se voluntarie absque detentione præsentaverit, ipse juris beneficia sentit, quasi proscriptionem nunquam sustinuisset.

ARTICULUS LXIX.

1. Qui etiam mortuum vulneratum ve comprehendendo judicio appulerit, & ipsum violatorem esse, cum duello vel sine duello superare prætendat: si in hoc defecerit, ipsemet ut pacis violator condemnetur.

ARTICULUS LXX.

1. Conqueratur autem si quis tribus vicibus super bonis, quæ sibi dicit pertinere, ipse ex tunc mittetur in possessionem eorundem, de qua eum ejicere non conceditur nisi per justam querelam. Illi autem immissioni potest alter, utpote ejectus, in annali spacio contradicere cum suo juramento, si ab eo prædicta bona in tribus legitimis terminis judicialibus extunc proximis, ab impetitionibus defendantur.

2. Agatur autem actione debitorum contra absentem, & qui ad hoc judicium non pertineat, ei, ut infra quindenam persolvat, vel juri suo se excuset, à judiciaria autoritate denuncietur: quod si non fecerit, pro debitis debet pignorari, & per tres quindenas pignus, si postuletur, debet accommodari; quod si non postuletur, nihilominus per sex hebdomadas reservabitur, & si infra hoc tempus se ab actione non absolvat, postmodum se absolvere non valebit, nisi legitime impediatur. Pignus illud tandem exponatur aut vendatur, si pro debitis non poterit obligari; & si plus valuerit, reo reddatur: Si vero minus, iterum *a* pignorando debita adimpleantur.

a al. tollent pignoretur.

3. Contra quem actio injuriarum cum clamore judiciario proponetur, dum adhuc injuria non sit pernoctata; si actor septem virorum testimonio factum poterit comprobare, statim reus proscribetur. Si vero ordinarius extra suam degerit jurisdictionem, tunc actionem præconi in loco judicis manifestet, & *b* quam cito Judex ingressus fuerit jurisdictionem, ipsum proscribet, si actor actionem suam primo inchoatam cum testibus manifestet.

quod debitum integra persolvatur.

b al. & si hoc testari poterit, prima die, cum Judex ad suas visitationem venerit, pena proscribitur, ac si violenta eodem die contigisset.

ARTICULUS LXXI.

1. Quando natus Gogravius, vel Judex ordinarius, hoc est infeudatus, aliquem proscripserit, idque coram Comitis attestando manifestet, ipse *c* contra reum statim Comitis inducit proscriptionem, & tandem Comitis proscriptio Imperii acquirit condemnationem.

c al. Comes tenetur dictam proscriptionem sua scientia confirmare.

SPECULI SAXONUM
LIBER SECVNDVS.

ARTICULUS I.

1. Illustres & spectabiles personæ, ubi per jusiurandum se conspiraverint, vel invicem conspiraverint, nisi mperium excipiant, contra Imperii delinquent majestatem.

ARTICULUS II.

1. Negligat si Comes unum judicialem terminum, illum solum perdit actor: si vero plures in actione injuriarum per eum negligantur, actionem de novo incipere necessarium est.

2. Agat si quis contra præsentem pro feudo aut proprietate, quæ fide bona possidet, ipseque si dixerit, propter hoc sibi terminum non esse prius assignatum, usque ad proximum judicium inducetur, hoc est, proximum judicium sibi assignabitur. In secunda vero actione, si legitimo adveniente judicio induciarum gratiam petierit, hoc ei erit concedendum: postea tandem respondebit.

ARTICULUS III.

1. Indicetur si cui duellum, qui ex abrupto & non præcusto ditus venerat, nec sibi propter hoc terminus fuerat assignatus, ipse si inducias desiderat, secundum sui generationem habebit: non tamen antea, nisi postquam duellum fuerit stipulatum, id est, compromissum.

2. Sex septimanarum induciæ bannitis, aliis vero, utpote ministris, vel aliis liberis, quindecim dies largiuntur. In qualibet alia actione cum quis accusatus fuerit, in continenti fateri debet vel negare.

ARTICULUS IV.

1. Qui se à proscriptione exuere voluerit, Judex si requisitus sit, ad comparendum ei pacem debet pronunciare, ut tuto judicio comparere possit. Postquam se se ut sic juramento expurgaverit, Judex & populus verbis & digitis eum absolvere debebunt, quemadmodum eum proscriptioni inclusserant. Si conetur quis eum indebite impedire, & ipse sese jurejurando à proscriptione liberaverit, ulterius proscriptus non est reputandus: paxque sibi indicetur, fideiussoresque tandem idem ponat, ut in tribus sequentibus judiciis se præbeat responsurum, si quis ab eo quicquam expetat. Si vero in his tribus terminis eum nemo inculpaverit, ab actione sententialiter absolvetur.

2. Exuet autem se quis à proscriptione in absentia actoris; & si promittat, fidejussoresque ad comparendum statuat, & non comparet, rem stipulatam non actor, sed Judex tollit, id est, pœna Judici cedit, non actori, si cum secundo proscribat, sicut de jure facere tenetur.

3. Qui fidejussorem ad comparendum statuerit, legaleque nomine impedimentum; hoc suus fidejussor facere tenetur, & nullus alter nuncius.

ARTICULUS V.

1. Qui tantum de proprietate, quantum pretii summa sui constat, verigeldi habet, is in ea jurisdictione, si contra eum actio injuriarum movebitur, ad statuendum fidejussorem compelli non debet.

2. Post quindenam reddenda sunt debita, quæ in judiciis acquiruntur: post sex hebdomadas mulcta: & post mulctam per quindenam præstatur emenda. Si autem emenda prius, qua mulcta, acquisita fuerit, tunc post sex hebdomadas emenda, & ultra post quindenam mulcta debeatur.

3. In creditoris domo lucente sole debitum est persolvendum, & si ibi in jurisdictione creditor domum non habuerit, in vicina domo judicis persolvatur.

ARTICULUS VI.

1. Qui suam veram in judicio emendam, id est, satisfactionem, desperit, ulterius nullam habebit.

2. Omne persolutum debitum duobus hominibus solutionem videntibus & audientibus, debitorem probare necesse est.

3. Qui ad judicium non venit, cum ad hoc teneatur, mulctam præstet: nisi se juste excusaverit.

4. Donationem si quis viderit, & in instanti ei non contraxerit, & à sententia quam audiverit, in instanti non appellaverit, post modum ei contradicendi & appellandi facultas denegetur.

ARTICVLVS VII.

1. Legali, impedimenti quatuor sunt causæ: captivitas, infirmitas, peregrinatio extra fines terræ, & publica expeditio. Si aliqua prædictarum causarum, ut ad terminum judicialem sibi præfixum venire non posset, evenerit, ipse pro eo, dummodo ut juris est, per nuncium suum, quisquis ille sit, demonstretur, damnum non sentit aliquale, & usque ad primum judicialem terminum post causæ cessationem in duicias obtinebit.

2. Qui autem, quod compareat, fuerit stipulatus, si ex prædictis aliqua causa evenerit, fideiussor suus necessitatis causam debet manifestare, suoque iuramento confirmare, & non alter nuncius.

ARTICVLVS VIII.

1. Actio occasione iniuriarum, vel pro pace fracta, contra absentem proposita si fuerit: postmodum que accusatus præsens iudicio factus sit, & actor in præsentia eius cœptam non proponat actionem: iudici mulctam præstabit, & reo condemnabitur ad emendam, sed & reus ab actione liberabitur. Quod si actor suam prosequatur actionem, licet reus jure suo se excusaverit actor nullum damnum exinde sustinebit, si reum per duellia verba non impetierit.

ARTICULUS IX.

a al. Quia cum respondere cœperit, & non finita causa negotium ita alium prorogatur termi-num, reus, non comparet, tanquam vitio condemnatur.

1. Qui *a* cum incœperit respondere, si alius terminus sententialiter ei præfigatur, & in eo non comparaverit, quasi victus condemnetur.

2. judex ab actore & reo cautionem recipere debet, ut juri se repræsentent: & ipsi respectum & *b* confidentiam habere debent jurium suorum ad iudicium: quia causa dilata est per sententiam in aliam diem.

b al. respectum ad iudicem habere debent, quia per sententiam causa dilata est in alium diem.

3. Captivi hominis actio, si sententialiter in crastinum fuerit inducta judex eum debet ad repræsentandum commodare, hoc est, ad fidejussoriam dare: nisi sit in facto deprænsus manifesto.

ARTICULUS X.

1. Proscriptus, licite diebus feriatis vel ligatis arrestetur vel detineatur: sed in his, nisi sit factum manifestum, non condemnetur.

2. Fidejussores nemo statuere tenetur, ultra mensuram sui vuergeldi, nisi in debitis recognitis vel si debita jure contra eum fuerint comprobata.

3. Tempore feriato non juratur, nisi pax, & non nisi super malefactore in facto manifesto judicatur.

4. Violentiam in feriis qui committit, eum feriæ non defendunt, similiter Ecclesia & Cœmeteri-um non defendit in crimine, quod in locis commiserunt.

5. Quicquid, excepta actione injuriarum, coram iudice in præsentia partis, tempora feriato propositum fuerit, Judex licite iudicabit, & reo præcipere debet, quod vel fateatur, temporeque deputato satisfaciat, aut neget.

6. Feriato tempore iudici bannire iudicium non licet.

7. Obligatus ad iuramenti sacramentum, in proximo sequenti die non feriato illud explebit.

ARTICULUS XI.

1. Juramenti sacramentum, si quis pro debito promittat, idque tempore determinato non exsolverit expleveritque: in debito contemnatur nisi legali impedimento se defendat. Et si sacramentum coram Judice sit promissum, Judici pœnam, & actori emendam erogabit.

2. Si

2. Si reus paratus sit ad jurandum tempore & loco statuto, & actor respuerit, aut præsens non fuerit: reus liber est à Sacramento & debito, si de super testimonium habuerit.

3. Cui argentum vel nummi sunt solvendi, & si ad terminum solutionis non venerit, vel si venerit, pecuniam tamen accipere noluit, per hoc pecuniam suam non amisit; illum vero diem noscat se perdidisse. Reus *a* etiam ab obstagio seu equitatura tunc liberatur, si quod promisit: sed minime à pecuniarum solutione.

a al. Et si debitor promiserit locum aliquem intrare, & donec solverit non exire, actore non temperante, liber erit ab illa promissione, & n. à debito.

4. In feriis judicia bannire non licet.

ARTICVLVS XII.

1. Sententiam invenire non debet vasallus contra dominum suum, nec è contra dominus contra vasallum, nec cognatus contra consanguineum, ubi vitam eorum sanitatemve, aut honorem attigerit.

2. Bannitus, id est, dignaus officio scabinorum, licite quemlibet sententiare potest; ipse autem à nullo, ubi vitam, honorem aut hereditatem attigerit; sed duntaxat a suis æqualibus, sententias aut eorum increpationes patitur.

3. Extra bannum Regium cuilibet sententias est licitum pronunciare, & eis appellando contradicere, qui juris detrimentum non patiatur; & hoc in illis casibus, de quibus extra bannum Regium cognosci potest.

4. Sententia si reprobetur, deferri & appellari debet ad digniorem judicem, ultimo ad Regem & Judex ad hoc actori & reo nuncios dabit, ut ipsi audiant, quis eorum coram Rege sententiam obtinebit. Nuncii debent esse banniti, si in Comitatu appellatur. Si vero illud acciderit in Marchia, nuncii esse possunt quilibet pleni juris, & Judex eis in expensis providebit. panem & cervisiam illis præstet abundanter: Craterem vini ad unamquamque comestionem, & tria fercula, quæ fuerint in diæ usitanda, duo vero fercula servis præstabuntur. Cuilibet equo quatuor manipuli infra diem & noctem erogentur, & in anterioribus pedibus equi sufferrentur. Sex debent esse servi, & octo equi ab ipsis habeantur Et cum ipsi adventum Romani Principis in Saxoniam nationem primo intellexerint, ad curiam ejus pergant: & infra sex leptimanarum tempus confirmatam ab Imperio sententiam reportent. Appellans si sententiam non obtinuerit, judici mulctam dabit, & pronunciandi emendam; Judici etiam in expensis damnabitur, quas cum nunciis expendit.

5. Sententia in Comitatu reprobata, ad Marchiam appellari non potest, licet Comes sit cum eo Comitatu à Marchione in feudatus; & hoc ideo, quia in Marchia non est Regalis bannus, & in eo jura eorum discrepant potissimum: ad Romanum ergo Principem appellatur.

6. Sententia si quæratur ab aliquo, qui eam invenire nescit, suamque ignorantiam per juramentum declaraverit: ex tunc pro eadem sententia alter, & tandem tertius & quartus interrogetur. Cum vero ad ultimum deventum sit, ille inducias habebit, secundum quod reo, contra quem sententia inventa est, inducias est.

7. Sententiam inventam si Saxo reprobaverit, deferens eam manui suæ dextræ, & multitudini majori consentientium, ipse pugnabit septenus cum sibi similibus adversus totidem; & vincentes sententiam obtinebunt. Victus judici mulctam, & vincenti emendam præstare tenetur; quod *b* tamen nusquam, nisi coram Rege, est faciendum.

b al. pro sententia reprobata nusquam pugnatur, nisi coram imperatore.

8. Quæratur autem ab aliquo sententia, is si eam, prout juris sibi esse videtur, protulerit, dato etiam quod juris non fuerit, ipse pro eo damnum nullum sustinebit.

9. Si quis consensum inventæ sententiæ non præbuerit, & aliam veriorem expetesserit, in quam major pars populi consenserit, illa vires obtinebit: & nullus eorum incurrit pœnam mulctæ, quia ipsorum nullus alterius sententiam increpavit.

10. Appellare qui voluerit sic loquatur: Sententia, quam iste pronunciavit, injusta est, illam reprobo, & ab ea appello, ubi de jure fuerit appellandum, idque peto declarari.

c al. inventor tandem primæ sententiæ stabit, & quamcunque sententiam ille, qui increpavit, obtinebit.

11. Increpet si Suevus Saxonis sententiam, vel è contra, hoc ipsi coram Imperio determinent, ut supra dictum est.

12. Sententia stando sub banno Regio increpetur, & sedendo unusquisque in sua sede promulgabit eandem. Qui ad illam sedem natus non est, postulet *c* sententialiter sedem ad veriorem sententiam pronunciandam, & ibidem sibi cedat, qui priorem sententiam exprimebat. Sententiam tunc ab eo prolatam, offerat se secundum jura obtinere, & appellet ubi de jure est appellandum, petatque per judicem nuncios adhiberi.

& deferat, ut dictum est, expositis de nunciis, d al. Hæ sunt pœnæ quæ pacis violatoribus & absentibus exercitus sustinentur.

13. Pro sententia increpata Judex consensum populi seu Scabinorum non oportet interrogare.

14. Sententiam etiam qui adinvenit, ab ea recedere ei non licebit, nisi ab isto, in cujus profectum pronunciatum est, consentiatur.

15. Qui pro injuria comprehensus judicio præsentatur, sententias increpandi non habet potestatem: & is etiam cui duellum indictum est, post quam circulo includitur.

ARTICVLVS XIII.

1. Nunc *d* percipiendum venit de injuriis, quæ justitia cis debeatur. Fur est suspendendus. Accidat autem villanis in die in villa furtum, quod minus fuerit trium solidorum, hoc ipso de Scultetus seu Gogravius eundem punire potest in cute & crinibus, vel reus eandem pœnam redimere

tribus

tribus solidis poterit, & ut sic infamis & juri alienus permanebit. Istud est majus judicium, quod pertinet ad Scultetum; hoc tamen facere non poterit, si actio pereat. Super nummis & aliis mobilibus bene ulterius judicabit.

a al. Eadem etiam pœna debetur banniturnflammorum.

2. Prædicta *a* etiam pœna seu judicium contra injustas mensuras & pondera iniqua, & vendi-
les, res falsificantes, si poterint comprobari, noscitur constituta.

3. Omnes sicarii, & qui aratra, tum & molendina, Ecclesiasque & Cœmeteria spoliant, tradito-
res, incendiarii, & *b* eorum nuncii, qui eorum agunt profectum, plecti debent in rota.

4. Qui aliquem interficit, non tamen seditiose captivat, spoliat, aut incendit, & virginem oppri-
mit aut mulierem, seu pacem infringit, & qui in adulterio fuerit deprehensus, capite plectitur.

b al. & qui legationes in-

5. Qui furta aut spolia celaverint, vel facientibus patrocinium ad hoc præstiterint, convicti ea-
dem legis severitate puniatur.

fuas perver-

6. Si quis Christianus, Christianave apostataverit, vel venenum cui ministraverit, aut incontare-
rit, igneis flammis in craticula concremetur.

tunt vtilitatem.

7. Judex si actionem injuriarum vel pacis violatorem non judicaverit, ea damnatio judici infe-
renda, quam inferri injurianti dissimulabit.

8. Nemo tenetur ad judicium judicis accedere, nec coram eo in judicio assistere aut compare-
re, quando ipse alicui justitiam petenti denegasse probabitur.

ARTICVLVS XIV.

c al. Non amittet ex metu circa eum mouere, aut eum ad iudicium appellare, & contra eum quæ vult.

1. Interficietur si quis causa necessitatis, & perpetrans propter sui corporis periculum, eum *c* in
judicium adducere non audeat. Si venerit absque mortuo, & fateatur antequam aliquis contra eum
agat, offerens se de eo justificari, corporale judicium sibi pro eo non inferatur: Judici tamen viginti
nummorum, sicut solet, acquiritur mulcta, & parentelæ interfecti verigeldus adjudicetur, ad quem ac-
ceptandum ad primum, secundum, & tertium judicii bannum, agnati mortui citentur, & recompen-
sam seu verigeldum accipiant pro agnato. Et si non venerint, pax eo servari sententiabitur, & cum ve-
rigeldo supersedere pronuncietur, quousque propinqui per actionem ab eo eundem extorqueant:
cum hujusmodique interfecto nullus eum vincere poterit, postquam se, antequam accusaretur, judicio
præsentavit. Si vero interfectus nondum sepulturæ traditus, in judicium apportetur, & contra eum
sarium proponatur: reum stricto modo, hoc est, pro collo respondere, aut mortuum, ut supra dictum
est, convincere eundem oportebit

ARTICVLVS XV.

1. Qui coram judicio causam inchoaverit, pro qua ipsum varendam præstare oporteat, & digito
cautionem præstare pro eo, ne unquam aliquis de cætero eundem impetat in dicta causa. Si varenda
jam facta, postmodum alter superveniens, causam apud judicem proponat eandem, & qui prior egerit,
supervenientem jure per sententiam amovere non poterit, eum causam dimittere oportebit cum
recompensa sui dimidia, aut carcere manu dextra, cum qua varendam promittebat, & judici mul-
ctam.

2. Varenda si promittatur aut præstatur pro rebus hereditariis, expeditoriis, aut pro utensilibus,
seu mobilibus & si in his varendam ratam non tuerit, quia scilicet sibi per sententiam infringatur: pro-
missor Judici dare mulctam, & res illas cum emenda dimittere cogitur.

ARTICVLVS XVI.

1. Varendam actor quilibet præstare debet in causa mortis, homicidii, mutilationis & vulne-
rum, pro domino suo & pro suis agnatis.

d al. Quamcunque vio lentam actor contra reum per duellum probaverit, pœnam demeretur cap. c al. dummodo non moriatur

2. Qui *d* alium mutilet, vulneraverit ve convictus manum amittit. Quibus injuriis duello quis
vincitur, pœnam demerebit capitalem.

3. Quilibet emendam, si eam suis non minuit vitiis, secundum suam obtinet generationem.

4. Quando præco iudici mulctam demeretur pro eo, quod eum super suo neglexerit judicio,
tunc mensuram Regis, id est, maldratam pro mulcta præstet, quæ in triginta duobus virgæ quercinæ
virtutis duorum cubitorum longitudine verberibus noscitur comprehensa.

quit, quotcunq; sufficiant vulnera, in uno corpore vulnerato, numquam recipit emenda aut recompensa medietatem.

5. Quiin ore, naribus, oculis, auribus, lingua, manibus genitalibus, pedibus mutiletur, aut eorum
usu privatur, huiusmodi membra si sint persolvenda, quodlibet horum cum dimidii verigeldi summa
persolvetur.

6. Quilibet dens, digitus & pedica emendatur, secundum quod eius est in verigeldo decima pars
constituta.

f al. Quæ absque vulnere carnis permittur.

7. Quotiens quis in uno membro vulneratur aut mutiletur in uno actu, dummodo *e* tamen
non occidatur, dimidio verigeldo contentatur; quando vero secundario in alio membro mutiletur,
dimidii verigeldi donatio iteratur.

8. Cui *f* sola caro vulneratur, aut men dax arguitur, eidem secundum generationem suam præ-
lleatur emenda.

9. Abscidatur membrum alicui, quod ei antehac in judicio ratione mutilationis fuit persolutum,
non nisi emendam pro eo consequetur.

ARTICVLVS XVII.

1. Filius non respondebit pro patre defuncto, si quando fecerat iniuriam seu violentiam.

2. Pater filium super injuria accusatum, si juramenta suam probaverit innocentiam, a crimine potest, si ab eo nondum sit emancipatus. Si vero ambo in unius facti comprehensi essent accusatione: extunc pater filium excipere non potest, nisi ipse prius se ab hac excuset causa.

ARTICULUS XVIII.

1. Sententiandum *b* non est, qualiter quis debeat puniri, antequam appareat per sententiam victus ad condemnandum.

2. Nec debet per sententiam ostendi, qualiter hereditatem aut eis possessionem quis debeat probare, nisi prius fuerit probatio per sententiam adjudicata.

ARTICULUS XIX.

1. Pater coram judicio filium emancipare, id est, separare à se poterit, quantumcunque parvæ res sint, quibus emancipetur: dummodo per eum fuerint acceptatæ.

2. Domino servum jam condemnatum excipere licet, si jurare præsumat, quod ille servus suus sit innatus, quodque facti innocens sit, servus tamen ille absque jure & absq; honore.

ARTICULUS XX.

1. Fratres sororesve indistinctorum fratrum sororumve, in successione hereditaria fratribus vel sororibus à patre aut à matre in generatione præferuntur distinctis.

2. Indistinctorum * fratrum pueri, æque similes sunt eum distinctis fratribus, in hereditate percipienda.

ARTICULUS XXI.

1. Plenum *c* verigeldum, & plenam emendam, habet quilibet homo, licet in aliquo membro defectum patiatur: dummodo illum defectum judicialiter non publicavit, & exinde tutorem in judicio, id est, protectorem in duello non acquisivit, vel ei actus non sit sententiando persolutus.

2. Censitus quicunque sit, sua relinquit in fundo censuali ædificia suis heredibus; nisi forte militaris sit, qui hujusmodi ædificia uxori in dotem dederit. Siautem absque herede vacaverint ædificia, nec sunt in dotem collata, dominus feudi potest ea in usu convertere suos una cum censu.

3. Mulier *d* si habeat dotalitium, id est, vitæ provisionem, in feudo vel proprietate: ædificia in ea ab ipsa derelicta nec eodem ejus heredibus, sed cui dotalitium cedit, videntur. Et sicut proprietatem aut infeudatos, sine domini sui voluntate, ædificia meliorat vel pejorari conceditur: Sic mulieri in suo dotalitio concessum est.

4. Pater si habeat filium seu heredem in feudo, qui non sit heres in jure provinciali; illi potiori jure ædificia in feudo collata debentur, quam heredi jure provinciali.

5. Conferat si dominus alicui feudum *e* indistincte, ædificia fundi ejus erunt: nisi à domino nominatim excipiantur in conferendo.

ARTICULUS XXII.

1. Quicquid contra judicem quis est probaturus, in ea probatione judicis testimonio non indigebit, si actio seu inculpatio non excedat mulctam seu pœnam simplicem, sed hoc eum duobus sententiam invenire solitis probabit. Si *f* vero altius actio proposita extendatur: Præfectus seu Scultetus, aut præco ad testificandum loco judicis apponetur, vel ipse Judex solus.

2. Qui suam intentionem seu testimonium per Scultetum aut præconem, aut eum Scabinis impleverit: Judex propter veritatem ipsorum testimonii facti testis efficitur, licet factum prius ignorabat. Negetautem judex se esse testem fraudulenter, hoc est, si testificari noluerit temerarie & fraudulenter, nihilominus probans suam adimplevit intentionem.

3. Monachetur etiam quis adultus, licet coram judicio id factum non sit, hoc tamen contra ipsum probabitur, sicut in *primo libro artic.* 25. §. *Clericus dividet.* exaratum est.

4. Ubi cum septem testibus debet quid probari, pro eo testimonio XXI. sunt interrogandi.

5. Si eidem, adversus quem testimonium producitur, in testem nominatur: ipse de jure sub sacramento suo debet sibi in his notis dicere veritatem. Impleatur autem proponentis probatio per eundem, ulterius contra eum non indigebit probatione: sed confessus judici mulctam dabit, & proponenti emendam, sicut emendare debuisset, si in probatione de feciſſet; ex eo, quia contra justitiam & suam conscientiam eum compulit ad probandum.

ARTICULUS XXIII.

1. Quandiu vir uxore carere non poterit aut noluerit, legitimam ei accipere licitum est uxorem, licet eitres vel plures moriantur: & è converso, mulier legitimos successive, accipit plures viros, & tam cum ultimo, quam cum primo liberos potest procreare, & eos *g* in bonis parentum, & in jure succedere nemini dubium existit.

ARTICULUS XXIV.

1. Nemo eiici debet à sua possessione ex parte *h* judicis, licet male possideat, nisi bonorum possessio in ipsius præsentia ex justa actione auferatur, vel in suis legitimis terminis citatus non comparcat.

2. Vnus

a al. addunt, semel excip. *b* al. Sententia inquirere non debet. quæ causa reus mori debeat nisi prius ipse crimine convincatur. & non enim parva res est, ut hic addat Goss. *c* al. Plenam recompensam, & latitionem tenetur dominus dare, si quis debet homo, licet careat usu alicujus membri, quod eram judicio non ostendit, nec tutorem in duello acquisivit, nec solutionem pro membro laso cepit. *d* al. Si mulier viduatra visionem habeat in eo præsenti vel in feudo, & ibi ædificia fecerit, post mortem ejus derelicta: ipsa non potest jus heredibus ædificia delevare, sed post mortem ejus cedunt fundo, scultetis, canonibus hujusmodi vacant. *e* al. fundum *f* al. Si vero debitum ulterius se extendat. *g* al. Obligatur ad probandum, si testimonium deferat soli actori, actor, qui eum ad probationem compulit, per Sacramentum testimonium perhibere potest. *h* Ille autem si proprio consensu sic recesserit, testimo

nio, ulterius contra eum non indiget probatione. b al. & ipse relinquere in jure vel hereditate. *i* al. judicii.

2. Unusquisque potest sua justa bona etiam jure amittere seu alienare, si ab eo obligentur, vendantur, resignentur, vel si a feudi domino investitura per anni circulum non petatur, aut si census servitium domino debitum non persolverit infra annum, aut si fuerint jure provinciali aut feudali judicatæ, vel qualitercunque, non coactus, ea jure desinat possidere. Unde ob hoc non licet aliquem à possessione ejicere sua, nisi juste ad judicium citatus, & per sententiam à possessione ejectus fuit.

ARTICULUS XXV.

1. Conqueratur si quis contra unum, quod aliqua violenter possideat, & ibidem manifestum spolium apparebit, si tunc Judex ad hoc cum violentiarum clamore citatus fuerit, insequi tenetur in continenti, quandiu illum prospicere poterit, & actori *a* super prædam & similiter de prædatoribus, & suos complices judicare. Postmodum debet ei suam in hac re restituere possessionem, si reus jure hoc prohibere non poterit. Ubi autem Judex actori non judicat, vel judicare non valebit, Rex, cum in Saxonicam advenerit nationem, & actio coram eo comprobetur, illud judicabit.

a al. actori planam justitiam exhiberede spoliatore & eius complicibus. Et pretinus oportet actori restituere spoliata, nisi rens id fieri ture prohibeat.

ARTICULUS XXVI.

1. Moneta *b* denariorum in adventu domini novi est renovanda.

2. Monetarius si unum falsum expoluerit denarium to emendo res aliquas, morte condemnatur.

3. Monetæ tres denarii cum medio si inveniantur apud eum, qui juri suo furando aut spolando derogavit, perdit *c* manum; nisi ostendere poterit varendatorem, à quo denarios ceperit. Quo vero pleni juris est, si apud eum solidus nummorum falsorum inveniatur: eosdem, & nihilominus, amittit, & si plures habuerit absque varendatore, manum *d* perdit.

4. Falsificet autem monetarios suos nummos, vel non cudat eos prout juris est, nemini potest crimen imponere falsi, ut exinde ei satisfacere teneatur.

5. Moneta nummorum cudi debet æqui ponderis & valoris.

6. Neminilicet torum erigere, vel monetam de novo instituere, sine consensu ejus loci ordinarii seu judicis: etiam Rex in signum sui consensus suam ad hoc mittere debet Chyrothecam.

7. Nemini etiam nummos cudere licet, qui aliis sunt similes, sed habeant differentias competentes.

8. Postquam nummi prohibentur, licite cum eis posthoc per quoindenam debita persolvantur, & pignora redimentur. Qui autem post tempus deputatum cum eis emerit, cudens *e* eos licite frangit, dummodo æs emendi reddat.

b al. Moneta denariorum reus vari debet, quando novus Dominus curam suscepertit.

c al. reus est cuius vel capitis.

d al. in cuius punitur.

e al. licebit monetario eosdem frangere, fractosque restituere, & non retinere.

ARTICULUS XXVII.

1. Qui valuarium, pontium, sive aquarum theloneum non persolverit, quadrupliciter resundet.

2. Theloneum autem forense qui non dederit, triginta solidos pœnæ dabit.

3. Quatuor euntes pedestres unum denarium, & unus equitum dimidium præstet nummum.

4. Currus oneratus quatuor denarios in eundo & redeundo solvet, & hoc dabitur in theloneo aquarum; in pontium autem solvetur dimidia pars.

5. Clerici & militares familiaque eorum, à theloneo sunt exempti.

6. A thelonei *f* etiam datione immunis est omnis, qui pontium & navium non indiget tractatione.

7. De jure etiam pretium solvere non tenetur à conducto, cui placet corpus & res committere periculo seu fortunæ.

8. Qui aliis præbet conductum, à damno præcavere & præcustodire ipsis debet. Quod si non fecerit, cum damna resarcire oportebit.

9. Currus vacuus dimidium soluit thelonei respectu onerati; dimidius vero currus seu biga unum pro theloneo dabit nummum.

10. Si quis transitum agro novo imposuerit, per vetitasque vias per agros jerit, pro qualibet rota unum nummum solvet, & equitans, nomine emendæ dimidium. Si vero ager fuerit seminatus, damnum resarcire tenentur; & id facientes licite pignorantur. Quod si resisterent pignorationi, cum clamore violentiæ, arrestentur, quem clamorem cum tribus solidis eos emendare oportet, & deinde per jura pigneris sustinere.

f al. Quilibet etiam equus in curru vel vehiculo, liber est à theloneo, si navis non indigeat vel ponte.

ARTICULUS XXVIII.

1. Qui ligna incidit, vel gramina falce aliena, aut in alicujus rivis fluviisque piscaverit, excepto mari & magnis fluminibus, tribus solidis liberatur; damnum nihilominus secundum formam persolvendo.

2. In piscaturis vero foditis seu stagnis si quis piscaverit, & arbores plantatas inciderit, aut arbores fructiferas ve, vel fructum decerpserit, seu arbores aut lapides limitum seu finium effoderit: triginta solidos exsolvet pro mulcta, & si repertus in facto fuerit, licite pignoretur, sine licentia & consensu judicis.

3. Nocturnali tempore ligna cæsa, vel gramina jam falcata furatus qui fuerit, suspenditur: si diurno tempore fecerit, crinis & cutis tormentis subiicietur.

4. Aqua fluens navigandi & piscandi communis est & esse debet, & piscatores ripa ac planities licite uti possunt, quantum uno passu ex navi attingere valeant.

ARTI-

ARTICULUS XXIX.

1. Cui res alicujus per alluvionem applicentur, ipse eas domino reddere tenetur suo: dummodo, ut juris est easdem postulet & sic ei, quæ ab eo sunt impensa & desuper expolita, secundum hominum æstimationem persolvet. idem etiam inventor res si applicatas denunciare debet, & per sex septimanarum tempus non consumere, interrogatusque, ea se habere non neget: si contra factum fuerit, ex occultatione res futivæ erunt, & eas cum emenda & mulcta restituere tenetur. Furtum tamen in hoc, per quod in vita, honore membris, famitateve condemnetur, non commisit, quia prædictas res furando aut spoliando à domini possessione non noscitur abstulisse.

ARTICULUS XXX.

1. Hereditatem *a* seu successionem qui sibi dicit non jure cognationis, sed promissionis seu donationis deberi aut pertinere: hoc pro irregulari habetur, id est, pro injustitia reputatur, nisi promissio hujusmodi coram judicio sit confirmata.

a al. Qui sibi vendicat hereditatem non pro cognatione, sed per promissionē: hoc pro injustitia reputatur, nisi fuerit promissio coram judice confirmata.

ARTICULUS XXXI.

1. Qui per sententiam interficitur, vel seipsum interficit, ejus succedit heres vel agnatus. Spolia vel furta sub eo, vel quocunque alio inventa, Judex per annale tempus observabit, & si per hoc tempus non postulentur, vel testimonio non repetantur, Judex ei in usus convertet suos.

2. Neque alicujus res, propter alterius vitia, si sub eo sunt, usurpari possunt. Vnde & licet possessor earum morte puniatur, res nihilominus redduntur illi, cui pertinent.

ARTICULUS XXXII.

1. Dominus pro famulo suo, non nisi quantum pretium ejus se extendat, actioni respondebit; nisi forte majora pro eo fuerit stipulatus.

2. Expellat si dominus mercenarium, ei plenam mercedem tenetur. Relinquet autem mercenarius dominum importune, quantum ejus summa pretii constat, domino obligatur: & si aliqua pars pretii eidem sit persoluta, in duplo reddere compellitur.

ARTICULUS XXXIII.

1. Mercurius si matrimonium contraxerit, aut ei tutela incumbit pupillorum, licite à domino recedet, & per quantum tempus famulabatur, tantum à domino consequitur pretii, quod si plus acceperat, hoc tantummodo restituet sine emenda.

ARTICULUS XXXIV.

1. Famulum alienum si quis percusserit, *b* captiva verit, spoliaverit propter domini odium & culpam, tam domino quam famulo præstabit emendam: nisi suo confirmaverit juramento, quod hoc in domini seu utriusque contumeliam non sit factum, sive in domini damnum, quo opera per famulum domino facienda non periclitetur: ut sic enim duntaxat famulo seu servo emendabit. Si vero affirmare vellet, hoc in damnum domini non feciſſe, ipse damnum hujusmodi debet, quemadmodum servus seu famulus debuisset, si servitium domini sui non jure deseruisset, refarcire, & cum emenda, ut supra dictum est, nisi se excusset, liberare.

b al. ceperit, spoliaverit, tādummodo pro domini culpa, justè satisfaciat utrique, nisi fuerit, quod in damnum dominiveldecorus non fecerit, quia sic se excusat una emenda. Dedecus dico, si ipsum premit propter culpam domini & ut propter culpam servi, vel propter culpā uxoremque in damnum dico, si rationa verborum dominus in obsequio impediatur suo, ibi etenim quasi sic lasa famulum domino tenetur, sicut servus ille debuerit, si ma causa servitium domini

2. Qui hominem tenet captivum, respondere tenetur omnibus suis uxorique ipsius, & cuilibet cognatorum agere volentium, quandiu per eum vinculis est mancipatus.

ARTICULUS XXXV.

1. Manuale factum sit, cum faciens in facto aut in facti fuga reperitur, vel ubi furtum aut spolium in suis clausuris, quas personaliter occludere solet, inventum: nisi sint res adeo parvæ, quod per festa illic immitti possint.

ARTICULUS XXXVI.

1. Qui post alterum diem furtum aut spolium sibi illatum apud quemquam invenerit, & ille res hujusmodi aperte ac manifeste emit, nec postea occulte servavit, quod & testari poterit: per manuale factum non est incusandus, dato, quod res ablata apud eum reperiatur: nisi forte sui juris passus sit detrimentum, sed actor cum licentia judicis suas res poterit vendicare. Si autem ille resistere, nec hujusmodi res sibi dare voluerit, antequam ad judicium veniat, actor petat, ut ille secum ad judicium divertatur, hoc si negaverit, clamorem violentiæ desuper excitet in comprehendendo eum, tanquam furem proprium, & ac si factum manuale sit, fugiendo etenim ille reum sese effecit. Si vero reus cum actore voluntarie ad judicium properabit: actor jure rem suam vendicet.

2. Contradicatur autem à reo, veluti si bannus sit, si eum texuisse, aut si animal vel equus fuerit, per ipsum educatum esse: possessor majori jure sacramento proprio & duorum vicinorum, res hujusmodi obtinebit, quam quod actor illa occupare valeat.

3. Dicat vero possidens rem in communi foro esse ab eo emptam, sed se ignorare venditorem: innocens erit furti, dum modo locus emptionis & emptio sub uno juramento indicetur. Nummi autem ab eo pro ea re dati perduntur, si actor rem suam cum duobus viris poterit comprobare, qui fuerint pleni juris, quibus & illud notum sit, quod sibi ea res sis furtive, vel per spolium sublata.

4. Si vero possessor dicat, rem sibi esse datam, vel ab aliquo emisisse: extunc donatorem aut vendi-

venditorem, & locum emptionis eum nominare oportebit. Jurare etiam tenebitur, quod eum ad rerum varendatorem, non ad aliam partem fluviorum navigabilium existentem perducat, quem & per & quindenam sequi tenetur quocunque ierit, excepto, ut dictum est, ultra flumina navigabilia. Si varentator id recognoverit, eundem intercedere, & pro ipso respondere tenebitur. Si autem varendatore defecerit, ipse rem cum mulcta & emenda relinquet. Et si pro furto & spolio rei inculpatur, secundum jura se excusare tenetur.

a al. cum mulcta & emenda detinet. sistere cogitur.

5. Defecerit etiam vendicator seu actor in vendicatione, mulctam *a* atque emendam retinet.

6. Multos varendatores nominare admittitur, & unus alium nominabit, ac ad illum se tribus, quousque ad eum qui illud educavit, si pecus est, aut quitexere fecit, si pannus est, pervenitur.

7. Mettertius vendicator, si detentor deficit, rem obtinebit.

8. Sub quo res vendicantur, easdem reunere debet, quousque ab eo jure acquirantur.

ARTICULUS XXXVII

1. Quidquid aliquis invenerit, postmodumque interrogatus id negaverit, furtum committit.

b al. raptoribus adimuntur tot. vill. vel in Eccle sia denunciari debent.

1. Inventa autem & quæ furibus aut raptoribus *b* fugatis auferuntur, coram villanis sunt denunciranda. Et si aliquis ejusdem jurisdictionis ea infra sex septimanas jure metertii repetierit, pro solutionem impensarum, ut si sunt animalia vel pecora, ei restituantur. Si vero alicujus jurisdictionis fuerit ille, cui bona pertinent, extunc is, qui prædomibus ea abegerit, tertia parte retenta, duas partes reddat. Quod si per tempus illud sex septimanarum nullus venerit, qui se dominum rerum illarum demonstret: Judex duas accipit partes, tertia ereptori datur.

ARTICULUS XXXVIII.

1. Homo damnum aliis à se negligentia illatum refarcire tenetur.

2. Qui alteri ex negligentia damnum fecerit, per ignem, aquam, puteum, usque ad genua super terram non præmunitum vel circumseptum; aut sagittans in avem, pecus, vel hominem interficiat: si moriatur læsus, reus in membris aut vita non punitur, hoc est, non admittur sibi sanitas aut vita in membris, sed solvit recompensationis æstimationem.

3. Si quis aliquem ignoretur jaciendo vel sagittando interfecerit, in sui donationem vergeldi & non in mortem condemnetur.

ARTICULUS XXXIX.

1. Annonam qui noctis tempore furatus fuerit, suspenditur si in die decoletur.

2. Viator si agrorum fructum, non asportando frumenta, consumpserit, tenetur ad ipsius æstimationem.

3. Viator si deposcit equo vel alio jumento frumenta agrorum alienorum, non asportando illa, damnum solvat secundum annonæ valorem.

ARTICULUS XL.

1. Cujus canis, aperve, taurus, aut animal quodlibet, hominem, aut animal mutilaverit, occiderive, dominus tenetur damnum solvere juxta determinatum virigaldum, vel juxta ejus valorem recompensam facere: & hoc, si animal illud, postquam de noxa resciverit, postmodum in suam recepit possessionem. Si vero noxium animal ab eo omnino expellitur, nec servat illud, neque pascit, neque potat, innocens est à damno, & damnificatus animal illud pro damno accipit, si vult.

2. Animal seu brutum ex facto suo nullam mulctam seu pœnam judici præstat.

3. Equus aut pecus in custodia famuli seu servientis existens, si damnum fecerit, ille famulus damnum refarciet, cujus custodiæ pecora fuerant mancipata. Si vero custos effugerit, & currus animalve domini arrestantur in manifesto facto, & probari possit rectibus, dominus equorum seu pecorum refarciet damnum integre, si non poterit per jus se eximere. usque ad valorem equorum seu animalium & currus, qui detenti sunt: vel his omnibus carebit, læsusque hæc omnia pro damno retinebit.

4. Consumat quis sata villanorum cum porcis, aut equis, qui quæve commode pignorari non possunt: si à canibus mordeantur, aut interficiantur, eorum damnum sustinebit, nec refarcire oportet.

ARTICULUS XLI.

1. Mulctam si Judex extrahere seu emovere non potest in proprio alicujus, in hujusmodi facto præco debet super portam crucem apponere, & per illam impositionem & bannitorum sententiam infignit illud proprium ad opus judicis, & si istud per dominum fundi intra annum & diem non revocetur, omne jus, quod habuit in ipso, abjudicatur domino. Si postea infra annum & diem heres illius veniat in judicium, & se ad suam trahat hereditatem per sacramentum, ut juris est, debitumque solvat judici, quod Judex suo sacramento & duorum probare potest, & quæ ipse in judicio lucratus est, hæc proprium sic requirit.

2. Nullum aliud majus debitum Judex in hoc casu probare poterit, nisi tres mulctas & unum virigeldum.

ART.

ARTICULUS XLII.

1. Qui agit contra alium, quod ipse feudum ejus occupet animus juste, & alter ipsum feudum se abdito domino habere contendat, uterque eorum suum dominum adducere in judicium ad recognoscendum tenetur. Cujus dominus non apparuerit, ille cadit in sua causa, si non ipsum legale impedimentum excuset, quod ostendere possit, & si quis suum non adduxerit, alter qui suum repræsentet, feudum obtinebit: dummodo eorum alter in prædicto feudo possessionem non habeat magis efficacem, utpote, quia in ipso anno ambo sunt de eodem feudo infeudati. Si quis vero eorum feudum hujusmodi per annum & diem possedit, propter vigorem suæ possessionis feudum per absentiam domini sui non amittit, sed tamen alteri aut ejus varendatori tunc respondere tenetur, legitimo cessante impedimento. Illustres vero seu Principes infeudatos per suas patentes literas sigillatas varendant, per suum innatum ministerialem eos transmittendo, qui feudum illius nomine defendat & ad objecta respondeat: literæque hujusmodi præsentari debent illi, contra quem agitur, id est, reo ad testificandum querelam, si forsan his postha cinfiguerit. Si autem ambo unum feudi nominaverint dominum, ad illum infra sex hebdomadas, à Judice transmittantur, Judex que suos nuncios duos mittat ad audiendum, quis eorum vicerit. victus vero mulctam Judici, & parti præstabit emendam.

ARTICULUS XLIII.

1. Si quis bona aliqua suam esse dicat proprietatem, & alter ea suum esse feudum *a* assirmet, & eorum probationes fuerint æquipollentes, favorabilior est pars proprietarii ad obtinendum bona illa cum duorum testimonio Scabinorum, & hoc, si æqualiter ea possideant.

2. Proprietas etiam hereditaria citius obtinetur, quam empta vel donata.

a al. affirmet, facilius ea proprietarius cum duorum bannitorum testimonio obtinebit.

ARTICULUS XLIV.

1. Quicunque bona aliqua per annum & diem absque justa contradictione possederit, eorundem verus efficitur possessor.

2. Quandiu autem contra retentorem bonorum agitur, licet *b* diutius ea retineat, justam tamen per hoc non acquirit possessionem, nec ea præscribi, quandiu vera actio poterit comprobari.

b al. licet ea diutius valenter possideat.

3. Qui vero bona hereditaria aut donata sibi vel concessa retinet, non violenter, id est, quæ nulli abstulit, fructus in his medio tempore per eum præceptos non restituet, si postmodum possessio ab eo evincatur; & hoc si pro ipsis bonis jura debita nulli denegavit.

4. Qui etiam in suo feudo aut dotalitio matris aut suæ cognatæ sibi proprietatem voluerit usurpare, nisi hanc testimonio sex bannitorum comprobaverit, succumbet.

ARTICULUS XLV.

1. Contra quem in judicio in sui præsentia actum fuerit, si effugerit, actori res actionis adjudicetur: id est, convictus est in causa. & si actio fuerit injuriarum, in continenti reus proscribitur.

ARTICULUS XLVI.

1. Qui alienum arat agrum, vel forte alter eundem sibi locaverit nescienter, interimque quod adhuc arat, actio contra ipsum moveatur, laborem & semina amittit. Qui autem agrum sibi locaverat, damnum ei refundet.

a al. Qui arat agri, inscius alteri, vel quæ sibi alter cämisit, deprehensus à ejusdem sub interdicto, semina perdit & laborem, quicquid seminaverit amittet, & contra illum querelam faciet.

2. Qui vero nondum actione mota seminaverit, ipsi competere sata videbuntur, & ei quia agrum obtinebit, census præstabit.

3. Qui sata seu seminatos agros alterius araverit, emendam ei dare tenetur, & damnum rei reddet: hoc est, quantum crescere potuisset in agris, & cum hoc judici mulctam, & parti emendam solvere cogitur.

laborem perdit, & ille, qui sibi contulit, recompensabit laborem. Qui seminat sos-

ARTICULUS XLVII.

1. Qui sua pecora in alterius sata vel gramina immiserit, damnum refarciet, & tres solidos possessori dabit pro emenda.

2. Si autem dominus pecorum immissioni præsens non fuerit, & pignoratur, damnum si ostensum fuerit, solvat dominus, prout à paganis arbitretur, & sex numini ejus emenda erit à quolibet cujus pecora erant, & si plures sint, quilibet sex denarios pro pecore emendam dabit damno soluto.

3. Si vero animalia sunt, quæ pignorari non possunt, sicut equi feroces, apri, ursi, anseres, ex eune damnificatus assumat duos viros eis damnum demonstrando, pecoraque, in eadem domini requiratur eum inculpando; ipse tandem in solvendo eidem tenebitur, ac si pecora fuissent pignorata.

4. Qui pecora sua in communia alterius præsidii seu villæ pascua immittit, in sex numinis delinquit pignoratus.

5. Incultum agrum si quis pertranserit, nisi forte pratum fuerit insignitum, non punitur.

ARTICULUS XLVIII.

1. Quicquid pastor in sua custodia amiserit, ad ejus non tenetur solutionem.

2. Si quis dimittit fruges in campo, aliorum fructibus vicinorum introductis, si concludantur aut consumentur, postmodum à nemine sibi persolvantur.

3. Persimile est de decima, si decimator eam non susceperit, cui à decimante dimissa aut per villanos demonstrata fuerit.

4. Quodlibet animal, quod fœtum parturit, ubi de vesperi ad hospitium venit, illic debet suo tempore decimari.

5. Annona decimatur in campis, animalia in villis, in qualibet domo ubi nascuntur.

6. Decimæ danturab omnibus animalibus reptilibus, exceptis gallinis.

a al. Curia sine horto, & item domus non hortus præterea domus specialiter inhabitata, decimantur uno pullo

7. Quælibet curia, vel solum, aut singularum domus cum uno pullo seu gallina decimatur pro festo sanctiMartini.

8. Vbi decima solvitur in campo, decima sexagenæ dabitur æque bona, vel decimus mansipulus.

9. Introducere volens annonam, hoc intimet decimatori, si in villa sit seu in agro, quod si decimator non curat, ipse solus personaliter deputet decimam, ita quod si postmodum impeditus fit, sua possit salvari sacramento, & duobus eam viris demonstret: ac eam stare permittat. Quod si postmodum annihilata & consumpta fuerit, sine damno manebit.

10. In multis locis, deputata & certa annona in sexagenis, sub certo numero, nomine decimæ, & agnus de ovili unius curiæ, pro decima datur.

b al. Si solvitur decima, ut dictum est in capitibus

11. Vbi *b* decima solvitur, ut dictum, in sexagenis, funiculus duarum debet esse ulnarum, à pollice incipientium, per quem manipuli ligabuntur: & hoc in frugibus hyemalibus observetur.

seu sexagenis

12. Qui secundum consuetudinem decimam solvit, bene solvit.

ubi debet liquamen inter duos nodos cubitum abstinere in annona hyemali.

13. De apibus autem & cunctis animalibus, e decimator suam accipit decimam, si expectare voluerit de anno in annum, quousque sibi de illa domo cedere possit. Si autem expectare noluerit, detur ei, quod ad eum annuatim pertinet.

c al. decimam accipit decimator de anno in annum si voluerit expectare donec sibi de jure contingat de domo solvenda.

14. De poledro, id est, pullo equi & muli, unum nummum, de ove, asino, vitulo, hædo, porcello, dimidium nummi: si sint in numero quinario, aut infra: Si vero in senario consistant numero, vel ultra, decimator sextum cum duobus nummis: Septimum, cum altero dimidio: octavum, uno denario: nonum, medio nummo, seu obulo liberabit. Dominus autem animalium duo capita excipit ex sex, & tria de novem; postmodum eligat decimator unum.

15. Consimiliter decimantur pulli anserum, secundum quæ aliquos & caprarum, uno denario.

ARTICULUS XLIX.

1. Nulli licet stillicidium seu tectum suorum ædificiorum in aream seu fundum alienum extendere.

2. Vnusquisque etiam tenetur partem curiæ suæ sepire; alioquin damna per hoc vicino suo illata refarciet, suo vero damna sibi ipsi imputabit.

ARTICULUS L.

quod si noluerit decimam accipere in compensationem.

1. Qui lapides aut arbores finium regundorum; id est, distinguendorum limitum, ponere velit, vicinos, qui ex altera parte fundum habent, ad id vocare debet.

2. Qui curiam sepit virgis, versus fundum suum arbusta debet vertere virgarum.

ARTICULUS LI.

1. Fornaces, cloacæ, & stabula præcorum à sepe trium pedum spacio sunt ponendæ.

2. Quilibet fornacem suam & caminum protegere debet, nec à scintillarum in curibus fundus vicini periclitetur.

3. Cloacæ etiam versus curiam vicini versæ usque in terram muniantur.

ARTICULUS LII.

1. Transcrescat siquidem humulus sepem, qui radices habet infra sepem, vel cujus fundo radices fixerit, quantum de humulo attrahere potest per sepem humulum tollet, & quod extra manet, ad vicinum pertinet.

2. Rami arborum sepem non transcendant, si hoc vicino sit damnosum.

ARTICULUS LIII.

1. Quicquid homo censualis in terra ædificet aliena, hoc est, in fundo censuali, ea tollere potest, & heres ejus, cum recedit, præter anteriorem & posteriorem sepem, domum & fimum. id eterim dominus redimere potest, secundum arbitrium & æstimationem paganorum, quod si non fecerit, tam ea quam prius dicta, quo voluerit exportabit.

ARTICULUS IV.

d al. nisi vas curias aut plures habeat, aut saudi mille villa.

1. Pecora, quæ pastorem sequi possunt, nullus domi servare debet, exceptis suibus lactantibus, quæ etiam custodiri debent, ne damnum inferant alicui.

2. Nemini licet segregatim pecora pascere, ut per id communi pastori pretium minuatur: nisi decem mansos habeat sub titulo proprietatis vel feudalis, illi ovile & pastorem ovium separatim conceditur habere.

3. Vbi

3. Vbi pretium pastori solvitur de mansis seu cutiis, & non de pecoribus appretiatur, illud non licet denegare, ne villa maneat absque pastore.

4. Quicquid pastori præsentatur, & ex villa ad eum pellitur, istud vice versa impellere debet, & quod perdidit, solvere tenetur.

5. Si lupus quid ceperit aut spoliator. & ipse si detentus non fuerit, nisi factum per violentiæ clamorem, ita ut hoc possit comprobare, notificet: ad solutionem earundem teneatur.

6. Mutiletur etiam pecus coram pastore ab alio pecore, vel conculeetur, aut mordeatur, si pastor pro his incusabitur, nominare tenetur pecus; & si opus fuerit ad hoc jurare, quod pauperiem perpetravit. Et ille, cujus pecus pauperiem intulit, debilitatum seu læsum in suam capiet tutelam, quousque pastorem sequi possit, & si quis moriatur pecus, deputatus à jure verigeldus pro eo est persolvendus

7. Accusetur pastor, quod aliquod pecus non reportavit, suo juramento absolvitur. Si autem ille, qui pecus suum non invenit, stetim sub testimonio duorum pastore accusando accedit, pro eo pastor, jurare non poterit, sed ad ejus tenetur solutionem. Dixerit autem si pastor, pecus sibi non esse præsentatum ad pascendum, hoc nuncians cum duorum testimonio virorum, qui viderunt quod pecus sibi commendatum & præsentatum fit, facilius obtinebit, quam pastor denegare possit.

ARTICVLVS LV.

1. Quicquid Scultetus *a* cum majoris partis consensu paganorum ordinaverit utilitatis, huic à minori parte contradici non poterit.

a al. pro utilitate ville; cum consensu plurimum

ARTICVLVS LVI.

1. Quæcunque villæ seu prædia juxta flumina aut aquas instagnatas sita sunt, vel aggeres habent, qui ea ab impetu aquæ protegant, quodlibet *b* prædium in eo partem stagni suam debet tenere ab undis in conclusam. Si autem undarum impetus aggerem diluit, & per violentiæ clamorem ad id advocentur hi, qui sub eo commemorantur, *c* quicunque eorum ad reparandum aggerem non venerit, ipse talia, quæ sub eo habet bona, se noscat perditurum.

flumerint, ipsud à tertiam parte immutari non potest. b al. quilibet partem stagni suam illam servare debet, nè per negligentiam vicinia subveniatur. c. al. si per violentiam clamorum ad id vocati ad claudendum rupturam stagni non venerint, quicquid hæreditatis infra stagnum possiderint, perdunt.

2. Quicquid aqua evellit de terra, hoc perdit cujus erat, & tuo fundo applicatum tuum erit. Si vero novum fecerit alveum seu meatum, patrem fundi tui diruptum non amittis.

3. Si qua insula in flumine ex arena nata fuerit, cujus fundo vicinior sit, ipsi est acquisita. Si autem medium omnino tenuerit, possidentium, ab utroque ex æquo erit. Quod etiam de alveo seu palude siccato est intelligendum.

ARTICVLVS LVII.

1. Licet feudum propter investituram sit plurimorum, id tamen, quod in eo delinquitur, libero possessori emendatur. *Codices vetustiores hunc textum ita legunt:* Licet multis dominis una pertineat hæreditas seu feudum, ita quod unus ab alio ex infeudatione eandem teneat; quidquid aliquis in illa deliquerit, satisfaciet possessori, & nulli alteri.

ARTICVLVS LVIII.

1. Hæredem feudalem si quis post mortem non habeat, heres provincialis, quicunque sit, tollit mortui bona in feudo defervita.

2. Nunc considerandum sequitur, quando reditus feudi deserviuntur vel exsolvuntur. In festo *d* sancti Martini est omnis census & pactus deservitus, quare idem solvitur die *e* Sanctæ Walpurgis, decima agnorum: Assumptionis Mariæ, anserum; die sancti Johannis Baptistæ, decima carnium: subi decima denariis redimitur annuatim: ubi autem non redimitur, est deservita. Die Sanctæ Margaretæ, omnis decima frugum. vel si prius manipulatur, solvitur. Die beati Vrbani decima vinearum & pomeriorum: Sata proprio aratro operata, & rastrata deserviuntur, quando seminata agro deteguntur. quod & de hortis intelligitur, cum scilicet rastratus & seminatus fuerit. Pensio molendinorum, teloneorum, monetarum, vinearum, solvenda est, cum terminus advenerit hujusmodi solutionibus assignatus.

d al. Pro festo sancti Bartholomæi. e al. sanctæ Jacobi.

3. Si puer annos suos compleverit ante dies census, qui in bonis deservitur, puero persolvitur: si vero post dies census veros annos expleverit, tunc in percipiendo censu illius anni censebit: hoc ideo dico; quia si dominus hortos pueri, aut vineas, aut pomeria coluerit, aut tradiderit ad colendum, usque ad festum Sancti urbani, & puer ad annos pervenerit post terminum, dominus accipit fructum. Si etiam dominus agros pueri seminaverit infra annos, dominus sata recipit, non stipulas, neque baculos palmitibus seu vitibus alligatos. Non licet domino, pueri ad annos pervenientis, ligna cædere; aut gramina defalcare. Si autem prius puer annos attigerit, aut terminum, dominus suum amittet laborem. Puer enim sibi nihil restituere tenetur, si nec dominus puero, nec ejus heredi quicquam debit, quando *f* post mortem ejus feudum expectabit.

f al. quando tale feudum ad eum fuerit devolutum.

ARTICVLVS LIX.

1. Si dominus feudi censualem bonis non innatum alienare, aut ille vice versa recedere velit; hoc ei dominus, & è converso censitus domino in die Purificationis denunciare debet.

2. Moriatur si censitus, ejus heres succedit in fundo, & solvit ex bonis, sicut ille soluturus esset.

Si vero dominus moriatur, extunc ei, ad quem bona pertinebunt, hoc est, legitimo successori, censum persolvet promissum; & non nisi hoc oratro integre restituto, vacabit a tore.

3. Strata seu via regia tantæ latitudinis esse debet, quod currus alteri cedere possit. Currus vacuus onerato cedat, & minus oneratus magis onerato. Pedester cedat equiti, & equitans curribus. Si autem in via arcta consistunt, ut supra pontem, aut si equitans vel transiens persecutionem patiatur ab inimico, currus tamdiu stet, donec pertransierint incommoda fugientes.

4. Currus prius pontem ascendens, primus transeat, sive sit vacuus sive sit plenus.

5. Qui prius annonam molendino præsentaverit, prius molere debet, exceptodominomolendini.

ARTICULUS LX.

1. Qui equum, vestimenta, seu aliquod aliud mobile alii concedit aut impignorat, licet quoris modo res ab ejus potestate cum consensu sue desinunt possideri, si percipiens seu novus possessor cum rem vendiderit, obligaverit, detestaverit, hoc est, dudo amiserit, vel furto aut spolio perdiderit, is qui res hujusmodi primo concessit aut pignoravit, a nullo poterit eas repetere, aut evincere, nisi ab eo, cui sponte concessit aut impignoravit. Si vero is, qui rem hujusmodi concesserit, aut in eam recepit obligationem, morte directa moriatur; tunc is suam rem ab herede ejus, prout juris fuerit, po-

a al. ad eum quovis modo pervenit. stulet, vel a judice, si, ad eum *a* pertinebit.

ARTICULUS LXI.

1. QuandoDeus hominem formaverat, ei volatilium, piscium ac bestiarum dedit potestatem, ex eo istis injuriam inferenti, vita aut sanitas non auferatur. Tribus *b* attamen in Saxonia nemoribus, & in eis bestiis existentibus, exceptis lupis, ursis, & vulpibus, pax per bannum Imperii nunciatur. Primum est nemus, Koynisch, secundum, Magetey de, atque Hartus, tertia. Qui feras in istis locis occidit, solvet bannum Regium LX. solidos, mulctæ. Qui autem per dicta nemora equitaverit, arcus & ejus balista relaxentur, sartetra ejus sit munita, nec non ejus omnes canes colligabuntur.

b al. Tria sint loca in Saxonia, in quibus sub banno Regio ferri ferarum est securitas, ut sint lupi & vulpibus ex cepti & hæc loca vocantur metæ, seu lylvæ bānoRegio interdictæ, prima Choyna, secunda, Mayra virginū tertia, Inharth.

2. Si feram extra prædicta nemora persequi cœperis, & in nemora effugeris, licite eam insequeris, dummodo cornu non sufflet, & canes non insligesad insequendum. Et si eam cœperis, non deliqusti, canesque tuos absque culpa licite revocabis.

3. Nemini etiam licet fata pertransire venando, & conculcare, postquam se erexerint, folium crescendo acceperint, & in nodulos se præparent ad culmum.

ARTICULUS LXII.

1. Qui verrem tenuerit, canem tacite mordentem, lupum, ursum, cervum, simiam, aut talium quid, etsi postquam damnum dederint ea animalia excludendo, aut eis victualia denegando se excusare voluerit, hoc facere non potest, se comprobare possit mettertius, is qui damnum acceperit, quod prædictus ea usque in diem dati damnum tenebat.

c al. addunt: extra lylvā bannitam.

2. Interficiat quis canem, vel simile quid, ipse nullam sustinet pœnam, si suum addet juramentum, se causa necessitatis hoc fecisse.

3. Qui bestias, e quarum natura est fera, tenere voluerit, eas intra sua septa, aut munitas debet habere possessiones.

ARTICULUS LXIII.

1. Mulieribus procurare non licet, neque sine tutore agere. Hæc omnia perdidit eis Calphurnia, quæ sexus verecundiam coram Rege ex ira ostendit, dum suam in procurando obtinere non potuit voluntatem.

2. Vnicuique testificari, agere, & se defendere licet, nisi forte in Regis vel ipsius judicii sit proscriptione. In foro autem Ecclesiastico hoc ei non admitteretur, si est excommunicatus.

ARTICULUS LXIV

1. Mulieres & Virgines violenter oppressæ, cum violentiarum clamore coram judicio agere debent, propter manuale factum & vim seu necessitatem, quam declarare eas oportet.

2. Qui etiam in furto aut spolio comprehensos judicio præsentent, cum clamore violentiarum eos agere oportet propter manuale factum, quod producitur cum hominibus præsentatis.

3. Præterea qui occisos judicio præsentant, vel injuriam eis illatam prosequi intendunt, eum clamore violentiarum id agere debent, propter manuale factum, quod manifestum & clarum apparet.

4 Spoliatus si scit ubi res ejus ablatæ pervenerint, & si judicem ad prosequendum eas advocare voluerit, cum clamore violentiarū hoc facere debet, & conqueri propter factum, quod ibidem ostendere debet.

5. Vbi manuale factum non est, sine clamore violentiarum agendum est, alias actio agenti est damnosa.

ARTICULUS LXV.

1. Puer infra annos discretionis non potest in tantum delinquere, quod in vita puniatur. Occidatur vero aut mutiletur quis à puero, tutor illud ex substantia pueri secundum

verigel-

verigeldi nondum refarcire tenetur: quod & de damnis aliis à pueris illatis est intelligendum, si jure comprobata fuerint.

2. Interficiat autem quis puerum, plenum pro eo dare debet verigeldum.

3. Corrigat vero quis puerum, dummodo hoc pro delicto ejus se feciſſe ſuo juramento affirmaverit, nihil pro eo ſuſtinebit.

4. Qui puerum per crines traxerit, virgis caſtigaverit, dummodo propter delictum & exceſſum ejus id feciſſe juramento confirmaverit, nihil pro eo ſuſtinebit.

ARTICULUS LXVI.

1. Nunc conſiderare antequam pacem, quam in terra Saxoniæ Imperialis Majeſtas ex conſenſu Religioſorum, Nobilium, Procerum, Vaſallorum, proborumque hominum in ea commorantium, confirmavit. Omnibus in perpetuum temporibus, clerici & religioſi, mulieres, virgines & Judæi in corpore & rebus, nec non Eccleſiæ, cœmeteria, & quælibet villa intra ſepes ſuas ac foveas, aratra cum molendinis, & regia via, tam in aquis, quam in campeſtribus, & omnes in his exiſtentes ſecura pace fruentur.

2. Omnes etiam dies feriales ſeu celebres ac ligati, ad pacem omnibus hominibus ſunt conſtituti, & cum his in qualibet hebdomada quatuor dies, videlicet quinta & ſexta feria, ſabbatum & dies Dominicus, quinta feria, propter olei & chriſmatis conſecrationem, cum quo Chriſtiani in baptiſmo conſignantur: Ipſo etiam die cœnavit dominus cum diſcipulis, ubi corpus ſuum nobis in cibum tradidit, à quo & lex incipit noſtra: etiam propter venerabilem in hac die domini aſcenſionem, in qua ferrata via nobis fuit reſerata, merito tranquillam teneamus. Sexta feria Deus hominem formavit, & moriendo eum redemit. Sabbato Dominus requievit; poſt cœli terræque formationem, & in ſe pulchro poſt amaræ ſuæ mortis paſſionem; & tunc etiam clerici ordinantur, qui magiſtri Eccleſiæ ſanctæ deputantur. Dominica die hominem à Deo reconciliabantur: & ſicut iſte dies omnium dierum fuit primus, Dominusque in eo à mortuis ſurrexit, ſic & omnium erit ultimus, quia in eo erit reſurrectio omnium, ac in eo unusquisque accipiet præmium meritorum: & ideo prædicti dies à Chriſtianis cuſtodiuntur, & cum veræ pacis conſignatione honorantur: exceptis tamen his, qui in manuali violentiæ facto deprehenduntur, vel qui pro eorum reatu à Rege, vel ab alio judice proſcribuntur, eodemque judicio fuerint deprehenſi.

a al. reconciliantur *hanc DEO*

ARTICULUS LXVII.

1. Pro violentia ſeu pace fracta ad præſentandum ſe juri citatus, non plures niſi triginta ſecum ad judicium ducere poteſt; hi nulla arma ſecum deferant præter gladios.

ARTICULUS LXVIII.

1. Si equitans is ſeu viatoris equus fuerit feſſus, eidem liceat ſata ſeu annonam juxta viam poſitam ſeu ſitam tam ſuccidere, & ſpicas ad pabulandum equo ponere, dummodo ac ſcindendo unum pedem in via contineat, & ea poſt equi aut equorum paſtum nullibi ferat ad ſui protectum.

ARTICULUS LXIX.

1. Occidens & vulnerans pacis ſuæ violatorem, pro eo nihil demeretur, ſi meteſeptimus hoc in fuga aut in actu violentiæ accidiſſe valeat comprobare.

ARTICULUS LXX.

1. Poſſeſſio à nullo alienetur, vel ex bonis, quæ poſſidet, nullus expellatur, niſi poſſeſſio foret jure ab eo acquiſita.

2. Pacis violator debet puniri ſecundum quod ſupra dictum eſt.

ARTICULUS LXXI.

1. Injurata pace arma, exceptis gladiis, non niſi ad publicam expeditionem, vel ad torneamenta ſunt portanda. Quicunque contra edictum & adverſus ea fecerint, ſicut illegales & banniti judicentur. Imperialem enim transgreſſi ſunt ſanctionem.

2. Gladios etiam non licet ferre in caſtris, civitatibus, aut villis, omnibus qui in eis domicilia aut hoſpitia habent.

3. Arma licite ab his feruntur, qui violentiæ ſequuntur clamorem. Clamorem autem violentiæ omnes ſequi tenentur, qui annos diſcretionis habent, & gladiis accingi poſſunt: niſi juſta neceſſitate fuerint præpediti, exceptis clericis, mulieribus, ſacriſtis id eſt, Eccleſiarum cuſtodibus & paſtoribus.

4. Si clamorem ante caſtrum aliquod inſequuntur, ante illud per tres dies & noctes permanere debent, quisque ſub ſua proviſione & expenſis propriis. Quilibet in ſua jurisdictione ſequi tenetur, quamdiu actor inſequitur. Si autem actor non valeat ſequi vulnetatus, ſequantur vicini alii, quamdiu violatorem conſpiciunt. Si forſan violator in aliam ſe transferat jurisdictionem, & eum ſequentes comprehendere in campo queant, antequam gens illius territorii veniret, ab eis licite reducatur. Si vero ad villas, caſtra aut civitates fugerit violator, renovatio violentiarū clamore, & congregatis ad hoc ſculteto ac ruſticis ac probis viris, qui protunc haberi poſſunt, ad juſtum judicium reus poſtuletur, ad quod præſentandus eſt, ſi in manuali conſtiterit facto; & ſi ſequentium perſecutio à ſuo judicio,

cio per testimonium septem virorum comprobetur, qui præbent, quod istum in manuali facto in se cuti sunt ex suo judicio usque illuc: cautionem quoque prolocutrem stare debent, super vestigia hominis illius, *a* si forsan injuste contra illum judicent, & hic reum reportantes faciant, quod de jure fuerit faciendum.

a al. si reum non iudicent legis iusta, tandem vero à prima reum ducens ad secundum. quod tum fuerit iudicandum condemnabunt.

ARTICVLVS LXXII.

1. Pacis violator si super aliquod castrum se receperit, vel in quo contra justitiam detinetur, cum Judex pro violentiæ clamorem ad hoc citetur, ipse in tanto fonitu vocis, ut in castro audiri possit, reum ad rectum judicium debet postulare, & si judicio non præsentetur, tam castrum quam in eo habitantes proscribentur. Sed si dominus castri sex nuncios Judicis cum actore ad quærendum rapta & raptorem, castrum ascendere permiserit, tunc castrum non est scribendum. Accusetur autem castrum, quod ab eo, vel ad illum spolium sit illatum aut portatum, dominus suo juramento, aut ejus *b* castrenses illud poterit excusare. Qui autem ipsemet eum spolio est acculatus, castrum, antequam se ipsum excusaverit, non poterit excusare. Si quis velit castrum reuni facere per duellum, hoc à domino ejus, vel suo castrensi, contra sibi in generatione æqualem repugnetur: ahoquin proscribetur castrum, & ipsi castrenses rei judicabuntur:

b al Burgen sis.

2. Conqueratur si quis, quod de alterius castro sit spoliatus per aliquem, dominus castri, ut castrum excuset, aut satisfaciat, eundem producere debet, aut pro eo respondere cum personaliter oportebit.

3. Agatur vero adversus castrum, quod quis ex eo sit spoliatus & si actor spoliatorem ignorabit, dominus castri post sex hebdomadas, si pro eo incusetur, castrum eum suo expurgabit sacramento, vel damnum secundum quod juris fuerit, sine emenda refarire debet, dummodo ipse operis & consilii sit immunis.

4. Si inferentes damnum de aliquo castro exequitaverint, & infra diem & noctem ad illud non revertantur, spoliumque ante castrum vel in castrum ad servandum non dederint, extunc castrum immune ab hoc facto habeatur. Si vero exequitantes facto damno ad castrum revertuntur, & spolium

c al. ad castrum indudum sit, vel ante castrum servari, ipso iudicio castrum condemnetur.

d al Omne viuens.

e al. Si res mobiles quis vendiderit, donaverit, audierit, postmodum res ita stat factum negando perfiser suo sacramento & duerum, qui factum viderint, res ipsas facilius obtinebit. Cum huiusmodi vero testimonio si eadem res alter quivis reliquam furtivas vel ductas, nonpoterit quis innuendum, quod vendator eius sit, lucrari, ille a proprio absolvitur sacramento.

f al. Res concessa seu ad servandum testibus tradita, tanquam furtiva vel spoliata repeti non potest.

c castro aut suis defensionibus mancipetur, castrum justo judicio pro reo infacto judicetur.

SPECULI SAXONUM LIBER TERTIUS

ARTICULUS I.

1. Ædificia prædiorum seu villarum propter nullam aliam injuriam succidi, seu ad tetram proternı debent, nisi in ipsis fuerint virgines aut mulieres violentet oppressæ, aut post factum introducta jam fuerunt ædificia hujusmodi, si reus postmodum absolvitur ab actione, destructa jam ædificia non exsolventur, quia ea à reatu non excusavit, cum jure fuerant excusanda.

2. Omne *d* animal, quod tempore violentiæ illic affuit, per sententiam decolletur.

3. Omnes hujus clamoris violentiæ infecutores, si malefactorem quoquo modo comprehenderint, licet victus non fuerit, non delinquunt dummodo ab eis judicio præfetetur.

ARTICULUS II.

1. Clerici & Judæi arma portantes, & secundum quod juris est, si non tonsurentur, si quis in eis deliquerit, non aliter nisi ut laico eis emenda præstetur: quia arma portare non debent, quia pace quotidiana Imperii sunt communi.

ARTICVLVS III.

1. Mulier prægnans non debet in judicio, nisi ad cutem & crines, condemnari.

2. Super fatuos & furiosos sententia mortis vel membri amissionis non promulgatur: sed fidanum medierint, curatores eorum illud restaurare debebunt.

ARTICVLVS IV.

1. Qui e repetit ab aliquo sibi vendita vel donata mobilia, remque venditam negaverit vel donatam; si emptor vel acceptator rem sibi venditam aut donatam metertius probare poterit, jure eam obtinebit: sed cum tali testimonio, si res aliquo vindicetur, alium sibi non potest acquirere varendam.

2. Qui venditionem recognoscit, ille emptori varendare tenetur, & qui venditionem fuerit confessus, varendare tamen non vult, hic tur aut furi similis præsumitur, nisi illud in venditione seu contractu coram testibus excepisset.

ARTICVLVS V.

1. Quicquid alieui conceditur, aut apud eum sub trium testimonio depositum manifeste fuerit, de furto aut spolio incusari non poterit. Per tres autem quindenas, seu tribus vicibus, per unumquemque

vallum semper duarum septimanarum citari debetis, qui res alteri concesserat, vel qui eas deposuerat ut compareat res suas in judicio, si ei videbitur, defensurus. Quod si non fecerit, actor in prædictarum rerum mittitur possessionem. Retentor autem hujusmodi terminum aut diem, si sine periculo permanere voluerit, suo accommodatori, aut depositori personaliter, aut in ejus domicilium intimare debebit.

2. Accommodatam rem is, cui accommodata est, in principio litis, & in conspectu actoris, creditori licite restituere potest.

3. Si quis rem suam apud alium deposuerit, & si ex furto is eam amiserit, aut spoliis incendiisque perdiderit, vel si animal mortuum fuerit, nullam pro eo pœnam sustinebit, dummodo ille suo sacramento hoc dolo suo non accidisse declaret.

4. Quicquid vero uni conceditur aut pignoratur, illud reddere tenetur non pejoratum, aut secundum sui valorem exsolvere.

5. Moriatur equus vel animal obligatum sine creditoris culpa, hoc solvere non tenetur, si id probaverit, & ut juris est, à dolo sese excusaverit: summa autem debiti, in qua obligata fuit res illa, per hoc amittit creditor, nisi aliter in contractu fuerat stipulatum.

ARTICULUS VI.

1. Deteserat *a* si famulus res domini sui, aut eas divendat obligetque, dominus eas repetere potest, jure se ad illa trahendo. Si autem famulus in suis rebus hoc fecerit, seu voluntate propria quovis modo eas alienaverit, domino nulla competit actio, nec sibi eadem reserare aut rependere tenetur, licet famulo sua damna resarcire promiserat. Si autem res famuli furtive in domini servitio aut violenter sine *b* ejus culpa auferantur, dominus resarcire tenetur, & in solvendo condemnatur, domino vero ad recuperandum hujusmodi res actio remanebit.

a al. amittat si ludo famuli.

b al. Absque ejus negligentia.

ARTICULUS VII.

1. Judæus Christiani vas vendator esse non potest, nisi ut Christianus respondere veller.

2. Percutiat Judæus Christianum, aut eundem injuria afficiat, in qua si comprehendatur, ut Catholicus sententietur.

3. Percutietur etiam Judæus à Catholico, aut aliquam ei Christianus injuriam irrogaverit, quasi alium percussisset, judicetur, quia in eo pacem Regalem violavit. Istam pacem Josephus circa Vespasianum, cum Titum filium ejus à paralysi curavit, Judæis acquisivit.

4. Emat si Judæus calices, libros aut de sacris ornamentis quicquam, vel si ei hæc obligentur, ista si in ejus erunt inventa possessione, & eorum nequiverit habere vasvendatorem, sicut fur condemnetur. Si quid autem de aliis rebus emerit, vel in pignus recepit, non furtive neque occultando, die lucente, & non clausis januis, si mettertius hoc probare poterit, licet res empta sit furtiva, ipse tamen summam de super datam suo obtinebit juramento. Si vero in testibus defecerit, nummos suos se sciat perditurum.

ARTICULUS VIII.

1. Sunt qui dicant, quod castra & Principes seu Illustres non habeant pacem, quam quis in eis violare poterit, propter præsidia & assiduas munitiones castrorum, & propter militasses, quos Illustres secum ducere ex debito tenentur; quod tamen falsum est, quia personis illustribus homagia fecerit aut castro, & qui ad hoc jure sunt astricti, si pacem transgressi fuerint, mortis sententia condemnentur.

ARTICULUS IX.

1. Fidejussorem si quis sese obligaverit aliquem in judicio sistendi, & id implere non valeat, tenetur pro eo ad solvendum, secundum modum actionis: quia absens victus judicatur. Si vero actio injuriarum fuerit, absentis tenetur præstare verigeldum, qui ad actorem & non judicem dignoscitur pertinere, sed in eo mulctam obtinebit.

2. Simili modo debet quis pacem pro alio stipulatam emendare. Si quis vero pro seipso stipulatam violaverit pacem, morte puniatur.

3. Pax sive transactio in judicio, in quo stipulata est, contradicenda aut melioranda venit.

4. Nulli etiam tempore pacis agere licet contra illum, cui pax indicta est.

5. Si fregerit quis stipulatam pacem, actori pro hoc posse agere per duellum & sine duello concessum est. Si autem violator in manuali deprehenditur facto, injurata pace judicetur.

6. Expugnantur etiam in stipulata pace castra, & homines in eo capiantur, hujusmodi perpetrans, suos stipulatores seu fidejussores cum juramento non poterit liberare.

7. Si quis aliquem in judicium præsentare stipuletur, si is, qui præsentaturus fuerat, sine stipulatore suo se præsentaverit, stipulatorem liberabit, dummodo hoc præsentatus poterit comprobare.

8. Qui etiam captivum fuerit stipulatus, istud exequi pro tempore si dejussor tenetur, & non captivus.

9. Qui hominem, contra quem injuriarum actio in judicio proposita est, à judicio violenter deduxerit, comprehensus, simili pœna plectetur: si vero effugerit, est statim proscribendus, si in facto cum violentiarum clamore est vocatus, idque poterit comprobari.

ARTI-

ARTICULUS X.

a al. Quisi-dejuserit pro illo, quia ad juramentū obligatus erat, &c.

1. Debeat autem homo aliquem injuriarum actione accusatum in tempore certo judicio præsentare, etsi interim præsentandus moriatur: stipulator, si eum de functum præsentaverit, liberabitur. Si vero actio civilis seu pro debito contra eum proposita sit, quod debitum nondum est luper eo liquidatum, mortuum non oportet judicio præsentare, sed fidejussor mortem ejus mettertius declarabit, & heres mortui pro debito respondere tenebitur.

b al. Quia tu dex adoreps cem tradetur, & non reo, quia ad sent ad judicium citatur.

2. Si animal, quod præsentari debuit, mortuum fuerit, promissor in judicio cutem, si præsentaverit, liberabitur.

ARTICULUS XI.

c al. Si post tricesimum diem eandem rem in judicio arguere natur, poſſor neutri respondebit, donec manubaliter inter eos componatur, aut unus alium in judicio occasione ſtitui à causa propellat

1. Quia *a* pro sacramenti protestatione promiserit, moriente reo, idem promissor aut rei heres ad sacramenti tenetur completionem: alias promissor ad solutionem rei, pro qua sacramentum tulerat, promissum, obligatur.

ARTICULUS XII.

1. Qui agat adversus aliquem, & si ille e converso contra suum velit experiri actorem, posterioris actio, nisi prior e discussa, non audiatur. Si multi contra unum actionem interponere velint injuriarum, cæteris respondere tenebitur, donec à primo per judicium sit absolutus. Et si actio prorogatur, hoc est, in alium terminum differatur, cautionem non nisi pro suo præstabit vertigeldo, dato quod juxta sint plures.

ARTICULUS XIII.

d al. Si prudū aliquod imperatur à duobus, & in dex exigat si la sibi tradi, ſervanda rei causa eidem tradetur do

1. Si contra aliquem actiones in judicio proponentur injuriarum ipso non præsente, terminus que reo ad respondendum assignetur, & actor infra dictos terminos reum invenerit, eum licite, usque quo sufficientem, ut ejus respondeat querimoniis, præbuerit cautionem, jure arestabit, *b* quia pacem actori judex, & non reo, in cujus absentia conquestum est, nunciavit.

ARTICULUS XIV.

1. Si homo dictis sui ferendarii non consentiat, propter emissa ab eo verba, damnum non sustinebit.

2. Contra quem agitur actione injuriarum, primo vas rendam petat actionis, quoniam ante hujusmodi vasrendæ præstationem, actor suam corrigendi actionem liberam habet facultatem, quam post hujusmodi præstationem non est habituras.

ARTICULUS XV.

e al. Indexnē potest aliquē à suo propellere actione, nec alter quisquam, præterea si ea erit quæ actio inſtituta sit

1. Si res hæreditaria à duobus post tricesimum de functi postuletur, nisi lite inter eos sopita, id est, donec amicabiliter componant, aut unus alium in judicio amoveat, nulli eorum præbeatur. Retentor vero rei hæreditariæ, armorum bellicorum, aut supellectilis, si postulata, post tricesimum exhibere negat minus juste, pro eo mulctam dabit & emendam, si ejus injusta retentio judici nuncietur.

2. Si *d* autem res litigiosa extiterit, à duobus que impetatur, & judex eam postulet, eidem præsentari debet, eandemque servabit judex ad litis usque decisionem, præsentansque liberatur.

3. Qui expeditorias res, hoc est, arma bellica, postulet, agnatus ex parte gladii esse debet: adventilia vero seu geradam, cognatus, id est, ex parte fusi seu mulieris, duntaxat admittitur.

ARTICULUS XVI.

1. Nemo ealium à sua repellere potest actione, nisi is, adversus quem actio fuerat ventilata.

2. Infames tantum tutores habere prohibentur.

3. In Imperio & in ipsa jurisdictione, pro scriptis respondere nemo teneatur, sed ipsos alios [spondere oportebit [in illa jurisdictione, ubi proscripti sunt.]

ARTICULUS XVII.

f al. Proscriptus se in omni loco iuxta, in quo proscriptus est eximere à proscriptione potest, quē admodū etiā in omni loco inuidi iuris dicitur eā tyrannum quevela excutere potest.

1. Proscriptus *f* quemadmodum adversus eum actio proscriptionis in omni loco jurisdictionis proponitur, ita se in omni ejusdem jurisdictionis loco expiabit. Fidejussorem autem dare debet, ut juri compareat respondurus: quem sibi habere nequiverit, cum judex usque ad eondignam responsionem retinere tenetur.

ARTICULUS XVIII.

1. Si proscriptus dixerit in judicio, se proscriptionem debito modo evasisse, illud si per judicem Scultetum vel, aut præconem, loco judicis, & duobus testibus ad litis idoneis viris non probaverit, actor probatione ulteriori super proscriptione contra eum objecta non indigebit. Sed qui sub Regis banno fuerit proscriptus, ad probandam sui expiationem, duorum bannitorum testimonio & judicis indigebit.

ARTICULUS XIX.

g al. Iudex eum ea cuſtodia ſervabit, donec ad obsequē ſpondeat.

1. Ingenui seu liberi, atque ministeriales Imperii licite coram Imperio aut Rege testes esse & sententias invenire possunt, quia per sacramentum Regi fidelitatem debitam sponderunt. Non licet tamen tali ministeriali sententiam edicere, vel testimonium dare, adversus bannitos, si causa in vita ipsius, honorem, aut hæreditatis amissionem cedere videtur.

ARTI-

ARTICULUS XX.

1. Agrum alterius arans ignoranter, nullam pœnam pro eo sustinebit. Sed qui arat scienter, quem dicit suum esse, si succubuerit, hoc emendabit.

2. Quilibet etiam arantem agrum suum licite sine judicis licentia, ut eum ad justitiam faciendum inducat, pignorabit.

3. Arando a nemo vitam suam amittat ad sanitatem, nisi ager, qui aratur, alicui per sententiam sit ab judicatus, & judicato pax sit super eo nunciata.

a *aliquis potest occidi aut membra demereri, arando fundi alienum sibi usurpatum, nisi per sententiam fuerit adjudicatus, & pax ejusdem publice edicta & al. tunc a judicio determinatur. cal. reus jurat, quod reddere ostendat, quantum sibi de jure pertinet, & non plus. dal. Si vero uterq; juramenta probaverit, æque eidi videtur*

ARTICULUS XXI.

1. Impetant si duo unam rem vel prædium cum simili testimonio & actione, & neuter alium præveniat in agendo, ipsis æque res erit dividenda. Istud testimonium à circumsedentibus villa, in qua bona hujusmodi sunt sita, aut aliarum circumvicinarum villarum, determinetur, & qui testimonium plurimarum habuerit personarum, is rem seu illud prædium obtinebit. Si vero vicinia ignoraverit, quis eorum justiorem habeat possessionem, tunc b per sententiam veritas expediri poterit; vel actor & reus c de his bonis, quod ad unumquemque eorum pertinet, sub juramenti ostendant præstatione; ad quod judex nuncios suos mittet. Quicquid d vero ab eis æque ostenditur, æque eis, ut dictum est, dividetur.

ARTICULUS XXII.

1. Qui equum aut vestimenta ad certum tempus accommodaverit, & si diutius hæc ab eo retinentur, statim post interpositam à creditore actionem, hujusmodi reddere debet detentor. Et si pejorata fuerint, commodatori ad interesse tenebitur. In his vero debitor fortum aut rapinam dici non poterit commisisse, quia solus libere accommodaverat.

2. Licite etiam quis sua bona, licut juris est, poterit vindicare, quæ alius contra justitiam, ultra terminum præfixum tenet occupata.

ARTICULUS XXIII.

1. Qui recipit alitve proscriptum scienter, hic mulctam præstet judicio; si vero ignoranter se id fecisse juraverit, impunitus erit.

ARTICULUS XXIV.

1. Nullus propter proscriptionem in una jurisdictione factam in alia jurisdictione condemnari debet.

2. Qui in superiori judicio proscribitur, in omnibus e jurisdictionibus inferioribus ad hoc pertinentibus proscriptus habetur. Quia autem in inferiori proscribitur, in superiori jurisdictione non censetur proscriptus, nisi rationabiliter in proscriptionem illam veniant.

e alias omnibus judiciis summo judicio subjectis, proscr. hab.

3. Inferior Judex de proscriptione superioris judicis cognoscere non debet, nisi forte superioris judicis proscriptio sibi ita cognita sit, ut eam judicis superioris loco voluerit testificando affirmare; id est, quod de ea testis loco summi judicis esse velit.

ARTICULUS XXV.

1. Moriatur si judex, ejus successor in judicialibus actus testis esse debet omnium, quæ in defuncti præsentia judicio acta sunt, quantum Scabinorum testimonio fuerit informatus, licet ipse præsens non fuerit in facto, nec illud viderit vel audierit.

2. In foro, oppido, seu jurisdictionibus alienis, respondere nullus tenetur, nisi forte mansionem, domicilium, vel bona ibidem possidet, vel nisi injurisando inibi delinquat, vel ibidem respondere fuerit stipulatus.

3. Quid extra aliquam jurisdictionem actum constiterit, hoc in eo judicandum non est.

ARTICULUS XXVI.

1. Rex est communis Judex ubilibet omnium.

2. Liber & idoneus Scabinatu non compellitur respondere in causa duelli coram judice extraneo. In jurisdictione autem, in qua insignitus est, id est, in qua natus est, se de Scabinali dignus, & in illa ubi sedem bannitorum seu Scabinorum habuerit, judicio vel responsioni alligetur. Qui autem inibi istam sedem non habuerit, superioris judicis, ubi residet & domicilium habet, judicium expectabit.

3. Hanc sedem pater primogenito, eo vero non existente, * seniori & sibi in generationi simili agnato relinquet.

**NB. Primogeniti locum occupat senior inter proximiores agnatos, etiam hoc jure Saxonico generali & imperiali. Vide Wich. ariet. tit. 5. art.*

ARTICULUS XXVII.

1. Mulierem si quis in matrimonium duxerit nescienter, quam de jure superducere non valebat, & interim pueros procreat ex eodem, si postea per Ecclesiam fuerint separati, hoc pueris in suo jure non derogat, qui ante divortium nati sunt; nec etiam illi, quem mater gestat tempore divortii.

ARTICULUS XXVIII.

1. Qui alium dicit illegitimum ortu aut officio, hoc contra ipsum proponens, ille eum testib. in suo

suo jure perfectis probare debet. Quivis tamen, quod sit legitimus, & pleni juris eum testi monio probaturus, facilius auditur, quam propter testimonium cujuscunque id abjudicari possit.

2. Si vero quis dicat contra aliquem, quod jus suum furto aut spolio perdidisset, hoc per sui eum cum testibus septimis contra eum probare oportet.

ARTICULUS XXIX.

1. Liber seu idoneus scabinis bannum sui scabinatus, id est, locum ubi natus est scabinus esse, non oportet oftendere aut suos progenitores quatuor nominare non oportet, nisi suo æquali in genere aut ordine ellum proposuerit injungendum.

2. Licite quis jurando bannum sui scabinatus poterit demonstrare, licet scabinatum non possideat.

3. Vbi duo unam debet dividere hereditatem, senior dividat, juniori vero competit electio in hac parte.

ARTICULUS XXX.

1. Ferendario carere debet, qui personaliter coram judicio respondet.

2. Quamdiu quis se respondere non debere sententialiter defenderit, tamdiu respondisse non dicitur.

3. Judex æquus esse debet omnibus hominibus; nec debet sententiam inveuire, nec inventam increpare.

ARTICULUS XXXI.

1. Quidquid unus alteri debet, vel eidem aufert, hoc hæredibus illius solvere tenetur, si decedat. Si autem auferens moriatur, heredes ejus pro debito non respondebunt, nisi possideant illa bona, pro quibus eorum prædecessor fuerat inculpatus.

2. Qui captivat alium sine rerum oblatione, id est, absque spolio, aut vulnerat & affligit sine vulnere mortali, & sine privatione membri, hereditibus læsi respondere non cogitur. Si post anni spatium moriatur, nisi forsan ante decessum is, contra reum causam judicialiter inchoaverit.

ARTICULUS XXXII.

1. Si quis advena se liberum dixerit, pro libero habeatur, donec per testimonium hoc reprobetur.

2. Qui se liberum dicit, & alter eundem servum esse dicat, eo quod se ei in servitutem dederit, liber evadet, sacramento donationem negando prætactam, nisi forte in judicio factum sit. Si vero dicat, eum esse suum vernaculum, id est, innatum servum esse, dominus eum cum duobus suis sub juramentis obtinebit; Si autem alius eundem à domino ut suum postulet servum, tunc eum cum septem ejusdem servi cognatis aut hominibus veridicis obtinere necesse est. Si tamen is, qui dicitur suam metseptimus, cum tribus ad eum jure cognationis pertinentibus ex parte patris, & tribus ex parte matris, probare poterit libertatem, eam obtinebit, attestationes omnes annullando.

3. Possidentis servum, probatio facilius admittitur, quam ejus, qui eum non possidet.

4. Qui se in judicio in servum donaverit, ejus hæres hujusmodi donationi jure contradicat, & eum in statum reducet libertatis. Sed si dominus eum usque in diem obitus tenuerit, ipse ejus accipit hæreditatem & prolem, si eum secuta fuerat, tum & eam, quam post donationem genuerat.

5. Qui se servum unius domini negaverit, & ad alium se pertinere dixerit, si ille, ad quem se pertinere dicat, ad defendendum eum in judicio non comparuerit, qui eum impetiit cum duobus *a* suis cognatis; quos si non habet, cum duobus vernaculis jurando eum obtinebit. Postquam ut sic per testimonium à domino victus extiterit, dando ei colaphum coram judicio, si vult, eundem suo servitio mancipabit.

a al. cum septē suis cogn.

6 In quocunque judicialiter actor veligeldum aut emendam acquirit, in eodem judex multam seu pœnam, si vult, obtinebit.

ARTICULUS XXXIII.

1. Quilibet *b* jus suum coram Imperio vel Rege obtinet: quilibet etiam respondere ubiquelocorum coram Rege tenetur, non secundum partis actoreæ, sed propria reæ partis jura. Etiam ad omnia inculata respondebit coram eodem, nisi forsan duellum eidem indicetur, ratione cujus poterit se per jus excipere, ne respondeat, nisi in territorio suo, de quo est oriundus. Si item de proprio impetatur eum respondere non oportet extra territorium suum.

b al. Quilibet advena jus.

2. Rex etiam non secundum hominis tam actoris, quam rei jura, sed secundum jus provinciæ, in qua sistit proprietas, judicabit.

ARTICULUS XXXIV.

1. A judice proscriptus, & in bannum Regis seu illegalitatem inductus, ipsam si evadere velit, per sex septimanas curiam sequi debet: eique rex pacem indicet. ille etiam jurare tenetur judicio se sisti & se judici, qui eum proscripserat, præsentare. Ibidem tandem infra quindenam, postquam in suam provinciam reversus fuerit, se judici supradicto exhibeat, omnibus, querulantibus respondsurus. In signumque ac complementum juris prosequendi etiam sacra programmata, id est, literas Regali sigillo munitas secum deferat judici, ut sciat eum liberum à proscriptione fore.

2. Illegalitatem incurrens sine proscriptione inferioris judicis, curiam sequatur Regis per sex hebdomadas & fit immunis.

3. Qui se à proscriptione Imperij exuerit, & judicio semper non stitit, desse justitiam ministraturus, denuncietur illegalis & bannitus, tanquam per annum & diem in illegalitate Imperii perstitisset.

ARTICULUS XXXV.

1. Captus in manuali facto, furto aut spolio; harum rerum nullum poterit nominare varendatorem.

2. Inveniet autem quis sub alio res suas sibi ablatas aut furatas, & si retentori hujusmodi rerum, manuale non potent imponere factum, ipse licite in his rebus suum nominabit varendatorem, si ei duellaria verba objecta fuerint.

ARTICULUS XXXVI.

1. Qui alium in judicio ei indicendo duellum comprehenderit, & si actio per sententiam prorogabitur, ambobus pax indicetur, quæ si fracta fuerit, debet ante omnia sine duello per justitiam emendari. Violator vero si in facto comprehenditur manuali, prout violator pacis, jure sententietur.

ARTICULUS XXXVII.

1. Qui alium sine vulnere percusserit, aut baculaverit, depilaverit, correxerit que; & si cum clamore violentiarum judicio præsentetur, ob hoc vitæ aut sanitatis non patietur detrimentum. Mulctam etenim & emendam præstando liberator.

2. Qui se ad testimonium, antequam juste secundum juris formam interrogetur, exhibuerit, à testimonio repelletur.

3. Qui pecus vicini sui, cum suis pecoribus in domos suas duxerit, & in crastino illud emittet, nihil delinquit, dummodo id non neget, & ejus non sentiat utilitatem.

4. Qui maturos alterius fructus, dum ejus putat suos aut dominii sui esse, abscindit, nec eos auferat, non peccat, immo merces ei pro his tribuatur.

ARTICULUS XXXVIII.

1. Quidquid homo per annum & diem non possederit, pro hoc impetitus statim respondere tenetur.

2. Mulier imprægnata, post mortem viri sui à bonis ejusdem ejici non debet ante partum.

3. Comestibilia & dotem non hæreditat mulier tempore viri, nisi recipiat eadem post mortem ejus. Relicta etiam non hæreditat suo hæredi ædificia in vitæ provisione, nisi viva de loco provisionis, in locum proprium vel feudalem illa locaverit vel exportaverit.

4. Mulier cum mortua fuerit tempore vitæ mariti, cognata ipsius vicinior, quæ recipit supellectilem seu utensilia, relinquet lectum ornamentum marito, sicut fuerat tempore uxoris, & mensam ornabit mensali, & bancum seu scamnum puluinari, ac sedile cussino.

ARTICULUS XXXIX.

1. Qui debita ab eo in judicio petat, qui solvendo non est, nec habere poterit pro eo stipulantem, judex eum pro debitis creditori tradere debet, quem tenere in victu & labore tenebitur, sicut aliam familiam; & si velit compedi eum includat; aliter tamen eum non debet tormentari. Et si effugerit, vel eum dimittat, propter hoc non est à debitis nondum persolutis liberatus, quam diu debitorem solutionem nequiverit comprobare, quia, ut sic, semper pignus erit suo loco debiti.

2. Qui in judicio incusetur, & si ut respondeat à judice sibi præcipiatur, ille vero si non responderit, vel se de jure non respondere debere monstraverit, mulctatus sententiatur. Quod etiam in secunda & tertia vice faciendum erit. & si adhuc non responderit, extunc in actione est superatus. Sed si actio fuerit criminalis, & actorem facti debere causam cum sex testibus comprobare.

§ al. *quod actio in vitâ aut membri amissionem dirigatur: actor, vel se, cū sex testibus causam juramento probare tenebitur.*

ARTICULUS XL.

1. Cui aliquid solvendum est, eum usque ad occasum solis, in sua aut in vicina judicis domo, coram quo solutio exiterit acquisita, oportebit expectare.

2. Qui nummos vel argentum solvere debet, si pro hoc pignora præbuerit, per id non fit liber, nisi sic inter eos pactum fuerit.

3. Per Nuncium argentum aut nummi licite persolvantur; se nulli nuncio nisi ei, qui ad hoc à creditore in judicio deputetur, præsenterur.

4. Talis autem conditionis, quemadmodum in promissione continetur, argentum aut nummi persolvantur; debitorque hujusmodi denarios, prout promiserit, solvere debet. Si autem conditio non sit nominata, argentum aut nummi præstentur, qui communiter sunt currentes vel usuales in illo loco vel judicio, ubi promissio facta fuerit.

ARTICULUS XLI.

1. Cujuslibet captivi pacta aut promissiones ipso jure sunt irritæ & manes: sed si sibi mediante sua promissione induciæ tribuantur, vel si transactio ab eo juretur aut permittitur, nec interest sive donando pecuniam, sive sine donatione illud juramentum interpositum sit: hæc duo, & non alia, promissa illæsa custodiantur, quæ ab ipso in captivitate promissa sunt vel jurata. Sed si super fidem suam mittatur ad terminum, de jure debet in termino constitui, ac redire fidem suam liberaturus.

pro pretio autem aut gratis liber factus implere teneatur, qualitercunque promiserit, aut juraverit abrenuntiationem vindictæ.

2. Quid, quid homo juraverit aut promiserit ob suæ vitæ aut sanitatis conservationem, & ea implere nequiverit, jus suo in eo non derogabit.

3. Qui alium captivaverit fraudulenter, si se reversurum promiserit, aut alia juraverit, ea adimplere non tenetur: dummodo jurando affirmet, se doloso & per metu ad istâ inductum stipulatione[m].

4. Quicunq; etiam ab alio in judicio pecuniam debitam petit, causam debiti, si hoc rogatus fuerit, actor exprimere teneatur, an ex promisso debitor sit, vel pro hereditate, quam ab ipso acceperat.

ARTICULUS XLII.

1. Altissimus Deus hominem ad suam creditur imaginem condidisse, & unum sicut alium sua redemit beatissima passione. Ipse enim æque pauperem & divitem in suam collocavit charitatem.

2. Quare non admiremini, hunc librum tam parum de juribus ministerialium enarrare, cum & variæ sunt, (id est, tot apparent) in eo diversitates, quod vix enucleari possint. Nam sub quolibet Episcopo, Abbate & Abbatissa sibi speciales competere volunt jurium innovationes; id est, jura ministerialium sunt diversa, quæ distinguere non sufficit.

3. Et etiam cum leges hujus privilegij per divorum Principum constitutiones gemmis verborum primitus exornabantur, ministerialium conditio non confitebatur, sed omnes liberi erant.

4. Cum etiam nostri prædecessores ad istam se transtulerunt provinciam, omnibus competebat facultas ingenuitatis.

5. Scrutando præterea meos sensus, exemplum servitutis invenire nequeo, secundum sacram scripturarum & legum sanctarum veritatem. Opinantur tamen quidam à Cain fratricida servitutem incepisse; sed hoc non, stirps enim ejus per diluvium fundirus deleta est; servitutem vero in hunc diem cernimus.

6. Quidam etiam servitutem à Cham filio Noe inceptam putant; sed nec id locum habet, duos enim quamvis Noe beatificavit filios, tertium tamen non redegit in servitutem. præterea, Cham per suam stirpem possedit Affricam: Sem in Asia morabatur: Japhet Europam sibi subjungavit, & sic nullus illorum alterius servus permanebat.

7. Item, alij eam ab Ismahele oriundam opinantur; non tamen verisimile videtur: scriptura siquidem Ismahelem ancillæ filium, non servum alicujus nominavit.

8. Deinde plures servitutem ab Esau exivisse commemorant; sed nec id verum esse creditur. Jacob enim, & siquidem recepit à patre ejus benedictionem, & per eam dominium suorum fratrum obtinebat; non tamen Esau maledictionis servituti supponebatur.

9. Jure etiam nostro cautum habemus, quod nullus se in servum dare potest, quin suus contradicat hæres; qualiter ergo tunc Noe aut Isaac alium in servitutem redigere posset, cum nec seipsum quis donare in servum poterit.

10. Ex Scripturis sacris etiam colligitur, quod Dominus à patrato opere, die septimo requievit. Septimam etiam hebdomadam statuit observandam, cum Judæis Decalogum tradidit; & nobis Hanc seu Spiritum sanctum suum immisit. Septimum insuper mensem & annum, qui liberationis dicebatur, in quo omnes servi & captivi ad priorem statum, si volebant, manumittebantur, suis duxit ceremonijs subjungendum. Post septies autem septem annos, annus jubilæus advenebat; in eo quoque omnes liberantur; quæ libertas ex necessitate etiam polentibus præstabatur.

11. Dominus etiam Jesus nullum hominem alterius esse hominis in numismatis tentatione, ei à Pharisæis & Herodianis oblata designavit, dicens: *Reddite imagini Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo.* Ex his verbis colligitur, hominē ad Deū pertinere, & qui eum occupat, in Omnipotentis peccat potestatē.

12. Secundum autem rei veritatem, servitus per captivitates injustas, communationes & injurias initium habet, quam homines propter longi temporis consuetudinem, tanquam juris esset, usurpare cupiunt.

ARTICULUS XLIII.

1. Quarum rerum se homo non jure intromittit, si eas jure dimittere compellitur, cum mulcta & emenda his renunciare eum oportebit. Quas res vero cum consensu veri domini accipit, velut si alicui dimittantur, concedantur, accommodentur, si res istæ non persolvantur, vel debito tempore non restituantur, propter hoc retentor non præstabit mulctam, nisi earum redditio coram judicio fuerit stipulata.

ARTICULUS XLIV.

1. In Babylonia incepit Imperium. Civitas illa toti imperitabat mundo, quam Cyrus expugnavit, & in Persiam transtulit, in qua usque ad Darium perseveravit. quem tandem Alexander vicit, & Imperio Græcæ applicavit, & ibi steterit quousque Romani sibi Imperium assumpserunt, & Julius imperare cœperat. Ex eo adhuc Roma secularem, & à beato Petro tenet gladium spiritualem, totiusque mundi urbs illa tenet principatum.

al. *subjugaverant.*

2. Cum ad provinciam istam nostri advenerunt prædecessores, Turingos exinde fugaverunt. Mortuo enim Alexandro, quem, ut Asiam Imperio subjugaret, juverunt: in regione Atlantica post ipsius obitum, propter subjugatorum odium morari non audebant, in trecentis galeis se receperunt, quæ omnes fluctibus maris tumescentibus, exceptis quinquaginta quatuor, interierunt; quarum decem & octo littora Prussiæ petierunt, & illam obtinuerunt; duodecim item galeæ Rugianorum terram occupaverunt; viginti & quatuor autem in istam se terram receperunt. & cum in numero essent pauci, ita

quod

quod agros culturæ tradere commode non possent, fugatis & interfectis dominis Thuringorum, reliquam gentem, ut operaretur terra, vivere permiserunt, talia imponentes eis jura, quæ hactenus adhuc consistunt in conditionibus Latinorum. Et ex his, qui juri derogabant suo, dedititiorum conditioni subjiciebantur.

ARTICULUS XLV.

1. Nunc intelligite, qui verigeldus cuilibet hominum juxta unius cujusque conditionem debeatur. Illustres, Spectabiles & Barnim, in emenda ac verigeldo coæquantur.

2. Illustres tamen seu Principes, ac Spectabiles & Liberi domini, per solutionem auri præ ceteris honorantur. Illis etenim duodecim nummi aurei loco emendæ debent præsentari, quorum quilibet tres nummos tenet ponderosos; & pondus nummi aurei, pro decem argenteis computatur: & sic duodecim aurei nummi valorem triginta solidorum obtinebunt.

3. Barnitus, seu loco scabinali idoneis triginta solidi ponderosorum denariorum, pro emenda præstantur, horum viginti solidi marcam solent ponderare: decem & octo talenta denariorum ponderosorum eorum continet verigeldus.

4. Quælibet mulier maritata, dimidiam sui mariti partem emendæ & verigeldi obtinebit.

5. Virgo innupta dimidiam habet emendam, secundum ortus sui generationem: desponsata vero itidem medietatem sponsi sui. Maritus est etiam tutor uxoris post desponsationem.

6. Uxor cum lectum mariti ascenderit, per illam copulationem eidem in generatione coæquatur: mortuo viro, mulier ab ejus jure liberatur.

7. Paganis vero seu censualibus, qui judicium sculteti quærere solent, quindecim solidi pro emenda, & decem talenta loco verigeldi numerantur. Ex his etiam à Præfecto & Scabinis, si necesse fuerit, præco eligitur, sed non nisi qui tres mansos habeat proprietatis.

8. Aliis etiam libertis hominibus incolis, qui nullam habent proprietatem, sed veluti aduenæ & peregrini adveniunt & recedunt, ut paganis verigeldus & emenda tribuatur, hoc est, quindecim solidi emenda.

9. Verigeldus, decem talenta, viginti solidi & sex nummi cum quadrante, est emenda *a* Latinorum: & novem libræ seu talenta eorum est verigeldus.

10. Duæ laneæ chirothecæ cum furcula seu tridente, quo fimus tollitur, emenda est *b* dedititiorum. Duodecim e vero virgarum cumulus tritici, ita ut virga una passim distet ab alia, & quælibet virgarum duodecim clavos habere debet; clavus vero in ascendendo unus ab alio in spacio, usque ad humeros distet, ut cumulus sursum potent sublevari. In quolibet clavo duodecim bursæ pendere debent, & duodecim solidos quælibet bursa contineat; hic est eorum verigeldus.

11. Ordinatorum seu Clericorum filius, & aliis illegitime procreans solvitur in emenda cutrus fœni, quem duo boves annales seu unius anni trahere possunt.

12. Histrionibus, inculatoribus, & his qui in servitutem se dederunt, emenda datur umbra viri.

13. Pugilibus, eorumq; filiis emenda, splendor videlicet contra solem, clypei duellatis præstetur.

14. Duæ virgæ & una forpex emenda illorum est, qui furando aut spoliando juri derogarunt suo.

15. Illegitimorum emendæ parum afferunt utilitatis, ideo tamen positæ sunt, ut eis acquisitis judici per hoc mulcta præstetur.

16. Sine verigeldo illegitimi reperiuntur, attamen si quem illorum quis spoliat, interficit aut vulnerat, vel illegitimam violat, pacemque in eis fregerit, secundum jura pacis violatoris judicetur.

a al. *agricolarum.*

b al. *horum Lanorum, seu illorum, qui diurna laboratoria sunt.*

c al. *Acervi vel tritici duodecim habeat statuat, quorum quælibet per unam passum ab alia distet & quælibet statua clavi continet duodecim, a se invicem distantes, ita altitudine unius hominis ut statura usq; ad humeros.*

ARTICULUS XLVI.

1. In meretrice autem & in alicujus concubina committitur violentia; & si eam quis præter ejus voluntarem violat, in vita sua condemnetur.

2. Pro uno vulnere non nisi unus impetitur, licet rei, operis & auxilii possint plures accusari.

ARTICULUS XLVII.

1. Quicunque alteri quidquam injuriose; violenter, vel præter ejus voluntarem, sive sit multum, sive parum, abstulerit, repetit, reddere compellitur cum emenda. Sed si auferens ablatam rem habere non posse juraverit, solvere eandem debebit, secundum estimationem actoris, aut valorem minuere sacramento.

2. Venatile cum venatili in valore simili, dummodo hoc juretur, persolvatur.

ARTICULUS XLVIII.

1. Qui pecus alterius voluntate aut sine voluntate occiderit, quod manducari potest, constituto verigeldo persolvat. Qui vero id mutilet, cum suo dimidio liberatur verigeldo sine emenda, si juraverit non spontanee se fecisse, & ipse illud retinet, cujus erat.

2. Qui autem voluntarie, sponte & absque necessitate occiderit, aut in pedem mutilet animal ad manducandum minime aptum, plenum persolvere tenetur verigeldum, cum emenda. Si vero in occulto mutilet, mutilans ejus præstet medietatem.

3. Occidatur autem aut mutiletur animal non ex hominis consensu, sed tamen ex ejus culpa, & si hoc juratur, sine emenda, ut supra dictum est, persolvetur.

4. Mutiletur autem aut occidatur canis, cum hominem aut suum pecus in campis vel in villa mordere voluerit, nulla emenda sequetur, si alio eum modo compescere non potuisse, ut juris est, factens juramento comprobabit.

ARTICULUS XLIX.

1. Canis, qui campum vilitaverit, alligetur, ne ab eo damnum alicui inferatur. Quod si intulerit, ab eo, quem insequitur, vel si huic solvendo non est, à domino resarciatur.

ARTICULUS L.

1. Ubi Theutonicus præter injuriam, vitam, sanitatem, aut manum amittit, sive inde se redimat, sive non, desuper mulctam aut emendam non præstabit.

ARTICULUS LI.

a al. cum denario.

b al. Auca nutrienti, & gallina tempore nutritionis.

c al. Canis fundum custodienti, uno solido, pastoritium vero tribus exsolvitur solidis

d al. jumentum. & alii equi campestres ad laborem apti, &c.

1. Nunc intelligite de animalium volatilumque verigeldo. Pullus cum *a* dimidio nummo: anas totidem; auca autem cum nummo persolverur. Auca *b* vero ova ponens, & gallina tribus nummis persolventur. Et anas venatilis docta ad alias alliciendum, tantundem.

2. Hoc idem etiam sit cum porcello catulo, & hædo dum sugunt: agnus & capreolus, cum quatuor: Vitulus, cum sex: ovis cum octo: pullus equinus, in duodecim: hoc est in solido, dum sugunt. Canis *c* custodiens curiam, seu canis fundi, sicut & is, qui ovile sequitur, tribus solidis: annualis porcus, & pecus domesticum, quator solidis: sus succulos portans & nutriens, quique solidis: Verrem simili modo computando plenæ ætatis: Bos arratrum trahens, asinus, mulus, & equa, cum octo solidis: *d* item equi ad laborem valentes, duodecim solidis solvuntur: cæteri equi, qui juvenes sunt, secundum suam ætatem computabuntur: equus, cum quo quis dominum suum sequendo eidem inservit, tanto, id est, viginti solidis, cœquatur.

3. Dextrarius autem cursoribus, & ambulatoribus, equis militum, verigeldus certus non est deputatus, nec porcis incressatis: ideo ipsi, & omnes res mobiles, secundum æstimationem, si solutionem faciens eam suo juramento non minuerit, persolvantur.

ARTICULUS LII.

e al. Principes tamen deviliori seu subalterni, locum vasallorum & feudale vexillum sub nomine Ducatus ibidem fore permittunt. Imperium vero postmodum ait & feudum illud Principatus aut Ducatus, & feudale vexillum abstulit.

1. Regem eligere jure Theutonici debent. Et cum ab Episcopis ad hoc deputatis benedicetur, & ad sedem in Aquis gramis receptus fuerit, Regalem habet dignitatem. Cum autem ab Apostolico fuerit consecratus, Imperij habet potestatem, & Imperialem dignitatem & nomen.

2. Rex ipse eligitur judex super proprium feudum, & unius cujusque hominis vitam.

3. Imperator vero, quia in omnibus locis injurias judicare non potest, ideo Illustribus, id est, Principibus, confert Comitatus seu Comitias vexillaque feudalia, & Comitibus præfecturas, id est, sculletias, quæ ipsi etiam ulterius conferre possunt.

4. Feudum seu jurisdictio feudalis, per quam aliquis in vita aut manu condemnetur, in quartam personam non confertur, excepta præfectura, id est, sculletia, in Comitatu.

5. Judex enim absque præfecto, id est, sculteto, legitimum judicium habere minime potest, quia si de judice conqueratur, coram sculteto respondere tenetur. Scultetus enim est judex cul præ judicis, & Palatinus seu Palansgravius Imperatoris judex est. Burggravius vero, id est, perpetuus Castellanus, judex est Marchionis.

ARTICULUS LIII.

f al. judex id dividere nè licet nec integrum conferre, vel partē ejus, quod ille, cui collata est, successionē habeat:

quod oporteat incolas sustinere, nisi sit specialis Comcia, qua vexillo pertineat feudalis. hæc enim vacatē habere nō licet.

1. Quælibet provincia Theutonicæ terræ habet suum Palansgravionatum, Saxonia, Bavaria, Franconia & Suevia: quæ antequam à Romanis superabantur, Regna fuerunt, à quibus *e* ipsis in Ducatus nomina fuerunt permutata. Attamen Illustres in vasallos & vexillorum feuda reservarunt, quę ipsis per Imperium jam sublata sunt.

2. Judex in suo judicio mulctam habet, & non emendam, eo quod judex agere non potest & judicare: nemini vero emendatur, nisi actori. Ideoque Illustribus emendam non competere, injuste ab aliquibus vulgatum est.

3. Non *f* licet alicui judicium dividere, aut integrum conferre jam collatum, ita, quod ille, cui collatum est, habeat successionem, quod oporteat incolas sustinere, nisi sit Comitatus pertinens in feudum vexillorum; eundem non licet vacantem habere.

4. Similiter non licet Regi vel Imperatori vexillum feudale diutius retinere, quin illud conferat infra diem & annum.

ARTICULUS LIV.

g al. & ubi sacramento pax confirmatur, ad hoc ipse juvi præstare debet promissa.

1. Feudum in judicando seu judicio, non licet alicui habere, nisi sit liber, idoneus scabinus, & nisi Regi fidem & homagium faciat, secundum jus liberorum. & per hanc fidem etiam juret, quando ducitur in testem.

2. Rex cum eligitur, oportet ipsum jurare fidem; id est, homagium præstare Imperio, & quod justitiam exaltet, confortetque; injuriam vero pro posse deprimat; & etiam Imperium in jure suo protegat, secundum quod scit & prævalet. quo finito, juramentum aliquod de cætero non præstabit, nisi forte ab Apostolico de hæresi accusetur. Postmodum omnium rerum ad sunm testimonium pertinentium per jam Imperio præstitum sacramentum testificabitur, *g* & sub sacramento suam ponat promissionem, ubi pax juratur.

3. Vicitus corpore, aut leprosus, vel sententia Apostolici juste innotatus, in Regem non est eligendus.

4. Rex debet esse de legitimo thoro natus & ingenuus, in jureque suo immaculatus.

5. Postquam in regem electus sit quis, Franconiæ debebit habere jura, cujuscunque fuerit nationis. Quia sicut Franco, nisi in manuali deprehendatur facto, in vitam ejus condemnatur, aut jus

Fran-

Francorum amiserit ex causa, illudve adjudicatum sibi sit, ea nemo potest in judicio vitam Regis impetere, nisi prius per sententiam fuerit Imperio privatus.

ARTICULUS LV.

1. Super Illustrium vitam, & eorum sanitatem, nemo judex existit, nisi Imperator. Super vitam banniitorum condemnatorum, nullus nisi vetus præco judicabit.

ARTICULUS LVI.

1. Præco communis, cum à judice & scabinis fuerit electus, Regi tenetur fidem facere secundum jus liberorum.
2. Posthæc judex per manum eum dicendo, super sedem tussino textam, in oppositio sinlocare debet, & reliquias aut crucem in sinum ejus collocabit, pacemque eidem pronunciabit. Et extunc pignorandi, arestandi, detinendique mumquemvis & bona illorum præco, *a* quando hoc faciendum pronuncietur, habebit potestatem.
3. Si vero injurium commiserit, vitæ suæ & rerum, ut alius, patietur detrimentum.
4. Gladium aut anima non feret; sed si in exequenda justitia ei indebite resistatur, clamor debet confinium advocari, & tunc debet jus prosequi secundum suum posse. Quod si non poterit, judici conqueratur.
5. Et ei pertinet homo decimus morti condemnandus, & hunc potest dimittere, si redimatur ab ipso.
6. Ubi etiam vir moritur aut mulier absque hærede, *b* fructus in hotreis pavimento vicinores ad eum pertinent, & vestis quotidiana defuncti, ubi proprietas datur, & donationis pax renunciatur, ab ea tres solidos obtinebit.
7. Facultatem etiam habet unum hominem excepto scultreto, in qualibet villa absolvere à judicio, si non contra ipsum sit querela, vel si incusatus non sit.

a al. *quando ad id fuerit expeditus.*

b al. *annona crescens in terra vacante. sibi pertinet.*

ARTICULUS LVII.

1. Imperator à tempore consecrationis ab Apostolico aut alio, nisi in tribus casibus, potest excommunicari: qui sunt hæresis, matrimonij distractio, & *c* sacrilegium.
2. In Principis electione, Primus erit Episcopus Treuirensis; secundus Moguntinensis; tertius Colonensis. Primus inter Illustres Regni, Palatinus Rheni, qui est Dapifer; secundus, Dux Saxoniæ, Marschalcus; tertius, Marchio Brandeburgensis, Camerarius; Boheniæ Rex Pincernaest, qui non eligit, quia nostræ non est nationis.
3. Præter istos succedit etiam electio omnium Principum Imperij, tam Clericorum, quam Laicorum, non quod sicuti prædicti secundum eorum placitum eligere debeant, sed quem omnes Illustres eligunt, eundem præ cæteris in Regem nominabunt.

c al. *aut certis casibus destruatur.*

xerit consecratus.

ARTICULUS LVIII.

1. Principes Imperij nullum dominum, præter Regem, habere debent.
2. Nullū est feudū vexilli, de quo possit Illustris seu Princeps fieri, nisi illud sibi à Rege cōferatur.
3. Feudum alij prius collatum, sequenti Illustriam non tribuit dignitatem.
4. Quidquid alter, ut sic, ab eo accipit in feudum, exinde non est in feudo primus, quia alter recipiante eum, & non potest idem Princeps Imperij dici.

ARTICULUS LIX.

1. Cum electus fuerit Episcopus, Abbas, Abbatissa, qui scuto fruuntur bellico, tales primo tenentur à Rege feudum recipere, & postea ab ecclesia curam spiritualem.
2. Postquam vero receperint feudum, jus feudale conferre poterint, & non ante.
3. Ubi Episcopus, Abbas aut Abbatissa in sex septimanarum tempore non eligatur, electioque Regi pertinent vel Imperatori; electio, ut sic, devolvitur ad Imperatorem, & ille conferre poterit idoneos pro sua voluntate.

ARTICULUS LX.

1. Imperator confert cum sceptro spiritualibus, & cum vexillis secularibus feuda omnia illustriæ dignitatis. Nec licet ei feudum vexilli vacans per annum & diem non collatum tenere.
2. In quamcunque civitatem Imperij Rex devenerit, ibi telonea vacabunt sibi, & monetæ.
3. Quamcunque enim provinciam seu territorium intraverit, judicium illius sibi vacabit, & ei licebit judicare omnes causas, quæ coram judicio non fuerant incœptæ aut finitæ.
4. In Adventu Principis omnes detenti ad faciendum cum eis justitiam sunt Regi præstandi, quanto citius post Regis postulationem id commode fieri poterit, & in ejus præsentia conveniendi sunt, aut ut juris est, dimittendi.
5. Postquam Imperator aut Rex vel ejus nuncij, detentori in domo illius aut curia denunciaverint, ubi detentus habetur vel antea tenebatur, ut eundem repræsentent; illi vero id facere contemserint, & citatio per nuncium Regum probari possit, statim, qui eos tenent & detinuerunt, & castra in quibus detinentur, proscriptionis Imperij includentur.

d al. *Comes quilibet judicium suū semper inde cere debet, in decem octo septimanis, extra tempus feriatū, in loco legitimo judicetur. Scultetus, Scabini, & Præco generalis assistent.*

ARTICULUS LI.

1. Post *d* decem & octo hebdomadas Comes suum judicium in legitimo judiciali termino, ubi scabini, præfectus, & præco sunt præsentes, extra dies feriales & ligatos, debebit denunciare.

2. Nemo poteſt Præfectus eſſe, niſi ingenuus ſit, & de illa juriſdictione oriundus.
3. Præco ad minus dimidium manſum habere debet proprietatis.
4. Omnes illius juriſdictionis ab ortu ſolis, ſi judex ibi fuerit, uſque ad meridiem judicium debent expectare.

ARTICULUS LXII.

1. Quinque civitates, quæ Palanciæ dicuntur, in Saxonia inveniuntur, in quibus Rex legitimus debet præſidere cuntis. Prima dicitur Grona; Werliz ſecunda, quæ modo in Goslaria eſt translata, walhuſen tertia, Halſtede quarta; quinta Merſſeborg.

a al. *Landsberga.*

2. Septem etiam feuda vexillorum in Saxonia ſunt definita: Ducatus Saxoniæ, *a* Palantia, Marchia Brandeburgenſis, Landgravionatus Thuringiæ, Marchia Miſnenſis, Marchia Luſaciæ, & Comitatus Aſcaniæ.

b al. *Duo Archiepiſcopatus in Saxonia inveniuntur cum quindecim Epiſcopatibus.*

3. Quatuor *b* Archiepiſcopatus cum quindecim Suffraganeorum diœceſibus in Saxonia reperiuntur: Magdeburgenſi ſubeſt Epiſcopus Neumburgenſis, Merſeburgenſis, Miſnenſis, Brandeburgenſis & Halwelburgenſis. Archiepiſcopatus Moguntinenſis quatuor in Saxonia habet Suffraganeos: ſcilicet Halwerſtadenſem, Hildenſemenſem, Werdenſem & Padelbirgenſem. Archiepiſcopo Bremenſi obediunt Epiſcopus Lubicenſis, Schwerinenſis & Raczeburgenſis. Epiſcopus verò Oſſenburgenſis, Mindenſis & Monaſterienſis Archiepiſcopo obediunt Colonienſi.

ARTICULUS LXIII.

1. CONSTANTINVS Imperator Sylveſtro Apoſtolico, & per eum Eccleſiæ, mulctam ſexaginta ſolidorum conceſſit temporalem, adjungens eam ſpirituali ad puniendum & ad conſtringendum omnes, qui Deo & Eccleſiæ ſatisfacere contemnunt, & in foro eccleſiaſtico pœnas incidunt criminales; ut jus alterum alteri ſuccurrat vicißim ad coarctandum, ut dictum eſt, rebelles ac in eccleſia contumaces.

2. Excommunicatio animæ, non corpori eſt nocitura, & ita corpus non perimit. Nec eſt excommunicati per hoc conditio in jure civili deterior, neque feudali, ſi imperij proſcriptio excommunicationem non ſubſequatur. Proſcriptio hominem morti condemnat, ſi in ea fuerit deprehenſus: jus autem ſibi non aufert, *c* niſi in ea diu contumaciter perſeveret.

c al. *quantumcunque ea ſtatu in ea perſeveraverit.*

ARTICULUS LXIV.

1. Cum Rex publicam indixerit expeditionem, vel ſuam curiam ſententiando Illuſtribus per ſacra programmata ſeu literas ſex ſeptimanis antehac declaravent, ad hoc omnes generaliter convenire tenentur, ubicunque fuerit intra Saxoniam ſeu Theutonicam nationem. quod ſi omiſerint, mulctando puniuntur.

2. Illuſtres vexillo feudali inſigniti, centum talenta ſeu libras Regi mulctæ nomine dabunt: omnes alij decem talenta ſeu libras; ubi pro injuria ſeu pace fracta non mulctatur.

3. Duci decem talenta præſtet quilibet Generoſus ſeu Nobilis pro mulcta, cujus eſt patria infra Ducatum.

4. Multæ tamen nationes in terra Saxoniæ ſunt, quæ ſibi aliena competere jura dicunt; ut Holzacij, Haldelerij & Stormeri, quorum jura & mulctas hic non deſcribo.

5. Sexaginta ſolidi Comiti ſeu Advocato, ſi bannum à Rege ſuſceperit, pro mulcta præſtantur.

6. Bannum nemo conferre poteſt, niſi Rex ipſe ſolus.

7. Rex etiam denegare non poteſt bannum conferre judici, cui judicium eſt collatum.

8. Si comes partem comitiæ alteri conferat, aut Judex, ſeu Advocatus, partem judicij ſeu Advocatiæ, hoc agit perperam, & eſt contra jus attentatum, nec deſuper infeudatus bannum habebit Regale, ita quod illud ab eo ſuſtinere ſeu pati quem oporteat.

9. Bannum confertur ſine dominio.

10. Palanſgravij ſeu Palatini, & Landgravij, ſub banno, ut Comites, judicant Regis: & ideo eis ſexaginta ſolidi pro mulcta dantur.

11. Cuilibet Marchioni triginta ſolidi mulctæ dantur; & ipſe judicat ſub gratia ſeu homagio ſuo.

12. Scultreto ſeu Præfecto ſui Pagani octo ſolidos, mulctæ præſtant.

13. Advocato autem infeudato ſine banno Regio ad maximum tres ſolidi dantur.

14. Gogravio ſolidus aur ſex nummi tribuuntur: vel ſecundum quod in arbitrio villanorum continetur.

15. Scultreto, qui & Præfectus ruſticorum dicitur, ſex nummi, & aliquando tres ſolidi pro cunis & cutis liberatione tribuuntur, qui ad potandum omnibus villanis cedunt.

ARTICULUS LXV.

1. Marchio judicabit ſub ſibi præſtito fidelitatis ſacramento, poſt ſex hebdomadas.

2. Ibidem poteſt quilibet contra alium ſententiam invenire, qui in ſuo jure reprobare non poterit, (poſt quadraginta dies) Attamen ibi nullus reſpondebit ad duellum ſibi generatione inæquali.

3. Si quis à ſibi in generatione æquali infeudatur, non ſuam originem aut civilia jura, ſed tantummodo feudi dignitatem, id eſt, ſcutum bellicum minoravit.

ARTI-

ARTICULUS LXVI.

1. Non liceat castrum vel forum ædificare, nisi octo stadia distet ab alio.

2. Non liceat castrum, forum, seu villam forensem, nisi unum miliare ab alia distat, construere.

3. Non debent etiam oppida aut castra muniri, aut in prædiis seu villis muri, fossata, valles, aut turres ædificari, absque licentia Judicis provincialis. Absque licentia tamen ejus fodere licet in altum, quamdiu fossor cum fossorio terram ejicere poterit absque adjutorio asseris, gradus, aut scabelli ad ulterius propiciendum. Licite etiam sine ejus licentia trium mansionum altitudo cum lapidibus & lignis ædificetur, dummodo una subterranea, & aliæ super terram apparebunt, ita quod janua sit in inferiori mansione super terram usque ad hominum genua.

4. Fundus etiam seu curia cum sepibus, virgis, seu lignis aut muris extensis, in tali altitudine, quod sedens in dextrario, manu possit attingere summitatem circumdari poterit, sed in his propugnacula minime construantur.

5. Castrum præterea quod propter violentiam vel injuriam destructum est, sine licentia judicis & actoris reædificari non debet.

6. Destruat etiam Dominus castrum, vel propter paupertatem ejus patiatur ruinam, vel si illud amiserit violenter, sine licentia judicis illud licite poterit reædificare.

ARTICULUS LXVII.

1. Qui alterius castrum minus juste expugnaverit seu occupaverit; & amittens hunc, prout juris fuerit, prosequitur, expugnatore castrum adhuc violenter obtinente, nulla isto tempore adversus prædictum castrum potenti actio proponi, propter quam in præjudicium veri domini desolationis contra illud sententia promulgetur.

ARTICULUS LXVIII.

1. Judex siquidem debet primo in castrum vel in tignum securi tres ictus verberare, quod jure extitit condemnatum, & ad hoc villani debent excidendo, & destruendo adjuvare, cremari non debet, nec lapis aut lignum abduci, nec aliquid, quod intus habetur, nisi per spolium fuerit inductum, quia illud spoliato, qui id jure consequi poterit tributur. Aggeres & fossata ab incolis illius jurisdictionis, sub eorum expensis in tribus diebus complanentur, si ad hoc cum violentiarum clamore convocentur.

ARTICULUS LXIX.

1. Ubi sub Regis cognoscitur banno, judices seu Scabini, capucia, pilea aut pepla, & chirotecas habere non debent: chlamides seu mantella habeant super humeros; judicentque inermes, jejuni, & sedentes etiam debent sententias invenire contra quemlibet, Theutonicum aut Sclavum suo judicio subditum liberum, aut servum & hoc nemini alteri licet facere, nisi ipsis. Et ille, qui sententiam invenerit, cedere sibi de loco renebitur; iste vero locum illum occupabit.

2. Quod si eis in generatione æqualis sententiam eorum increpet, is sedem postulet, quam ei pronunciator debebit accommodare: & postquam sederit, sententiam ab eo opinatam veriorem promulget, & se trahat cum illa, ubi de jure se trahere debet, & eam, ut supra dictum est, obtineat vel amittat.

ARTICULUS LXX.

1. Ubi vero sub banno non judicatur Imperiali, ibi quilibet contra alium sententiam invenire & testimonium dare poterit; dummodo rationabiliter increpandus non venit, excepto Saxone super Sclavum, & è converso. Sed si Sclavus vel Saxo in injuriis vel crimine recenti pacis fractæ deprehensus, & cum violentiarum clamore judicio fuerit præsentatus: ex tunc Saxo Sclavi, & è converso, sic deprehensus, testimonium & sententiam sustinebit.

ARTICULUS LXXI.

1. Quilibet reus respondere ad actionem non tenetur, si actio non innato sibi idiomate proponatur. Unde si in Theutonico contra unum agatur, iste vero juramento affirmet Theutonicum se ignorare, respondere, ut lic, non cogitur. Si vero conqueratur contra eum in sermone suo sibi intelligibili, ipse etiam aut ejus ferendarius respondere tenetur sermone, quem etiam actor & Judex intelligat.

2. Si autem Theutonico antehac quæstus est, vel respondebat, vel sententiam in judicio promulgavit, & hoc contra eum comprobetur, eundem in Theutonico respondere oportebit, excepto in palatio Imperatoriæ majestatis; quia ibi quilibet suæ genealogiæ noscitur obtinere.

ARTICULUS LXXII.

1. Legitima & ingenua proles clypeum patris sui, & hereditatem ejus matrisque obtinet, si ut æqualis generationis vel melioris.

ARTICULUS LXXIII.

1. Si a vero pagana aut villana baniato copuletur, genita ex ea proles, non matri, se patri in emenda & vergeldo coæquatur, quia jus obtinet patris & non matris: & ideo non succedunt in hereditatem matris, aut alicujus cognati ex parte matris.

2. Istud

2. al. Si mulier ortado idem Scabino, nubat tabernario, aut colono, seu villito simplici, genita ex ea proles, &c.

2. Istud etiam jus habebant ministeriales usque ad tempora Vichmani Archiepiscopi Magdeburgensis, quod * filius patris & filia matris jura nanciscebantur, & si ministerialis existebat conditionis eos sequebatur, nec tunc inter ministeriales erat opus permutatione.

3. A juris autem principio hoc jus fuit, quod liberi patrius nunquam servilem procreavit partum. A prædicti autem Archiepiscopi temporibus hoc jus invaluit, quod proles utriusque sexus *a* non plus quam filia, in conditione erat matris, si mater Theutonica existebat, licet & pater, Selavus aut Theutonicus non cuparetur: Selave autem proles sequitur patrem Selavum; Si vero Teutonicum fuerit jura nanciscitur suæ matris. Aliquid dicunt, quod Selave sint ingenuæ, ex eo, quod earum proles sequitur patrem Selavum, quod reprobamus; quia suis dominis, quotiens copulentur, præstant mercedem copulari suis; quotiens etiam à viro juxta eorum ritum separentur, domino solvunt tres solidos, & in aliquibus locis plus, secundum eorum veteres consuetudines.

* *Ex constitut. Henrici VI. Imp. ut in Vvichbild. art. 3. §. 2.*

a al. sexus in conditione matris erat, cui ipsa pertinebat, utpote, si Theutonica fuit proles. eam insequebatur. & sibi pertinebat: & per consequens pertinebat etiam illi, cui mater sive pater, sive Theutonicus sive Selavus.

ARTICULUS LXXIV.

1. Divortium si jure fuerit celebratum inter virum & uxorem mulier dotalitium, id est, vitæ provisionem sibi in proprietate viri donarum, & ædificium in ea locatum obtinebit; sed ædificia hujusmodi destruere aut auferre minime poterit. præter id nihil consequetur de ædificio, sed neque dotem. Supellex sua, id est, utensilia & comestibilia, debent etiam sibi reddi: & quidquid ad maritum secum attulit; aut tantum sibi de viri bonis dabitur, quantum in contractu matrimonii promissum fuerit.

ARTICULUS LXXV.

1. In proprietatibus vera donatio seu vitæ provisio fit mulieri, & non in feudo: quia in proprietate nemo illis ad vitam ipsarum infringere potest; in feudo vero eam multis vicibus contingit.

2. Feudum marito vivente propter nuptias est mulieris donatio; ipso mortuo, ejus feudum appellatur.

3. Neque vir, neque mulier, diutius feudum, quam ad vitæ tempora, retinebunt, licet vir ipsum jure hereditario, & non mulier, post se relinquat.

b al. fructus. si ita in quantum ager hujusmodi nemini censualis sit, ita, quod uxor olim censum ex eo non præstabat.

ARTICULUS LXXVI.

1. Moritur autem mulieri vir ejus, & ipsa si cum mariti heredibus permanserit rebus indivisis longo aut brevi tempore; si postea dividere voluerit, in omnibus, quæ ibi tunc superfunt, rebus suam accipiet, propter nuptias, donationem, domestica cibaria, utensilia, sicut accipere debuerat tempore mortis mariti sui.

2. Si vero mulier interim alteri copuletur, copulatusque ad eam & ad indivisa cum heredibus bona ingressus fuerit, & postea uxor decesserit, vir obtinet plenum jus in omnibus bonis mobilibus, exceptis ædificiis & supellectili.

c. al. si census aliqua ad mulierē pertinebat, interimq; eo non percepto obierit, marito census hujusmodi pertinebit.

3. Qui uxorem duxerit viduam, habentem feudum, proprium aut dotalitium, vitæ provisionem aut terram censualem, quicquid in bonis arando culturæ tradiderit, laboratum ve sit, interimque moriatur uxor, priusquam vir seminet, licebit, ut sic, marito seminare annonam & metere, censumque seu pensionem aut pactum solvere successorie ad quem bona illa devoluntur, tenebitur. Sed si mulier agro jam seminato, & sub terram semine absconditio obierit, vir percipere debet fructus. Censum *c* autem, sed nec quicquam, de his solvere tenebitur, de quibus ipsa, dum vixerat, nihil, persolvebat.

d. al. sicut solvebat illi, qui terram exposuit, ex eo, quod arata tam terram ejus non colui, sed alius.

4. Census e etiam & redditus, qui in mulieris fuerint bonis, si ipsa post dies ad solvendum deputatos ab hac luce decesserit, census & pensio viro pertinet, quasi stipendium deservitum, sicut heredum esset, si virum non duxisset.

ARTICULUS LXXVII.

1. Si agrum seminatum exponat quis ad annos determinatos sub censu aut pensione certa, quod seminatum eidem certo tempore vice versa restituat; in quocunque tempore locator infra annos moriatur, terra seminata restituenda est heredibus: quia defunctus non potuit agrum aratori diutius varendare, nisi quamdiu vivebat. Heredes autem tales, ad quos bona prætacta pertinent, census seu redditus præstare compelluntur, cui pertinent de annonis, quemadmodum locatori defuncto præstabantur, *d* eo quod mortis suæ tempore ipsius aratrum agrum non aravit.

ARTICULUS LXXVIII.

e. al. judicio punire potest.

1. Rex & quilibet judex super vitam sanitatemque & hereditatem cujusliber sui vasalli sive cognati *e* judicare potest; & in his suam non disrumpit fidelitatem.

2. Vasallus, etiam suo Regi & judici & aliis omni tempore licite injurus resistere poterit quam vis sint sui domini seu cognati; & jurare tenetur ex parte judicii eundem detinere, quando cum clamore ad id fuerit vocatus, nec in eo contra fidem delinquit suam.

4. Similiter castrum vel domum alterius, quilibet prænominatus, ex parte judicii invadere debet, & ad terram prosternere, si non legitime excusetur; manetque, ut supra dictum est, absque culpa.

5. Vasal-

5. Vasallus etiam dominum, vel dominus vasallum, nec non cognatus cognatum, & etiam alter ad alterius munitionem, domum aut castrum licite sequitur, & ad retinendum eum secundum juris formam potest patrocinium praestare, si ad perpetrandam injuriam per violentiam fuerit vocatio; & etiam nuntio de injuria infamata per eum, si non excutetur, licite destruatur: & in his tutam non distrumpit fidelitatem.

6. Licet etiam cuilibet defendere civitatem burgum, castrum, & terram, & vitam domini sui, & cognati, & vasalli, & etiam amici contra dominum, cognatum, & vasallum, si violenter impetantur: & contra eos licebit pugnare & non, delinquet, ut praedictum est: dummodo res ipsorum non rapiat.

7. Si vulneret vel occidat dominus vasallum, aut è converso, necessitate compulsus non delinquit in fide, si dicta necessitas contra laesum, ut juris est, fuerit comprobata.

8. Socium in via, & hospitem tam activum quam passivum, hoc est, apud quem hospitio susceptus est, & quem in hospitium susceperit, & item illum, qui ad gratiam alicujus confugit, tenetur quisque pro posse defendere, contra quemlibet violentiam inferentem; nec ut sic, contra fidem agere dicetur suam.

9. Invadat vero vasallus dominum suum, vel dominus vasallum, nondum coram vasallis, secundum quod juris est, proposita contra eum actione, hic in suam fidem noscitur delinquisse, sed si non animo damnificandi contra ipsum sese expedieverit seu advenerit, & damnum ex ejus adventu acciderit, ab his qui eundem concomitantur, vel ipse adjuverit inscienter, illud secundum formam juris refarcire tenetur, & in his suam non distrumpit fidelitatem.

10. Qui in expeditione seu comitiva fuerit multorum, & non sit Principalis seu Capitaneus, ab aliisque Socius invasio sit, & damnum exinde domino suo, vasallo, aut cognato, aut cuicunque fuerit illatum absque consilio suo, facto juramento, manet sine culpa & absque dolo.

ARTICULUS LXXIX.

1. Vbi rustici in radicibitis desertorum villam seu praedium aedificant, terram de novo excolendo, licebit, domino villae jus censuale in eadem terra eisdem conferre, quamvis ad ea bona genitri non videantur, nulla autem jura eis dominus dare potest, aut ipsi eis eligere poterunt, per quae ordinarii seu provincialis judicis jura aut multae minuantur aut augeantur.

2. Nullus extraneus in praedis secundum specialia & discreta eorum jura respondere tenetur, sed secundum jus commune, nisi conqueratur super hereditate, sive bonis aliis, aut debito.

3. Ubi quis aliquem convent, ibi licite reconvenietur, si actio in duellum non extendatur.

ARTICULUS LXXX.

1. Si proprietas à pagano relinquatur, ad quam heres non exstat, quae se ad tres mansos extendit vel minus, hoc Praefecturae, id est, Scultetiae, adjiciatur. Sed si triginta mansorum vel minus se summa extenderit, Comitatui applicetur. Si vero hue numerum transcendat, ad Regalem pertinebit majestatem.

2. Si Rex aut alter dominus ministerialem vel servum faciat liberum, ille jus obtinet provincialium liberorum.

ARTICULUS LXXXI.

1. Si bannitialicujus Comitatus obierint, Princeps Romanus ministerialem Imperii per sententiam licite manumittet, & eum banitum in eo Comitatu efficiat, ne jus defectum patiatur, & ut bannum ibidem servetur Regium, unicuique autem de Regali proprietate tantum donare tenetur, ut officium scabinatus exinde per eum exerceri possit: quae donatio in tribus mansis vel in plus continetur.

2. a Hanc etiam proprietatem licite tollit à praedicto Comitatu, ubi Comiti vacat: eo quod bannitorum defunctorum proprietas in eo Comitatu noscitur permansisse.

3. Ministeriales hereditant, & haereditatem accipiunt sicut liberi, secundum jus provinciale: excepto, quod extra dominium suorum dominorum nemini succedunt, nec habent successorem.

a al. Hanc proprietatem Rex à praedicto Comitatu, ubi eam vacare contingit, licito tollit tandem tradendo eam ministeriali manumisso, & ad Scabinatum eligit, conferendo ex eo, quia proprium illud Scabinorum, qui decesserant, ad Comitatum per vacantiam devenerat.

ARTICULUS LXXXII.

1. Qui juri suo coram judicio in uno derogavit loco, ubique in eo rerumnam sustinebit, dummodo per judicem & scabinos probetur. Nemo tamen hanc probationem, seu hoc testimonium ad alium judicem producere tenetur, nisi Judex, coram cujus judicio jus fuerit amissum. Judex siquidem, coram quo proponitur hujus infamiae exceptio duos nuncios ad judicem, coram quo id esse actum perhibetur, transmittere cogitur. Et postquam testimonium ejus audiverint, ipsi coram judice, qui eos miserat, testimonium perhibeant veritatis.

Hucusque Privilegium, quod largitum est Saxonibus in Saxenburgo, ab Imperatore CAROLO MAGNO, ab anno Domini DCCC. X. anno VII. Imperii sui, die X. Januarii.

ARTI-

ARTICULUS LXXXIII.

Imp. Otto I. August.

a al. Qui alteri bona donaverit, eidem, per judicem possessionem dari procuret, solus vero eorundem bonorum nullam habebit possessionem, licebit hujusmodi assignationem possessionis vero possessori contradicere, dummodo pro iisdem bonis in primo judicii termino, &c.

1. Qui *a* alteri bona donaverit aut vendiderit, & alter in eorum, per ipsum judicem præsentem possessionem, cum ea primus adhuc personaliter non possedit; possidens hujusmodi pro eisdem bonis in primo judicii termino se præbeat responsurum: quia possessionem eam nullus tenetur relinquere, nisi ipsa ei veris actionibus & sententiis prohibeatur.

2. Donata vero vel mulieri, per tres dies possideri oportet. Quæ vero per querelam evincuntur, aut hereditario per successionem veniunt, non est necesse possessorio obtineri.

3. Qui alteri feudale prædium confert, aut dimiserit, per annum & diem illius verendator esse debet. Dat. in Magdeburg, Anno Domini DCCCCLX. Anno Imperii X. primæ mensis Iunii.

IDEM AUGUST.

4. Qui vero proprium aut res mobiles vendiderit, quousque vixerit, illorum varendator esse tenetur: tamen illa, pro qua litigatur, ad manus tradi debet venditoris ad defendendum vel perdendum, quamdiu illud defendere tenetur.

5. Cui autem quid donatum est in eo donatarius probare non poterit, nisi donationem.

ARTICULUS LXXXIV.

Imp. Otto I. August.

b al. Et dominus superior non poterit ulteriùs pueros occisi remittere ad dominum, ut sibi servitio astringantur, &c.

1. Qui bona alterius violenter aufert seu occupat ante mortem ejus, seu sic occupata violenter tenet usque in ipsius mortem, omne jus perdit, quod habere debuit in bonis illis post decessum spoliati.

2. Vasallus si interficit dominum suum in vita, honore & bonis, cum quibus ab ipso fuerit infeudatus, condemnetur.

3. Idem enam de domino censendum est, si occidit vasallum: & *b* superior dominus, sic occisi vasalli natos, ad prædictum dominum, cum investitura dicti feudi, dirigere non valebit.

4. Qui occidit patrem, matrem, fratrem, aut alium quemcumque, de cujus morte proprietatis aut feudi successionem expectet, hanc se noscat perdidisse: nisi forte id ignoranter vel casu necessariæ defensionis accidisse, prout juris fuerit, super mortuum comprobetur.

ARTICULUS LXXXV.

Imp. Otto II. August.

c al. pecuniam, non quilibet in totum sed en virilem eb demnetur portionem: nisi forte aliquis in solvendo defecisset socium.

1. Vbi plures vergeldum seu aliam conjunctim promiserint pecuniam *c* omnes sunt astricti per justitiam ad solvendum, quamdiu non sit persolutum, non quivis totum, sed quilibet quantum ad se pertinet, & quamdiu per judicium constringi poterit, cui fuerat promissum, vel huic, qui cum eo stipulatus est, & solvere est coactus.

2. Si plures pro uno debito ponerentur promissores; & promissio à pluribus recipiatur, satisfacto uni creditori ab omnibus liberatur.

3. Qui pecuniam solvere promittit, & fidejussorem ad hoc, quod promissio satisfiat, statuat, solvente principali, fidejussor liberatur, dummodo per eundem id comprobetur. Qui autem per ipsum pecuniam solvere pro alio promiserit, ei incumbit probatio factæ, per se, vel ex parte ejus per alium, solutionis.

ARTICULUS LXXXVI.

Imp. Otto II. August.

d al. Quod si coram Scultete respondere, aut id quod juris est exsolvere recusset, causa sic ad superiorem devoluta fuerit judicem, &c.

1. Qui terram seu communem agrum suorum villanorum arat, fodit aut sepit, incusatus pro eo coram Sculteto, tres solidos mulcta persolvet *d* qui si ibidem, quod juris est, reddere negaverit, & causa ad superiorem trahatur judicem, eidem mulctam dabit & cum hoc triginta solidos villarius emendet, cum agri restitutione.

2. Sic *e* etiam villa villæ cum triginta solidis & damni restauratione, si, ut juris est, coram circumsedentibus hoc conqueratur & ostendatur, emendabit, quod si villam hoc facere noluerint, & coram superiori judice pro eo accusentur, Scultetus eorum communem mulctam pro eis sustinere debet, & ipsi cum triginta solidis, & damni restauratione suis adversariis emendabunt.

ARTICULUS LXXXVII.

Imp. Friderdus I. August.

e al. Eodem etiam modo vicinia vicinia, &c.

1. Si quis laicus laicum coram ecclesiastico judice impetierit in causis ibi de jure non tractandis, & ei damnum dederit: si is pro eo civiliter accusetur, judici ad mulctam, & damnum passo ad emendam, & ad prioris judicii indemnitatis observationem condemnetur.

f al. vir provincialis, si contra alium sibi parem in

2. Idem solvet *f* paganus, si contra alium in extraneo vel municipali judicio egerit, dum sint unius villæ vel jurisdictionis incolæ, nisi forte eidem à judice vel à parte jus fuerit denegatum.

3. Jus autem judex denegare dicitur, cum judicare non vult, aut suos debitos judiciales terminos non observat.

4. Jus etiam reus denegat, quando de ipso fit querela, postquam fuerit proscriptus, aut alteri adjudicata debita non persolvit, nec habet, ut pro his pignoretur, vel per validium ad solvendum astringatur, contra hujusmodi hominem licebit actori querulari, ubicunque eum reperire posset; ipsi autem nullus respondere cogatur.

ARTI-

ARTICULUS LXXXVIII.
Imp. FRIDERICUS I. Augusti.

1. Quicquid aliquis judicialiter probare debeat, Judex testimonium sub imperii deponere teneat fidelitate. postea Scabini hoc idem facient, negotium sub eadem declarantes fidelitate. Cæteri vero ad judicium seu juri pertinentes sub suo deponent sacramento.

2. *a* Ubi proscriptus sine manuali facto in judicium deducitur, & ab actore positio ejus postulatur, & si reus se proscriptum non fateatur, Judex cum sententiarum repræsentatoribus proscriptionem antepositionis permissionem debebit comprobare: actor vero tunc non jurabit, quia ubi cum judicio comprobabit, suo non indiget juramento. Facta autem positione, actor prius jurare debet, eum facti reum esse, pro quo passus est proscriptionem. *Sic Deus eum adjuvet & sanctæ ejus.* deinde jurabunt testes, juramentum actoris justum, purum, mundum esse & immune. Sic etiam actor cum suis testibus pro injuriis proscriptum, & in manuali facto deprehensum, judicioque præsentatum & positum jurando superabit. Vbi autem quis testibus probaturus est coram judicio vel contra judicium, sive pro bonis, sive pro varenda, *b* deponens prius intentum suum exprimere debet testibus, & postea juret.

a. al. Quando proscriptus in rem veram scelere deprehensus judicio præsentatur, & actor prius positionem, reus vero proscriptionem negat, proscriptio in eo casu antehac debet per Judicem & Scabinos probari, nec oportet alterum super proscriptione jurare, si per judicem, ut dictum est, possit probari.

b. al. hoc debent testes in primis suo sacramento testari, & actor ipse, hoc esse verum, postea jurabit.

ARTICULUS XC.
Imp. FRIDERICUS I. Augst.

1. Occidatur autem quis in campo, & perpetrantes ignorantur; si quis eum cum sociis suorum villanorum ibidem aut in villa tumulaverit, non delinquet.

2. Occidatur etiam alicujus pater, frater, aut cognatus, quamvis sibi de patratore sceleris constet, eundem licite, dummodo cum ipso judicialiter actionem non inceperit, tumulabit: Sed si cum ea actio incepta fuerat, ante actionis determinationem sine licentia judicis non sepeliatur.

3. Si eadat quis aut vulneretur, vel ita graviter percutiatur, quod ad villam venire non valeat, is, qui ipsum intulerit, in ejusque domicilio læsus postmodum moriatur, manet absque damno: heredes etiam mortui tenentur hospiti expensas exsolvere, si res, quæ circa mortuum in morte superfuerint, ad exolutionem non sufficiant expensarum.

ARTICULUS XCI.
Imp. FRIDERICUS I. August.

1. Colligat si quis seu suscipiat in hospitium aliquos, & unus alium occidat vel vulneret, aut aliquam injuriam fecerit sine hospitis culpa, hospes impunitus manebit. Tum etiam villani, si violatorem nequeant comprehendere, sine culpa manebunt, si hoc suis sacramentis affirmabunt. hujusmodi tamen casus in judicio sunt referendi.

2. Judex *d* non potest neque cum tutore neque sine tutore aliquem inculpare durius, quam ad suam negationem excepto actore duelli.

3. Nec licet judici aliquid præceptum aut hospitia servitiave, neque precariam exactionem expeditionemque, aut consuetudinem novam statuere in confinio, aut incolis imponere, absque provinciali communi consensu.

c. al. Judex non potest eum tutore vel absque illo aliquem impetere, propter actorem ad duellum, nec altius quam ad res excusationem. si ipsam reus secundum jus suum exhibere præsumet.

WICH-

WICHBILD,

sive

IVS MVNICIPALE MAGDEBVRGENSE, EX IMPP. OTTONVM, HENRICORVM ET FRIDERICO RVM &c. Constitutionibus collectum ac compositum, à BVRCHARDO de MANGELFELD Equite Saxone, Sequestratore Sacri Palatii, & Consiliario Cæsareo.

Ab ipsis Saxonibus OTTONI RVFFO *Imp. adscribitur, tanquam ejus auctori.*

ARTICULUS I.

Juris variam complectitur acceptionem.

IUs, ipsum, aut divinum est, aut civile, aut provinciale.

1. Jus divinum, quod Deus ipse à mundi primordio naturali quidem lege statuit, ut in Adam & Eva, suam etiam sponsam, Ecclesiam Catholicam, lege confirmavit.

2. Jus civile seu municipale, quod homines unius civitatis seu fori concluserunt inter se tenentes, juxta eorum arbitrium & antiquas consuetudines, quemadmodum Colonienses circa Rhenum Jus CAROLI confirmatum habent. Saxones vero juxta eorum laudum & plebiscitum.

4. Jus provinciale, quod homines alicujus provinciæ inter se sanxerunt, quemadmodum tempore Alexandri Magni, & antehac bellis exortis, statutum fuit, ut bello captus, alio redimeretur captivo, vel auro, argento, in defectu vero servire cogebatur.

ARTICULUS II.

De servitute & unde originem servitus habeat.

1. Summa Juris Personarum divisio hæc est: quod omnes homines aut liberi sunt, aut servi.

2. Libertas quidem, ex qua liberi vocantur, est naturalis Facultas ejus, quòd cuique facere libeat, nisi quod vi aut jure prohibeatur.

3. Servitus vero, est constitutio Juris Gentium, qua quis dominio alieno contra naturam subjicitur.

4. Servitus autem unde initium habeat, varii diversa sentiebant. Quidam à Cain, cum fratrem suum Abel interemit, servitutem primum incepisse asserunt; hoc tamen minime esse potest: genealogia enim Cain per diluvium generale deleta est, nec in posteros successit. Servitutem autem ipsam in hunc diem apud nonnullos durare cernimus. Alii, servitutem exordium habere à Cham filio Noe, propter dedecus quod patri intulerat suo, dicebant: quod tamen non est, ut scriptura testatur. Multi enim Reges & Principes ex genealogia Cham processere, imo plures quam ab aliis duobus ejus fratribus. In Principibus vero servitus locum non habet. Plures servitutem ab Esau exivisse commemorant, sed & hoc non: quia quamvis Jacob à patre benedictionem cepit, nec tamen per id Esau maledictioni servituris supponebatur. In antiquis etiam Legum Codicibus invenitur, quod primus Babyloniæ Rex Nemrod homines sibi subjicere potestati primum cepit; idq; non jure aliquo, sed violentia & affectu, libidineque dominandi ac consuetudine prava: sed nec id locum habere potest. Jure enim nostro, prout in vetustissimis Legum voluminibus habetur, nullus se in servum dare potest, quin suus contradicat heres. Quomodo ergo Noe seu Isaac, ac cæteri alium in servitutem redigere potuerunt, cum nec seipsum quis donare in servum potest? Secundum ergo rei veritatem servituti ex bellis, captivitatibus, oppressionibus ortum habere invenimus. Servi enim ex eo appellati sunt, quod Imperatores captivos vendere, ac per hoc servare, nec occidere solent; qui & mancipia dicti sunt, eo quod ab hostibus manu capiantur: Servitutemque ipsam Principes antiqui, ex longi temporis consuetudine, tanquam juris esset, usurparunt: id tamen contra æquitatem fit. Altissimus enim Deus, hominem ad suam creditur imaginem condidisse, & unum sicut alium beatissima redemit passione, liberum-

liberumque fecit glorioso sanguine. Quomodo ergo tam præclara ac magnifica libertas in servitutem redigi possit? Orta itaque, ut prætactum est, servitus ipsa ex Principum statuto, de consensu communitatis, ex captivitatibus & bellis, pro jureque statutum. Quamcunque enim legem commun s populus inter se statuit, hoc Imperator confirmare soletin qualibet provincia; & in eo Saxonum iura à legibus aliarum provinciarum discrepant potissimum.

ARTICULUS III.

De servitute nativitatis, seu genealogiæ.

1. Constitutionibus antiquorum Principum cautum esse legimus, si homo liber servam in matrimonium duxerit, proles ex ea genita patri & non matri æquari debet.

2. Principes autem potentes de consensu communitatis sanxerunt, si ingenua mulier servum superduxerit, quod filii jura nanciscebantur patris & filiæ matris. Recitatur tamen, quod tempore FRIDERICI eo nomine Primi Imperatoris statutum fuit, si liber homo servam superduxerat, vel ingenua servum, quod proles illa utriusque sexus matrem sequi deberet, & non patrem. A juris autem principio hoc fuit jus, quod liber partus nunquam servilem procreavit partum. A temporibus vero Victimani Episcopi jure frequentatum est, & per HENRICVM eo nomine Sextum Imperatorem statutum, quod utraque proles, filius & filia, nascuntur secundum matrem, & non patrem, hoc est, ventrem ipsum sequuntur, sive pater sit Theutonicus sive Sclavus. Qui etiam libertatem commutavit in servitutem, *a* utrumque tam libertatem quam servitutem amisit.

a alterumque perdit, hoc est, tam libertatem, quam proprium.

ARTICULUS IV.

Quo pacto unus jure municipali libertatem debeat obtinere suam.

1. Quicunq; homo in municipio, jureque municipali, anno & die sine alloquutione liber consederit, ille libertatem suammet septimum cum suis cognatis facilius retinebit, quorum tres ex parte patris, & tres ex parte matris esse debent, quam quod quis eum in servum convincere possit.

2. Quicunque etiam puer liber est, & legitime natus, jure municipali, jura retinet patris sui.

3. Et qui municipali jure sederit anno & die non allocutus, nec diffamatus est jure suo, enim nullus ambigere à jure suo potest, nisi jus suum perdiderit, ita quod sit homo suspectus.

4. Si quis etiam homo liberum se dixerit, ille pro libero haberi debet, & liberi hominis emendam: & eundem, ut liberum hominem tractare oportet: quia omnes uno liberorum jure subjecti sunt, qui in municipio commorantur.

5. Qui etiam ex quatuor progenitoribus suis, ex duobus avis & duabus aviis, indiffamati juris est, ille à nullo inculpari potest in jure suo.

6. Potest tamen aliquis in sua generatione, & in officio argui suo, à jure tamen reiici suo non poterit, nisi jus suum perdiderit, furto, prædâ, spolio, vel similibus, quibus jus demeretur quis suum, vel excommunicatus sit, vel proscriptus. Potest etiam increpari in generatione sua quis, utpote quia minus tempestive, vel nimis tarde natus sit.

7. Dicitur etiam, quod nullus puer matris illegitimus esse possit: hoc tamen non est: quia mulier potest illegitimos ac legitimos nobilesque procreare pueros, si est serva, potest manumitti, si est fornicaria, potest nubere & legitimos procreare.

ARTICULUS V.

De excommunicatis & proscriptis.

1. Si quis bonæ famæ homo in municipio actionem habens minus juste in censuras Papæ inciderit, vel ab aliis spiritualibus excommunicatus sit, & à congregatione Christi fidelium separatus, dato, quod in his perseveraverit anno, die & ultra, non delinquit per id contra honorem, nec vitam, nec juri derogat suo, quia excommunicatio animæ quidem nocet sed nulli adimit vitam quantumcunque etiam in ea permanserit.

2. Proscriptus vero si quis sit, vel in bannum positus Regium, & perseverat anno & die, ille perdit honorem, vitam, jus, libertatem, si proceditur contra eum rectis judiciis, quocunque etiam modo quis proscribitur, si in proscriptione detentus fuerit, cedit sibi in vitam.

ARTICVLVS VI.

Ius municipale unde originem habeat.

1. Juris municipalis origo, & quo pacto terræ Saxoniæ largitum ac ex beneplacito Imperatoris principumque concessum sit jus illud, ex sequentibus faciliter apparebit.

2. In Babylonia enim primum Imperium stetit, omnibusque dominabatur provinciis urbs illa. Nemrod siquidem gentilium regum sortissimus, civitatem prætactam fundavit, acturrim miræ altitudinis erexit, urbemque magnis & amplis terminis mœnibusque circumsepsit, quædam propugnacula ac munitiones extruendo, exindeque à munitionibus, jus ipsum *Municipale* nomen accepit. Rex ipse solus magnanimus & animosus eandem inhabitavit, multique cum eo Principes & Duces, & alii plerique inhabitatores, honorati viri, qui & mercatores dicebantur, omnesque uno & eodem jure utebantur, quod Municipale dicebatur, prout ex sequentibus apparebit: & exinde nomen accepit, quod nondum immutavit.

ARTICULUS VII.

De transmutationibus Regnorum, & quo pacto Imperium ultimo ad Romanos translatum fuit.

1. Declarationem municipalis juris lucidiorem faciendum necessario recitandum venit, quamdiu Imperium in Babylone immutabiliter steterit, antequam ad Græcos translatum sit. Ad ultimum etenim Persarum Regem Darium, quem Alexander Magnus, Macedonum Rex, pugnando vicit abeoque tempore mutatum est Babylonis Regnum. Græciamque translatum; ac illic stetit, quousque Romani Imperio totius ferme orbis se intromiserunt. Iuliusque Cæsar Imperator creatus & luculque Roma Imperium tenet ex parte Sancti Petri, quæ & caput Christianitatis est, duosque gladios, protestatem duplicem designantes, spiritualem videlicet & secularem, Romanum obtinet Imperium, Papa spiritualem, Imperator vero secularem ad defendendam Ecclesiam sanctam. Et si quid Apostolicus corrigere non possit, Imperator eundem juvare tenetur, & è contra: ita quod unus alteri, pro defensa Christianæ Ecclesiæ auxilio esse debet.

2. Cum vero, ut supra tactum est, Imperium ad Romanos translatum fuit, nulla lege vivebant Romani, sed quivis prohibitu faciebat, prout alicui placuit, etiam absque querela & immutatione. Nullum enim jus habebatur apud eos, vigore cujus querela instituí possit; idque tamdiu stetit, quousque ab Athenienſibus Romam leges apportatæ sunt scriptæ: extruereque ac erigi mandarunt in civitatibus & foralibus signa quædam ad modum manus, pacem designantia, exindeque in hunc usque diem pacem manualem habemus.

3. Cogitantes insuper Romani ipsi, ut Imperium eorum amplius extendi possit, hostes & ab Imperio alienos subjugando, castra & munitiones in provinciis ædificarunt, exindeque provinciales stabant, subjugabantque vicinas.

4. Consultabant præterea, ut arces illas pro commodo inhabitantium jure aliquo communirent ac locarent. Acceptisque nonnullis militaris ordinis viris, illos fortaliciis & munitionibus præfecerunt, ac sub eo jure, quod castrense seu emphyteuticum jus dicitur, sub feudo castra contulocarunt.

5. Ulterius tandem provinciis subjectis, providere volentes, cogitabant quas leges & jura eisdem conferre tribuereque deberent. Sancitaq; provinciis jura secundum Plebiscita illorum, quemadmodum & Saxonum provincia, à CONSTANTINO & CAROLO tradita jura habet. Provinciæque hujusmodi, ut est Saxonia, Bavaria, Suevia & Franconia, antequam à Romanis superatæ sunt, Regna fuere. postquam vero Imperio subjugatæ sunt, in Ducatus nomina transmutarunt.

ARTICULUS VIII.

De jure Imperatorum, & ejus confirmatione.

1. Principes tandem & liberi domini, ac omnes militiæ nomen habentes, cum Romanis conveniendo consultarunt, ut jure aliquo Imperium stabiliri possit: sanxeruntque Regi jus, quod sedem Romanam gubernare & defendere debeat, ex parte Sancti Petri, gladio seculari: à quo & adhuc Advocatus Romanus dicitur: & sibi jus ac judicia omnia vacant in civitatibus singulis, ubi advenerit Theutonicam provinciam. Itidem moneta & teloneæ etiam vacant: quia Advocatus, ut dictum est, Romanus dicitur.

2. Nec potest vitam suam demereri, aut honorem debilitare, nisi in tribus. Primo si sedem Imperii Romani destruere vellet. Secundo, si infideles fortificaret, & eis auxilio esset. Tertio, si legitimam dimiserit uxorem, si ex his tribus in uno reperiatur, super eo judicari debet, & caput eidem amputari cum aureo dolabro, seu bipenni aut securi: ex eo, quia ipse gladium secularem habet judicandi super omnes injuste agentes.

3. Eundem etiam gladium Imperator commisit omnibus, qui nomen militis habent, viduas ac pupillos defendere, & Ecclesiam Dei, injustitiamque deprimere, & justitiam fortificare.

4. Judicium etiam commisit omnibus judicibus, ut judicent super illos, qui perperam agunt: idque soli per se judices omnes, vel eorum præco, facere debent, contra omnes illos, qui in juris detenti sunt & convicti: prout juris est.

5. Per simile etiam quemadmodum Judices habent secularem gladium, à Rege, ita spirituales habent spiritualem gladium ab Apostolo.

ARTICULUS IX.

Qualiter super Imperatorem judicatur, & quo pacto jus municipale in his provinciis statutum sit.

1. Imperator itaque, ut præcedente articulo tactum est, judicandus erit, si convictus judicio sit, sed & judicium hujusmodi contra imperatorem exercere debet Palatinus Rheni, qui in judicem Regi & toti provinciæ de communi omnium consensu & laude statutus est, prout & infra clarius apparebit. hoc pacto etiam Burgravius, Judex est Marchionis: Scultetus vero Burgrabii.

2. Convenientibus tandem & mercatoribus provinciarum coram Imperio, exposuerunt: Ex quo quidem, ut supra habitum est, unicuique provinciæ jus sancitum & statutum sit, instabant & illi scire, quo potissimum jure uti debeant. Imperator vero de consilio Romanorum, de manu-

demandavit & indicavit, ut civitates firmas cum muris, turribus, ac propugnaculis, munitionibusque, circa aquas navipotentes, & flumina navigabilia, extruerent. Ipsis reiterantibus instanterque postulantibus, declaravit, ac statuit eis jus, quo vivere debeant, ad instar aliarum tandem eorum. Imperator dedit ac largitus est eis jus, quod quotiescunque in curia ultratum fuit sua, illudque cum veridicis confirmavit. Signis & manum de super extendit suam, stipulatione facta: & pax sancti Petri cum signo crucis eis dem concessa. Idque signum hucusque servatur, ubi civitas vel oppidum noviter fundantur, figitur crux in testimonium pacis, quodque ibi cernatur municipalis pax: appenditurque Imperatoris signum, ut appareat de voluntate ejus id factum fore. Jus enim municipale ab antiquo originem habet suam. A tempore etenim Nemrod Regis fuerit, quoad Roma Imperium subjugavit: & tandem ad Romanos derivatum est jus illud, & hucusque inconcusse manet.

ARTICULUS X.

De locatione Magdeburgensis civitatis jure municipali

1. Magdeburgensis civitatis locatio declaranda sequitur. Imperatoris etenim OTTONIS Magni cum filio, accedente etiam Seniorum totius provinciæ consensu, primum fundata est & erecta, Jureque municipali præsenti confirmata. Estque Magdeburgum civitas totius provinciæ Saxonum præcipua, capitalis ac senior; & civitas Hallensis super jure illius fundata est; ac utraque uno utitur jure. Ea propter omnes de Polonia, Bohemia, de Marchio Misnensi & Lusacensi, civitatibusque illis subjectis, qui jure Magdeburgensi locatæ sunt, jus suum in appellando ex Halla reportare debent. Si vero Hallenses in sententia deficiant, vel invenire ignoraverint, eandem querere & reportare ex Magdeburgo coguntur: ex eo quia utraque jure uno fundata est, & Magdeburgum omne jus municipale protegit provinciæ Saxoniæ & supplet. hoc tamen jure provinciali fieri non potest, quod videlicet ex Marchia ad Comitatum cum sententia reprobata appelletur. Marchio etenim judicium bannire solet, & judicia exercet, sub sua fidelitate: Comes vero id non facit, verum sub banno judicat Regio. Hoc idem etiam observatur in civitatibus antiquis, ubi bannum habetur Regium. Sub banno etenim Regio mulctæ præstantur tres libræ Burgravio: Sculteto vero octo solidi, ex sententiis Scabinorum. Hoc idem intelligitur de Advocato, quod videlicet octo solidi sibi præstantur in judicio, ex sententiis Scabinorum.

2. Notandum circa id, quod Sculteto extra judicium bannitum, & Advocato dantur sex solidi mulctæ, in judicio vero bannito octo solidi. Scabini numero debent esse undecim, & Scultetus duodecimus.

3. Scultetus etenim Comiti seu Burgravio primam invenire debet sententiam, nec Burgravius aliquod exercere potest sine Sculteto judicium. Idem Scultetus sine undecim Scabinis præactis nullum legitimum habere poterit judicium, in determinatis judiciis temporibus, locoque judiciali, ubi Comes bannit, ut juris est, sub Regio banno. Necessario ergo venit, ut ex utroque id observetur, prout supra tactum est.

ARTICULUS XI.

Unde Hallenses jus suum quærere debent.

1. De Hallensibus videndum erit, unde jus suum reportare coguntur, si forsan illud ignoraverint, aut si apud illos sententia fuerit reprobata. Quærere enim illud debent in Magdeburgo, sententiamque eis dabunt, Scabini Magdeburgenses ante quatuor scamna, hoc est in loco, ubi Scabini residentiam habent: sed & Scabinis, id quod juris est, exsolvetur. Ipsi etenim in posterum testes esse debent, quod sententia rite & rationabiliter prolata sit, sine cujusvis contradictione. Nuncii etiam ibidem præsentes esse debent, ubi sententia definitur, parte ex utraque, tempore quo sententia illa pronunciatur, qui audiant & videant, quo utrique justitia fiat. Et Judex ipsis in expensis providere debet, in eundo & redeundo.

2. Si sententia sub banno Regio fuerit probata, reportari debet ad proximum Burgravii judicium, nisi legale eundem excuset impedimentum. Si vero sub Comitis banno reprobata fuerit, extunc reportari debet in quindena. Scultetus enim habet bannum à Comite, & Scultetium à domino terræ. Ita etiam Burgravius habet Bannum à Rege, judicium vero è Domino terræ.

ARTICULUS XII.

Si in Magdeburgo sententia reprobetur, ubi ius quærere debeant.

1. Nunc attendendum, si Magdeburgi sententia reprobetur, ubi querere eam, aut invenire eos oporteat. Trahere enim se debent ultra Albim in Schartaniam: & exinde apportare tenebuntur quatuor viros, qui seniores reperiri possunt: & hoc ex eo, quia antiquius locata est quam Magdeburgum, Cæsarque OTTO à tempore diuturno ibidem Ducatum constituit, ac omnes uno & eodem jure sunt locati. Cum illis tandem quatuor viris ex Schartenia apportatis, constituuntur Magdeburgi ante Pallatium, Imperatoris OTTONIS Russi, quod fuerat, Pallantiamque posthac in sine summi rempli statuerat, ut in præmissis patet, & sequentibus apparebit. Pro una etenim sententia reprobata continue ad Imperium se trahere non potuerunt.

ARTICULUS XIII.

Quo pacto & per quem modum Pallantia Magdeburgi per Ottonem fundata sit.

1. Considerandum ulterius venit, quomodo Pallantia per Imperatorem ordinata sit. Voluit enim instituit de Schartania quatuor viros seniores & quatuor Canonicos, præfaturas seu officia in summo aut cathedrali Ecclesia habentes; primus, Præpositus; secundus, Decanus; tertius, Episcopi Vicarius: Cancellarius quartus. Ad id vocavit quatuor Barones, & innatos ministeriales, fundatæ Ecclesiæ majoris Magdeburgensis, Marsalcum, Dapiferum, Pincernam, & Camerarium. Et item accepit undecim Scabinos civitatis, & Scultetum duodecimum. Præterea ordinavit tres Duces Laicos, qui primi sunt in Electione Imperiali, videlicet Marchionem Brandenburgensem, Ducem Saxoniæ, Palatinum Rheni. Et item quartum Advocatum Ecclesiæ majoris in Magdeburgo. Prætactos viginti octo viros nunc enumeratos Imperator elegit, & sper sedem Pallantiæ collocavit eis potestatem ex parte sui tribuendo. Quæcunque sententia Magdeburgi inveniri non possit, vel illic redargui certum, ut tandem in Pallantia investigetur; & quicquid ibidem rite & legitime decretum sit, pro jure municipali observari debet in provincia Saxonica. Cum vero, ut sic, sententia ante Pallantiam apportata de quoque fuerit, extunc his viginti quatuor viris in signum cuilibet eorum datur unus solidus aureus, & quivis solidus valere debet duodecim solidos nummorum talis pecuniæ, aut talium denariorum, quæ in usu ibidem in foro habentur, in provinciaque, ut communiter currunt. Quatuor vero residui ad debent marca quatuor auri, & quælibet marca aurea valere debet duodecim marcas argenteas. Itaque tribuitur viginti octo viris prænotatis, & cum hoc, *a* cui sententia pro commodo inventa fuit, solvitur emenda. Si autem ille in sententia defecerit, qui eam reprobaverat, extunc solvere tenetur, plus quam ille cui sententia ad profectum cessit. Scabinis etenim, qui sententiam invenerant, & qui consensum & sequelam ad id dederant, quam ipse reprobavit, si justa fore definitur, emendam solvet, & judici suam pœnam. & hoc si ante sequelam increpet sententiam. Si vero sequela subsequatur, & tandem reprobatur sententia, tunc cuilibet Scabino, & illi qui sententiæ sequelam dedit, judicique totiens sua pœna aut mulcta solvitur.

a al. hoc illi dare tenentur quibus sententia ad profectum vel utilitatem fuerit inventa & definita, & ipse, qui in sententia defecerit, solvere expensas tenetur.

2. Quod si in Halla sententia increpetur, ad Magdeburgumque appelletur, sed & ibidem sententiam non acceptans, ad Pallantiam provocet, extunc utrisque emenda solvitur, tam Magdeburgensibus, quam Hallensibus. Idque ex ordinatione Imperatoris OTTONIS Ruffi factum est, ut municipale jus stabiliretur, prout ex antiquo stetit; Ducatumque ultra Albim fundavit.

ARTICULUS XIV.

Quomodo Pallantia congregari debet, & qualiter ad Pallantiam pertinentes citandi sint.

1. Intelligendum sequitur, quomodo Pallantia conventum habere debet suum, & quo pacto congregari. Scultetus primum de Magdeburgo literas civitatis cum appenso sigillo, accipere tenetur, easdemque transmittere supremo Advocato Ecclesiæ majoris, hoc est, Burgravio in Magdeburgo. Illeque tandem & suas dare tenebitur literas, ac alias ab Episcopo expetere sigillatas. Præterea & literas Regias, si Theutonica sit in provincia, cum pensili sigillo. Burgraviusque Magdeburgensis literas sic ordinatas, cum his, qui se ad Pallantiam cum sententia traxerant, de scitu & voluntate viginti quatuor virorum supra nominatorum, transmittere debet. In primis Duci Saxoniæ, postmodum Marchioni Brandeburgensi, tertio Palatino Rheni. Hi enim tres sunt Laici Principes primi in electione Imperiali, cum nonus Rex eligitur Theuthonicæ nationis.

ARTICULUS XV.

Quomodo citatio pro congreganda Pallantia fieri debet.

1. Notandum tandem sequitur, quo pacto supra memorati Domini ad Pallantiam pertinentes citari debeant, ut simul conveniant. Scultetus enim in primis Burgravium citare debet per sententiam juridicam, & item pro secundo & tertio, semper per spatium sex septimanarum. Quod si pro tertia citatione non comparuerit, extunc tres laici Duces eundem per nuncium vocabunt suum, & pro qualibet citatione, Regi tres marcas aureas demeretur, quarum quælibet marca aurea duodecim marcas argenti valere debet, & si posthac ultra sex septimanas non venerit, ad excusandum se coram Rege, ubi protunc cum curia fuerit sua, extunc in primis omnia Ecclesiæ majori Magdeburgensi, quæ ab ea in feudum habuit, & item Regi bannum vacabit, sed & proscribetur in Regis illegalitatem.

2. Per simile etiam sicut Scultetus citat Burgravium, sic Burgravius citare debet hos tres Principes sub banno Regio. Quod si in tertia citatione non comparuerint, ut prætactum est, extunc quivis eorum de qualibet citatione decem octo marcas aureas Regi demeretur, quarum qualibet duodecim marcas argenti continet.

3. Et si non venerint tempore illo per citationem expresso ad sententiam definiendam, sententia nihilominus decerni debet ante Pallantiam.

ARTI

ARTICULUS XVI.

Quo pacto jure municipali, judicium banniri debeat.

1. Banniendi judicii modum secundum jus municipale, considerare licet. Scabini undecim esse debent, Scultetus duodecimus, quia ille Burgravio primam invenire debet sententiam. Burgravius etiam nullum legale habere potest sine Scultetojudicium.

2. Itaque primæ sententiæ, quas Scultetus Advocato feudali invenire debet, hæ sunt.

3. Advocatus in primis Scultetum interrogare debet, si tempus judicii sit. quod cum istud petsententiam invenerit, tandem quæret, si judicium banniri poterit; & invenitur sibi quod facere id potest, si juridicam præstatem habet. Tandem quæret ulterius, an de jure demandare debet, quæ demandanda sunt. & invenitur sibi quod demandare debet excessus circa judicium, turpia verba, ac omnem injuriam. & hæ sunt tres primæ sententiæ, quas Scultetus Advocato invenire debet. Interroget post hæc Scabinum, si pacem judicio indicere debeat? respondetur, quod pacem indicere debeat de juris forma. Indicitur que pax, quod unus alium in sua non impediat querela, in causisque suis. Quod si quis alium infestaverit clamore, vehementi cursu, increpatione, & aliis injuriis sibi in querela nocivis, si id injuriose fecerit, ac protestatum sit, judice & Scabinis, acquiritur ab ipso emenda, & judici mulcta. Si id fiat coram Advocato, demeretur tres libras: si coram Scultetto, octo solidos.

4. Quandocunque unus emendam acquirit, Judex etiam suam tollit mulctam. Attamen sæpius Judex mulctam acquirit, ubi nulla solvitur emenda: ut est pro injuriis, quum contra honestatem judicii quis concitatis verbis, vel aliquo alio judicium impedierit, vel indisciplinate se habuerit. Judex tandem ibidem unicuique demandabit, quod contra alium querelam honeste proponat suam per procuratores aut ferendarios, quod nullus negligat se, aut impediatur in jure suo.

5. Quilibet homo potest verba sua loqui jure municipali, qui juri suo non est passus detrimentum, & hoc si periculum sustinere vult. quod exinde evenire possit.

ARTICULUS XVII.

De excessu judicis & eius pœnâ.

1. Attendendum super eo, si Scultetus impediverit aliquem in sua querela, & sibi justitiam non juverit, vel recuset minus juste, & pro eo coram Burgravio aut Advocato cum testibus inculetur; quid facere debeat. ipsum enim cum testibus etiam evadere oportet.

2. Cum qualicunque testimonio super judicem questum fuerit, tali testimonio excusari cogitur, sive sint Scabini, aut alio judicio pertinentes. Si vero coram Advocato in judicio banniti, tunc citius testibus vinci potest, quam ille cum testibus evadere poterit. Si autem vir cedere vellet testibus & inculpat eum de sua licentia, extunc super eo, unica evadere potest manu.

3. Quando inculpatur pro causa hujusmodi coram Advocato, in instanti respondere tenetur, postquam judicium legale ibidem fuerit, quia necessario ibidem præsens esse debet, nisi legale impedimentum eundem occupet, quod impedimentum statim probare eum oportet.

4. Si non solenderit, aut injuste renuerit, vel per justitiam excusare se recusaverit, super injuria sibi objecta, quam exercuit, extunc condemnatur Advocato in decem talentis idem Scultetus. & illi debitum persolvet, cui justitiam facere recusavit. Interimque quoad debitum non relarciet, vel solus non solvet, aut jure se non excuset in judicio proximo, amplius nullius Judex esse poterit, nisi se ab hac inculpata causa, ut præmissum est, eliberaverit.

5. Si autem pro facto criminali justitiam vel judicium recusavit, sicut pro homicidio, furto, spolio, Ecclesiæ violentia, incendio, & his similia, quæ crimina capitalia dicuntur, hoc judicium super eundem decerni debet, quod supe illum extendi debuerat, nec pro eo pecunia, aut emenda, aut recompensa, aut aliquo alio eliberari poterit, si in his vincatur, ut juris est. Si autem unus in captivitatem judicii publicam, vel ad judicium præsentatus fuerit, ut detineatur ibidem, & si evaserit exinde sine judicis culpa, aut negligentia, pro crimine, quod transit ad collum, solvet verigeldum, id est, recompensam, si ad manum mediam recompensam, juramento tamen eam confirmare oportet, si sibi non creditur, quod absque ejus culpa captivus evasit.

6. Recompensa sive verigeldus integer jure municipali est decem octo talenta nummorum, qui communiter in usu habentur illic, ubi demeruit recompensam: media recompensa, novem talenta.

ARTICULUS XVIII.

De querela contra judicem justitiam facere denegantem.

1. De iudice considerandum sequitur, si non iuste iudicaverit, cum sibi querulatur, aut illud omiserit, propter amorem, compatientiam, munera, aut aliquam aliam causam: vel si solus noxam aut iniuriam fecerit, quam de iure facere non debuit, propter id enim Judex electus est, quod ius fortificet, & iniustitiam debilitare deberet. Si itaque querela super ipsum in iudicio facta fuerit, Scultetus Judex esse debet Advocati, & cogitur veris sententiis ad respondendum ad objecta, ut nunc declaratur. Primum petatur per sententiam, quod Advocatus surgat, & iudicem in suoloco sedere faciat, qui illum iudicet; tandem & sedere procuret Scultetum, qui iudicabit super Advoca-

tum. Consimiliter etiam Advocatus judicabit super Scultetum, & ex eo Burgravius nullum legale judicium habere potest sine Sculteto, quia coram co se exhibere debet justificaturum, si contra eum propositum sit.

2. Si contra justitiam anno & die id facere recusaverit, domino terræ judicium vacabit & bannum Regi, si contra eum prosequatur per veras sententias, ut juris est.

ARTICULUS XIX.

De proconsulis electione.

1. Postquam Proconsul in civitate eligitur, ad unum annum ille eligi debet, & ut sit potestatem judicandi habebit, super injustas mensuras potabilium, & pondera & injustos coretos, & cujuslibet cibi & potus mercimonia, qui parvum coquit & divendit panem, vel cibaria invalida, & super revenditores, quod recto & justo vendant cibaria precio, & si unus excesserit, demerebitur autum & crines, vel marcam ponderosam, hoc est, viginti sex solidos.

2. Constitutio ipsorum est, postquam signum in foro figitur, extunc revenditores emere non debent, animo ultra illud vendendi. Cum vero signum depositum sit, emere possunt, quicquid volunt, ut tamen civitatis statutum non fregerint.

3 Statutum civitatis si fregerint, demerentur, ut supra tactum est, hoc erit in voluntate & arbitrio Consulum, quicquid accipere velint. Quia & si pecuniam accipiant, manet nihilominus revenditor infamis & jure privatus.

4. Ad id Proconsul jurare debet, nec ratione amoris, nec compassionis facere & dimittere vult, sed civitatis honorem, profectum, quanto melius & cautius sciat, cum exquisito consilio custodire.

ARTICULUS XX.

Quæ pacto proprium seu hæreditatis jure municipali resignari debeat.

1. Proprium si unus alienare aut resignare jure municipali velit, extunc is, condescendere seu alienare intendit, & ille qui illud acceptare desiderat, constitui debent ante quatuor scamna judicii banniti. Et qui ut sic proprium seu hereditatem condescendere vult, petere debet procuratorem, quæratque per sententiam, quo pacto proprium alienare & condescendere debeat, ut sibi proficere possit in jure suo. In venitur tandem judicialiter, quod cum heredum consensu, si proprium illud sibi abscessum vel resignatum non sit. Si vero hereditatem illam propriis emit pecuniis, extunc eandem dare & alienare poterit, cui voluerit sine cujusvis contradictione. Cum vero ut prætactum est, proprium seu hereditatem abscesserit, & ille eandem acceptaverit, ulterius per sententiam quærat, ex quo quidem abscessionem feci, an illud proficere ei possit in suo jure, quod cum sibi decernetur, exinde per sententiam petat intromissionem à judice fieri. Judex tandem aut Scultetus, vel à quo donationem seu resignationem accepit, eidem intromissionem dare debet, Scabinique secum ire tenentur, qui & præsentes esse debent, ad testificandum quod intromissio juris ordine data sit.

2. Intromissioque hoc pacto, ut infra declarabitur, exequatur. Judex domum introibit illius, qui eam alienavit, vel maneam, si domus non sit; cæteri vero foris stabunt, & illum, cui hereditas abscessa est, per manum accipiat, in præsentia que Scabinorum, eundem in domum inducat, hæc verba dicendo: Quemadmodum tibi domus seu hereditas coram judicio abcessa, resignata, donata vel est, inillam te intromitto, prout ex sententia mihi decretum fuit, & in testes accipio Scabinos, & alios judicio pertinentes, vel qui judicio astabant, quod te huc introduxi, prout juris est.

3. Postmodum vero revertantur ante quatuor scamna, hoc est, ad judicium bannitum & petat judicem, quod testis suus de jure esse velit, idque Judex facere tenetur ex juramento judicio præstito, & iste tandem album numinum judici & Scabinis dabit, perfectusque permanebit in jure suo.

4. Persimile etiam, quemadmodum judex testificabitur, sic etiam Scabinos testificari oportet,

ARTICULUS XXI.

Quanto tempore proprium resignatum varendari debet.

1. Qui proprium dederit aut resignaverit, illud varendare tenetur anno & die, ut juris est, hoc est, anno & sex septimanis. In testimonium que cuilibet Scabino datur denarius unus, Scultetovero nihil porrigitur. Si vero donatio illa vel abscessio sub banno Regio fiat, cum Scabini invicem congregati sunt, Judicium que celebratur bannitum, in possessionem rei donatæ aut resignatæ intromitti debet, ut prius dictum est; hujusmodique resignatio confirmari in judicio legali per judicem & Scabinos: & exinde donatio fit justa & legitima, illeque eundem varendare tenebitur, ut prius dictum est.

2. Si vero in jure municipali quis consederit, negotiumque ad id deveniat, quod varendatione indiguerit, testis suus fore debet, quoad vixerit.

ARTI-

ARTICULUS XXII.

De jure dotalitii: mulierum post mortem viri.

1. Intelligendum venit, quæ bona uxor relicta post mortem mariti sui, jure municipali servare & potest nihil enim uxor usurpabit sibi de bonis defuncti, nisi id quod sibi coram judicio in ejus proprio donatum sit ad vitam ipsius.

2. Dicunt quidam, quod mulieri in jure municipali dari potest spontalitia largitas, sine hæredum consensu; hoc tamen heri non potest. Quicquidenim uxori jure municipali coram judicio præstatur, hoc necessario esse debet vel donatio propter nuptias, seu proprium, cum consensu hæredum vel bona mobilia in paratis mariti pecuniis.

3. Etiam hoc discrepat jus provinciale à municipali. jure enim provinciali ad dotem pertinent fœnus, ædificia carpentata, pecora, pascualia, & jure vero municipali, ex quo omnes uno subsunt iuri, iusque per æquum omnibus inseruit. Unde uxor non plus accipit, nisi parafernam seu geradam.

ARTICULUS XXIII.

De gerada seu parapherna, & quæ ad eam pertinent.

1. Considerandum ulterius, quæ ad geradam seu paraphernam pertinent. Ad eam enim spectare videntur omnes vestes muliebres, ineisi panni, & tela itidem ædificata ad usum mulieris, & ea, quæ pro ornatu deferre solent mulieres, ac ea in suo habuerit reservaculo & tutela. Præterea omne aurum argentum ve, quod formatum est ad ornatum mulierum, omnes annuli, brachialia, cinguli, ferreum formatum, cortinæ, appendicula: scamnalia cum velaminibus, linteamina, balneamina, velamen, lectum. pulvinaria, cussini, mensæ, patellæ, caldar, ad abluendum; linum, filum omne neratum, sive sit dealbatum, sive non, libri qui à mulieribus usitantur, anleres, anetæ, oves pastorem præcedentes.

2. Si vero maritus sit institutor, aut mercator, qui venales res hujusmodi habere solitus erat ut sunt cortinæ, appendicula, tapetia; illa mulier obtinere non poterit, nisi duæ pro ornatu ejus cameræ pertineant, vel ad maximum de singulis horum tria pro ornatu habitationis apparamenta.

3. Si vero maritus fuerat hospites fovere solitus, non potest obtinere illa omnia. Ea etiam, quæ hic expressa habentur, intelligi debent, si uxor ad maritum geradam apportaverit, ut oves. quia si maritus antehac oves habuerat, priusquam uxorem superduxit, ad id proxima cognata nullum jus habebit. Quicquid autem in alio muliebri ornatu fuerit, hoc cognata percipit, signanter omne illud quod uxor ad maritum importaverat.

4. Decedat vero uxor marito, cognata, quæ accipit paraphernam, lectum matito struere debet & adornare, sicut fuit tempore, quo uxor vivebat sua. Scamnumque cum pulvinari, & mensam cum mensali, manutergium simul, & sedile cum cusino relinquet. Nulla etiam accipit cibaria agnata prætacta.

ARTICULUS XXIV.

De cibariis domesticis.

1. Quantum juris uxor habeat ad cibaria domestica quæ post mortem viri in domibus seu curiis relinquuntur, jure municipali, cum separari velit à pueris seu mariti heredibus, videndum sequitur.

2. Si etenim mulieri vitæ provisio inscripta sit in curia illa, ubi cibaria hujusmod relicta sunt omnium accipit medietatem post trieesimum, quæcunque maritus ordinaverat ad usum unius anni; & hoc ultra illa cibaria, quæ se ad hereditatem extendunt. Residuum vero quicquid superfuerit, hoc accipit mariti verus heres, & non heres feudalis. Si vero locus ille, ubi hæc relicta sunt, non sit in vitæ provisionem mulieri assignatus, non plus de his accipit, nisi quantum comedere & bibere possit, quo ad sibi ejus pecunia exsolvatur.

3. Quamdiu etiam sine marito manserit, tamdiu evacuare locum non tenetur, nisi forte heredes *a* eam jure vel bonis *a* expediverint. & si fidejussoriam habuerit, super his heredes monere non oportet. *a al. bona voluntate.*

4. Acceptis etiam pecuniis, possessionem evacuare tenetur. promissum enim & statutum omne jus frangit. Cibaria autem domestica unius anni dicuntur, quæ illo anno & ad annum unum adaptata & ordinata sunt pro necessitate domus.

ARTICULUS XXV.

De armis bellicis.

1. Quæ sint arma bellica seu res expeditoriæ, & quæ ad ea pertineant iure municipali, considerandum sequitur. Tum etiam quo pacto relicta; mortui uxor proximiori agnato illa extradere debeat.

2. Ad arma etenim bellica pertinet dextrarius seu equus melior, mariti sellatus, gladiusque ejus, clypeus item, & meliora eius arma, quæ habet pro corpore unius viri: tum & quotidianæ vestes, ististernium item bellicum; hoc est, lectulus cum cussino, duo linteamina, una pelvis, mentale unum cum manutergio, caldar unum vel aliud huic simile. & hæc sunt & dicuntur vere arma bellica licet aliqui ad id alia apponere solent. Et si quid horum relicta non habuerit, ac sacramento confirmare audebit ea non superesse, dare non tenetur.

ARTICULUS XXVI.

Quæ ad hereditatem pertinent,

1. Ad hereditatem autem iure municipali secundum similem ortus generationem pertinere dicitur, omne proprium non alienatum, omne item aurum & argentum, panni ex lana & lino non incisi, equi, boves, scrofæ, ex curia exeuntes. Sed porci qui sunt mactati & partiti, non pertinent ad hereditatem, sed ad domestica cibaria.

2. Domestica etenim cibaria, ut iam habitum est, dicuntur, quæ ad necessitatem unius anni comparantur, & ita porci crassati pertinebunt ad cibaria communia, si sint mactati & partiti: alias integri ad hereditatem pertinent, pernæ idem lardi, ascellæ porcorum, siligo, cistæ braseorum, & alia item scrinia, mensæ, sedilia, scamna, cinguli, brachialia, lavatoria, distillatoria. cistæ simplices, sartagines seu patellæ, dolia pacifice in loco situata, omnia caldaria, excepto caldario pro abluendis vestimentis, quod ad geradam pertinet. Vasa præterea seu dolia quæ vacua sunt, & item galli, & aliæ aves, canes & cati, morsarius, ac omnis generis armatura, clypeique, exceptis tamen his, quæ inter arma bellica connumerantur. Omnia item vasa argentea ad hereditatem pertinent. Quod si tres aut plures ad unam pertinere videntur hereditatem, vel ad arma bellica, senior tamen accipit inprimis gladium ante omnia.

ARTICULUS XXVII.

De actione iniuriarum & debitorum.

1. Cosiderandum sequitur, quo pacto jure municipali, vir assecurari debeat, cum accusatus sit pro injuria & manuali factum in eo non probatur. Is enim ante quatuor scamna, hoc est, in locum, ubi judicium exercetur, trahi debet, causaque eidem insinuetur, quare jure arestatus sit, & necessario ibidem judex præsens sit vel suus præco.

2. Si negotium illud ita cesserit, quod ad vitam vel sanitatem vergat, fidejussoriam eum statuere oportet pro suo statuto verigeldo. Si fidejussoriam non habeat, judex eum solus servabit.

3. Sed si negotium illud sit occasione debiti, quòd ille recognoscit, & vir sic accusatus hereditatem habeat in civitate, quæ ad majus se extendit quam debitum illud, poterit se hereditate tueri ad legitimum judicialem terminum.

4. Quod si hereditate careat, præsentabitur creditori per manum, si advena fuerit is, cui præsentatus sit, eundem secum libere abducere poterit, si ipsum in municipio servare non valebit. Cautionem tamen fidejussoriam statuere eum necesse est, quod absque noxa corporis & sanitatis eundem servabit, vel vice versa præsentabit. Si fidejussoriam non habeat, eundem in municipio in domo judicis relinquet. Compedes poteſt sibi apponere, & præterid nullam aliam pœnam sibi irrogare poterit. Benevole enim sese in carceres obtulit. Providere eum debet cibo & labore; per similе prout aliam suam familiam, quia nec fur, nec furum socius aliquando fuit. Si evaserit antequam debitum exsolvat, eundem detinebit ubicunque eum prævenire poterit pro pecunia sibi retenta, ac vice versa judici præsentandus necessario erit.

ARTICVLVS XXVIII

Quo pacto unus defendere se debet, ut in extraneo non respondeat judicio.

IMP. OTTO I. AUGUST.

1. Homo extraneus in alieno judicio respondere minime tenetur alteri, qui in uno secum residet judicio. Quod si exinde in damnum induxerit eundem, id resarcire sibi tenetur, nisi forsan judicium illic sibi denegatum sit.

IMP. FRIDERICUS I. AUGUST.

2. Conqueratur si quis jure municipali super hereditatem, proprium, debito, bonis, injuriis, sive sit Theutonicus, sive Sclavus, ibidem etiam respondere tenetur. Nam ubi quis petit, ibidem etiam jus dare, hoc est, respondere debet in causis omnibus, excepto duello, cum suis similibus.

3. Accusetur vero quis coram judice spirituali in causa seculari, vel quæ judicio secularis judicis proprie subest, & in eo damnum perpessus sit, ac tandem is coram seculari judice conveniatur protesteturque contra eum, quod jus nunquam sibi tecusavit, indemnem eundem reddere, ac emendam sibi solvere cogitur, judici vero mulctam præstabit.

ARTICULUS XXIX.

De donatione seu abscessione bonorum, in quibus veram possessionem solus non habuerat.

IMP. OTTO I. AUGUST.

1. Qui bona alteri in ejus tradiderit potestatem, in quibus nullam solus habuerat possessionem. Si alter jure mediante in eadem bona introductus sit, is qui possessionem habet, intromissioni licite jure contradicere poteſt, & illum sic introductum removere. Tenebitur tamen possessionem iure defendere in proximo assignato judicio.

2. Nullus etenim possessionem dimittere cogitur, nisi judicialiter accusatus per veras sententias repulsam

repulsam patiatur. Quod cum factum fuerit, iste tandem judicialiter introducitur, & exinde eundem nullus expellere poterit, nisi accusatus veris sententiis repellatur.

ARTICULUS XXX.

De donationibus vel absessionibus coram judicio factis.

IMP. OTTO I. AUGUST.

1. Donata viro vel mulieri jure municipali tribus diebus illa possidere oportet.

2. Quæ vero per querelam evincuntur, præscribi possessione non cogitur.

3 Bona feudalia si quis alteri dimiserit, illa varendare oportet anno & die. Qui vero proprium vel mobilia in municipio vendiderit, illorum varendator esse tenetur quoad vixerit, res tamen illa, pro qua litigatur, ad manus tradi debet venditoris, ad commodum vel damnum, quamdiu illam defendere valeat.

4. Cui autem donatum quid est, in eo donatarius probare non poterit nisi donationem, nec varendare eum oportebit.

ARTICULUS XXXI.

De fidejussoria debiti vel injuriarum.

IMP. OTTO II. AUGUST.

1. Fidejussorem coram judicio statuens pro debito eum conditione, quod ille solus vel fidejussor exsolvat, si probare posset, quod ille solus persolverit, ut juris est, fidejussor liberatur, dummodo solutio per eum probetur.

2. Qui autem pro alio fidejusserit certam pecuniam ad tempus solvere, probare testibus idem tenetur, quod solutioni satisfecit.

3. Si quis vero fidejussoriam statuere pro injuria accusatus cogitur, coramque judicio eundem statuendi fidejussor promiserit, & non statuerit ad terminum judicialem pro eo accusatus emendare eum oportet juxta querelam & determinatum verigeldum.

ARTICULUS XXXII.

De testimonio contra aliquem producendo & legitimo alicujus ortu.

1. Qui alium dicit illegitimum ortu aut officio, hoc contra eum septem testibus pleni juris probare debet.

2. Si vero dicatur, quod jus perdidisset suum coram judicio cum furto aut spolio, hoc judex cum duobus scabinis, & quatuor ad judicium pertinentibus metse ptimus probaturus est.

3. Moriatur si judex, ejus successor in judicialibus actibus omnium, quæ acta sunt circa tempora præmortui, in quantum scabinorum testimonio informatus fuerit, quamvis illa nec viderit nec audiverit, testis esse debet.

4. judex nullum à querela repellere potest sine voluntate illius, contra quem querela proponitur.

ARTICULUS XXXIII.

De libertate Scabinorum.

1. Liber seu idoneos officio scabinorum, bannum sui scabinatus, hoc est, locum ubi natus est scabino dignus, ostendere aut suos progenitores quatuor nominare non oportet, nisi suo in generatione æquali duellum proposuerit injungendum.

2. Quilibet se trahere potest ad locum natalis sui juramento proprio ubicunque sit, licet scabinatum non possideat.

3. Scabinorum sede dignus in alieno judicio nemini respondere tenetur; verum in illo judicio, ubi suus natalis locus habetur, vel sedem obtineat scabinalem; respondebit, & ibidem etiam ad jus pertinebit.

4. Sedem vero illam pater primogenito; eo vero non extante, * seniori & sibi in generatione similis agnato hereditat.

* NB. de primogenitura, Vide Speculi, Saxon lib. 3. art. 26. §. ult.

ARTICULUS XXXIV.

De exigendis debitis.

1. Debitorem si quis habeat in municipio, vel unus sibi quid teneatur, extunc præconem subordinet, qui illum ante judicem venire faciat, insinuariq; tandem sibi debet, quo pacto debitum illud contractum sit, vel causam exponere, cur eundem detinere vult; judicemque expetat, quod eum assequeretur vel provideat si possessionatus non est. idque judex facere tenetur. Quod si proptium in municipio habeat, terminus sibi præfigi ad proximum judicium debet.

ARTICULUS XXXV.

Duellum quomodo fieri debet.

1. Qui duellum indicere voluerit sibi in generatione coæquali, is petat judicem, ut sibi de jure liceat comprehendere, id est, invadere suum violatorem, quem ibi prospicit constitutum. Cum hæc licere fuerit ei pronunciatum, tunc interroget, qualiter eum comprehendere debeat, ut ei proficiat in jure suo. Ibidem pronunciabitur, quod mansuete in sui superiori foramine vestimenti. Quæratur tandem, si ictivolum aut temerarium in detinendo se ostendat, & cum alibi tangi contingat, quod illa

protervia

protervia eidem in jure noceat suo, si ei probitur quod sic, & sic arripiat eum duobus digitis. Cum sic eum comprehenderit, & eum cum licentia dimiserit, quamobrem rem hanc egerit, & cur eum alloquatur actor, debent exponere, hoc tamen cum interlocutione vel in continenti est faciendum. Tunc cum tenetur primo declarare, quod ipse pacem ei non violavit in via regia aut in villa, aut ubicunque hoc factum sit in munitione, debet referare. Secundo tandem actionem, quando se et plagas & talem injuriam apposuit, quas poterit demonstrare per vulnera; & si manifesta fuerit, per cicatrices: & ibidem declaret vulnera vel cicatrices, præterea accusetipsum, quod ei tam enormes res deprædatus est, ut merito pro his altercationem inferatur. Illæ tres violentiæ ita se juncta sunt, ut malum bono proponendo, quas si simul non proposuerit, ejus duellum evanescit.

2. Ulterius vero dicat; ibi ego eum personaliter vidi personalem, & eum cum judicio clamore infestavi, testimonium que producere paratus sum viros, qui clamorem audierunt, quod ita fecerit, placeret. Si vero negaverit, ego eum vincam per pugilem meum jure, prout mihi scabini decreverint. Reus tandem petat actionis varendam quæ ei est facienda.

3. Tandem licite potest quis actionem suam, antequam varendam faciat, in statum perducere meliorem. Post varendæ præstitionem reus suam præbeat innocentiam causæ contra eum propositæ.

4. Tandem ille quærat per sententiam sibi dari, quæ hujusmodi declaratio innocentiæ sit, quandoquidem eundem convincere vult, per se vel suum pugilem: deinde ut iterum, quod innocentiam declarare debeat clypeo aut gladio. Quod si duellum propter membri mutilationem exequi non possit: juramento que id confirmare audebit tutorem seu pugilem jure acquiret.

5. Quilibet etiam homo potest duellum sibi in generatione deteriori, sed non deteriore meliori denegare. Negare etiam potest duellum, si post meridiem ei inferatur, nisi prius fuerat initiatum. Judex vero clypeum cum gladio reo, si indiget, ordinabit.

6. Duellum etiam si quisitigantium cognatus est aut si ipsi invicem sunt cognati, potest prohibere, si meliseptimus suo juramento tantam inter eos esse cognationem, ut de jure invicem certare non debeant, manifestet.

7. Judex tandem cuique duos præbere debet nuncios, qui videant, quod secundum consuetudinem præparentur, quantum voluerit de corio & lineo induant, dummodo frontes, id est, cassata atque pedes permaneant enudati. In manibus non nisi simplices & lineas habeant chyrotecas, nudum in manu quilibet habeat gladium, & cum uno vel pluribus, secundum cujusque arbitrium, præparatur. Clypeum ligneum corio tectum in manu ferant, umbo tamen ferreus illius esse potest, & una manicam induant, cujus manicæ usque ad cubitum terminabunt; Judex circulo pacem, ne quis eos impediat, debet sub pœna capitis demandare. Cuilibet eorum Judex unum, qui arborem ejus ferat præ dinabit. Qui ferentes, neminem eorum ullatenus impediant, sed si eorum quis ceciderit vel vulneratus fuerit, vel arborem perterit, & judex hoc licentiaverit, arborem interponant. Postquam circulus fit pax nunciata, tunc petere debent circulum sibi à jure licentiari, quem eis judex licentiabit. De vaginis ferrum auferent, nisi hoc eis à judice concedatur.

8. Ante judicem accedere debent præparati, & jurare, actor videlicet quod illa accusatio vera sit, & reus quod innocens sit, ut sic eos Deus adjuvet in suo duello. Splendor solis eis dividatur, quando procedunt. Si reus vincitur, condemnatur; si vero vicerit, donata sibi ab actore emenda & judici mulcta absolvetur. Actor in circulum prior veniat, & si reus venire protraxerit, judex eum debet tribus vicibus per præconem in domo, in qua præparatur, adhibitis duobus bannitis evocare. & si tertia vocatione non venerit, actor surgendo se debet duello præsentare, & verberando contra ventum bis feriendo, & tertio confodiendo eum superabit, in querela contra eum proposita: judex que eum, tanquam duello esset superatus, condemnabit.

ARTICULUS XXXVI.

De actionibus criminalibus.

1. Actiones injuriarum omnimodæ, ut sunt occasione furti, homicidii & similes, cum clamore judiciario proponantur, dum adhuc manuale factum appareat, septemque virorum testimonio convincitur reus.

ARTICULUS XXXVII.

De querelis violentiarum & irruptionum domus.

1. Violentiarum seu stuprorum querelæ, & domus irruptionis in vitam alicujus, querulari oportet cum clamore manualis facti, & meliseptimus convincitur.

ARTICULUS XXXVIII.

De violentiis ex irruptione domorum.

1. Accusetsi quis alium ob irruptionem domus diurnam vel nocturnam, & conqueratur super injuria vel violentia, vel si opprimatur mulier, aut puella, virque detinentur in recenti facto, & cum clamore judicio præsentetur, testesque habuerit, quibus factum probare posset, ut juris est, meliseptimus, in vitam illius eo det factum illud.

2. Si vero factum pernoctetur, Burgravius illum judicabit, & nullus alter. Ubi manuale factum non appareat, proprior est accusatus evadere, quam quis eum convincere poterit.

ARTI-

ARTICULUS XXXIX.

De querelis ex necessitate propositis, & per Burgravium judicandis.

1. Omnimodas necessarias querelas, quæ pernoctatæ sunt, nullus judicat, nisi Burgravius.

2. Si alicui ædificia per sententiam judicam abjudicentur, ex eo quia in illis mulieres, vel puellæ violatæ sunt, ædificium illud succidi debet, & in terram prosterni, non tamen debet exinde abduci nec comburi. Sed si sententiatus sit pro præda, furto ex castro commisso, excidi ædificium debet, eritque omnibus commune.

ARTICULUS XL.

Contra quas injuriarum querelas, quis juramento absolvi non potest.

1. Omnes injuriæ & querelæ, ubi probatio habetur, coram que judicio cum clamore inchoatæ sunt, pro illis jurare non poterit, sed si nulla probatio sit, extunc citius unus jure se expurgabit, quam quis eum convincere possit.

ARTICULUS XLI.

De querela contra aliquem in ejus absentia facta ubi & terminus reo assignatur.

1. Accusetur si quis pro injuria, ubi præsens non sit, terminusque reo ad respondendum assignetur, & actor infra dictos terminos reum reperiat, eum licite arestabit seu detinebit, quo querimonia tamdiu, quoad fidejussoriam ponat ad comparendum. Quia judex pacem actori, & non reo, in cujus absentia conquestum est, nunciavit.

2. Qui pro injuria accusatus est, ante omnia varendæ præstationem petat. Quamdiu enim varendam non præstatur, actor suam actionem corrigendi liberam habet facultatem; postha vero non.

ARTICULUS XLII.

Quo pacto ferendarius in re contraveri debet in causis & querelis violentiarum & manualis facti.

1. Ferendarius per sententiam ad id coactus, quod verba alicujus facere debeat, in facto manuali, hunc modum in processu servare debet.

2. Primum etenim dicet; Domine Judex, ex quo me procuratorem huic dedistis homini, quæro per sententiam dari, si ab aliquo inimicitias, impediones, aut aliud quid contrarium sufferre debeam, ex eo quod verba sua pro juris loquar exigentia, quantum melius potuero aut valeam. Postquam sibi hoc definitum fuerit, extunc præcustodiat ei, quod & alium in defectu haberi possit procuratorem, vel si forsan in defendendo deficiat, causam non bene intelligendo, quod consuluri cum principali vel alium attingere possit procuratorem; tum & alia quæ juxta consuetudinem judiciorum observari solita sunt, reformentur.

3. Tandem quærat ferendarius, quomodo querelam inchoare debeat, ut proficiat juri suo, cum sibi id decernitur: quærat per sententiam, an principalem interrogare jure debeat, quis in eo pacem fregerit.

4. Quod si ita impotens est, ut colloqui non possit, cum sibi decernetur, & illum iudex cum duobus Scabinis, & item duobus ad judicium pertinentib. conspexerit, hoc est, si fuerit ita imbecillis seu debilis, quod loqui non possit, ut exprimant illi testes prout viderunt vel audierunt, quodq; sibi juramento ipsorum recognoscant, quid ipsis notum sit in facto illo. cum hoc sibi definitur, ab uno, à secundo, à tertio, extunc requirat in sententia, si jam profecerit in juris processu, cumque sibi hoc decretum sit, & pacis violator per clamorem citatus, ut juris est, fuerit, tandem proponat hæc verba.

5. Domine Judex, peto audiri verba N. & ea intelligere N. querulatur contra A. quia ipse veniens in municipium in via libera pacem in eo fregit, eundem mutilavit, ac violentiam in eo patravit, quam probare potest, sed & vita ac bonis eum spoliavit, & sibi tantum accepit, quod duello dignum est, petitque ius super eo decerni. Exinde violator pacis advocetur per præconem pro primo, pro secundo, pro tertio, ex nomine eundem acclamando. Pro qualibetque vice querela renovetur, dicendo quod N. conqueritur contra A quia in municipium veniens in viam regiam eundem bonis & vita spoliavit, violentiamque in eo patravit, quam & ostendere potest, & petit super eo ius decerni. itidem faciat & pro tertio.

6. Postha tandem ostendere debet vulnera, & quærat per sententiam dari, si violatorem alibi ubicunque locorum præ venerit, an eum detinere possit de forma iuris, cum sibi hoc definitum sit, petat pacem: quæ & decerni sibi debet.

ARTICULUS LXII.

De Consulum electione eorumque potestate.

1. Postquam Magdeburgenses civitas iure municipali fundata fuit, de voluntate que Imperatoris OTTONIS *Rufi*, cum consensu etiam & consilio seniorum provinciæ illius secundum ius CAROLI Imperatoris, & iuxta eorum arbitrium ac voluntatem locata: consiliati exinde sunt, quomodo Scabinos & Consules eligere debeant pro civitatis commodo. Scabinos quidem ad tempus diuturnum: Consules vero ad unum annum. qui tunc iuraverunt, & nunc iurant annis singulis, cum de novo eliguntur, civitatis honorem, profectum, utilitatem, & ius custodire, prout melius noverint aut poterint, cum consilio & juvamine seniorum, nec id omittendo ratione amoris, molestiæ, iræ, muneris, sic eos Deus adiuvet & sancti eius.

2. Con-

2. Consules conventum suum exponere & statuere poterint, cum exquisitorum ac seniorum consilio.

3. Eligere insuper Consules debent inter se Proconsulem unum vel duos; & quicquid ibidem in congregatione vel conventu illo conclusum fuerit, firmiter observari debet. Qui ad conventum illum interim, quando campana pulsatur, non venerit, mulctæ dabit sex nummos. Si vero conventus ille sibi denunciatus fuit, quinque solidos mulctæ demerebitur.

4. Consules præterea potestatem judicandi habent super quaslibet vacuas mensuras, & pondera injusta, ac cujuslibet cibi & potus falsa mercimonia. Quicunque hæc violaverit, demerebitur tres Sclavonicas marcas, quæ faciunt triginta sex solidos.

ARTICVLVS XLIV.

De pœna revenditorum & penesticorum.

1. Qui penestici & revenditores vocantur, si in aliquo demeruerint vel excesserint contra statuta civitatis, aut Consulum decreta violaverint, in esculentis falsificandis, vel aliquo alio, quod cives constituerant, idque contra illos probatum fuerit, ex parte civitatis demerentur cutim & crines, aut triginta sex solidis eliberare se poterint, juri tamen civili suo per id derogabunt.

2. Erit etiam in arbitrio Consulum quicquid horum acceptare voluerint, cum vero pecuniam acceperint, ille nihilominus manet sine jure & sine honore.

3. Hoc idem simile judicium extenditur super omnes, qui in falsificatione esculentorum privati, & in eo convicti fuerint: qui nec aliquod commercium seu communitatem cum reliquis habent, sed nec comestabilia divendere poterint absque Consulum consensu.

ARTICVLVS XLV.

De judice civitatis Magdeburgensis, judiciis, & legalibus.

1. Judex supremus Magdeburgi, tria judicia Burgrabialia in anno exercet: unum die sanctæ Agatæ: aliud die sancti Joannis & Pauli; tertium in octava sancti Martini. Si vero occiderit aut evenerit aliquod horum judiciorum ad diem celebrem aut feriatum, extunc amittit suum judicium.

2. Quod si Scultetus ad judicium non venerit, mulctam Burgravio solvet, decem libras, nisi legale importet impedimentum: quod eum probare oportet, quia Scultetus primam Burgravio invenire debet sententiam. Quicquid injuriarum vel criminalium commissum fuerit, quatuordecim diebus et noctibus ante judicium illud, hoc Burgravius judicat, & nullus alter.

3. Struprum, obsidia, irruentiam, domiciliorum Burgravius seu Castellanus judicat, & nullus alter.

4. Si vero Castellanus seu Burgravius præsens esse non poterit, & excessus eveniat, seu injuria aut violentia, ubi manuale factum appareat, extunc cives eligunt unum iudicem loco Castellani.

5. Quando Castellanus surgit ex loco seu scamno iudicii, & resignat iudicium, Scultetus tandem sequitur iudicium à proximo die post quatuordecim noctes.

ARTICVLVS XLVI.

De pœnæ seu mulcta Burgravii & Sculteti.

1. Pœna seu mulcta Castellani aut Burggravii sunt tria talenta; Scultetivero, octo solidi.

2. Castellani aut Burgravii *a* pœna, & item recompensa seu verigeldus acquisiti, in iudicio banito solvi debent per sex hebdomadas.

a al. pœna ad sex septimanas solvi debet, emenda post pœnam ad viginti quatuor dies, recompensa vero solvitur in duodecim hebdomadis.

3. Burgravio aut Scultetio scabinus non tenetur aliquam invenire sententiam, extra veros dies iudiciales, nisi factum sit manifestum.

4. Burgravius & Scultetus iudicare possunt omni die pro debito, pro quo absque testimonio agitur: nisi contingat, quod civis hospitem, vel hospes civem impetat pro debito cum testibus, extunc iudicare eos quolibet dierum oportet.

5. Hospes tamen iurare tenetur, quod sit alienigena, & ita remote domicilium habeat, quod una die ad iudicium venire non possit, pro iudicioque exercendo Burgravius seu Scultetus duobus indigebit Scabinis.

6. Cui vero debiti solutio adiudicata sit, hoc exsolvi sibi debet ultra aliam noctem.

ARTICVLVS XLVII.

De Sculteto & ejus judiciis.

b al. in crastino Epiphaniarum.

1. Scultetus etiam tria habet iudicia legalia in anno: unum *b* die quartadecima post Natalis Domini: secundum feria tertia post octavas Paschæ: tertium post octavas Pentecostes. Post huiusmodi vero iudicia legalia continuat semper iudex iudicia sua per quindenam.

2. Quod si dies iudicialis ad diem celebrem vel feriatum evenerit, potest iudicium in sequentem vel tertiam transponere diem.

3. Judicium Sculteti nemo iudicare potest, nisi Scultetus solus aut præco, nec alter quivis.

4. Scultetus si in domo non fuerit, & criminale quid exortum sit, cives statuere possunt unum iudicem ad discutiendum crimen illud manifestum.

5. Scultetus etiam bannum habere debet, necesseque ut cum eo sit infeudatus, ita ut suum verum sit feudum: bannumque huiusmodi tenere & habere debet à domino terræ.

ARTI-

ARTICULUS XLVIII.

De officio Scabinorum.

1. Nullius Scabinorum ultra tres necessariter horas sententias invenire seu pronunciare in judicio bannito tenetur.
2. Nullus etiam judex infeudatus, qui suos attigit annos, tutorem habere poterit in suo judicio, sive ibidem praesens sit, sive non sit.
3. Poterit tamen tutorem habere in sua querela, si eo indiguerit.

ARTICULUS XLIX.

De Tutoribus.

1. Moriatur si vir, relinquens pueros annos non habentes, eorum proximior in generatione similis agnatus, tutor illorum erit, quoad annos attigerint.
2. Si is proximior agnatus eosdem annos non habuerit, nec sufficiens ad tutoriam sit, auxilio sibi esse debet illius proximior agnatus generatione similis, tamdiuque tutor illorum erit, quoad annos attigerint, vel eorum verus ac proximior tutor illos providere poterit.
3. Ex bonis etiam puerorum de anno in annum rationem facere tenebitur, tamdiu quoad verus tutor provisioni intendere valebit, vel illi suos attingant annos.

ARTICULUS L.

De pœnis & emendis originarium.

1. Originarius si pœnam aut emendam demeruit, hæc est triginta solidi, mulcta vero quatuor solidi.
2. Quicquid originarius injuriarum fecerit domino suo, in cujus bonis resident, vel ejus Advocato, pro his respondebit.
3. Moriatur si originarius, domino suo cedit melior equus & quotidiana vestis. Hoc idem etiam fit Archipresbytero, cum Presbyter moritur sub feudo vel jurisdictione.

ARTICULUS LI.

De causis ex consensu remittibus.

1. Si duorum querela in judicio proposita suspensa sit cum judicis & principalis consensu, quodque omisso judiciario strepitu relegetur, vel ad eorum dominos, aut cognitioni amicorum detur, juxtaque consilium amicorum compositum sit negotium, ut per amplius innovari non debeat; si postmodum unus causam innovare velit coram judicio, alter sibi respondere non tenetur, si testes habuerit Judicem & Scabinos, quod hæc actio prius judicialiter erat mota, & de consensu utrorumque ad concordandum accepta.

ARTICULUS LII.

De Transactionibus.

1. Transactio & pax stipulata seu fracta, sit coram judicio facta sit, testificari potest unus Judice & Scabinis. Quod si Scabini mortui sint, testificabitur hominibus fide dignis, qui ejusmodi judicio affuerunt. Quicquid Scabini protestantur & confirmant, hoc est, Judex cum ipsis protestari debet & confirmare.
2. Ubi vero transactio extra judicium facta sit, hoc vir testimonio meteptimus facilius probabit.

ARTICULUS LIII.

De transgressoribus transactionum.

1. Transactio vel stipulatio si facta sit, & eam principalis violet, convictus, ut juris est, per Judicem & Scabinos, pro homicidio collum demeretur.
2. Si vero alter transactionem violet, emendare eum oportet statuto verigeldo, pro vulnere novem talenta, pro homicidio vero decem octo; nisi se, ut juris est, excusaverit.

ARTICULUS LIV.

De bonis per Judicem consignatis, seu arrestatis.

1. Si proprium alicujus consignatum judicialiter sit, quoties extra vel intra vadit ante ingreditur, toties judici mulctam demeretur, nisi consignatio illa judicialiter amota sit.

ARTICULUS LV.

De Donationibus.

IMP. OTTO IV. AUG.

1. Si Judex & Scabini in municipio moriantur, extunc in causa donationis alicujus sedes Scabinalis, sine celsitas urgeat, suppleri & locari debet ad maximum duobus Scabinis & quatuor viris ad judicium pertinentibus, &, ut nic, ille suum obtinebit donationem.

ARTICULUS LVI.

De Donationibus judicialiter factis.

1. Donatum sive absessum si quid sit, coram judicio bannito, viro vel mulieri, to eo mulier cum sua parte sive dono accepto, pro suo arbitrio facere potest sine cujusvis contradictione.
2. Hoc idem etiam vir facere poterit, cum parte sui doni, quod acceptavit, quicquid voluerit.

ARTICULUS LVII.

De dotalitio & vitæ provisione mulierum.

1. Mulier jure municipali non potest dotalitium nec vitæ provisionem in bonis mariti reformatam loco proprij obtinere; sed si moritur illa, cedit ad proximiores & heredes mariti.
2. Quanto autem maritus nihil dederit mulieri in bonis suis, in possessione bonorum sui mariti permanebit mulier, puerique sibi necessaria minutrabunt, donec alium superduxerit virum.
3. Si vir ovesh abuerit, illas mulier ad supellectilem recipiet.
4. Quod si dotalitium mulier infringere velit in mobilibus, quæ sibi data sunt coram judicio, illud obtinebit cum viris & mulieribus, qui tunc præsentes fuerunt metseptima.
5. Si vir pueros habeat aut mulier, & ex his nonnulli emancipati sint, moriatur vir, pueri qui in hereditate patris tempore mortis fuerint, recipiunt bona, & non hi qui emancipati sunt: hereditatem tamen vendere non possunt absque coheredum consensu.
6. Pueri, qui in hereditate mortui sunt, vel sic, pueri qui in potestate patris mortis tempore fuerint, si ex his unus moritur, illius partem dividunt inter se æqualiter, tam emancipati, quam hi qui domi manent.
7. In possessione etiam domus si maneat filius, qui clericus vel presbyter sit, paraphernam seu geradam tollit, si virgo non supersit. Si vero & puella ibidem fuerit, paraphernam per æquum inter se dividunt.

ARTICULUS LVIII.

De successione hereditatis.

1. Moriatur si mulier absque herede, ita quod nullum heredem à marito susceperit, illa hereditat sortem suam ad proximiores agnatos, sive sint masculi, sive fœmellæ, & hoc si similes generatione sibi fuerint, hoc itidem facit vir cum sorte sua.
2. Ad hereditatem itaque pertinet omne aurum & argentum non formatum, pecunia item, frumenta, panis, cerevisia, vinum, pannus, carnes, quæ post tricesimum supersunt; & hæc omnia ad heredes viri pertinent, & non mulieris.
3. Sed domesticorum cibariorum mulier accipit medium, & heredes mariti aliam medietatem.
4. Uxoris proximiores cognatæ geradam tollunt.

ARTICULUS LIX.

De hereditate relicta nullo herede extante.

1. Si hereditas relinquatur vacua, hoc est, non extante herede, & ad quam se nullus trahit in anno & die, illa ad Regalem pertinet Majestatem.

ARTICULUS LX.

De dono pueris per patrem facto.

1. Si vir in municipio pueris suis in judicio bannito coram Judice & Scabinis, aut suæ uxori ad vitam cum consensu heredem bona dederit, paxque desuper decreta sit; posthac vero in eisdem bonis alicui dare quid velleat; is, cui prima donatio facta sit, prohibere jure poterit, si illud, ut juris est, probare valeat.

ARTICULUS LXI.

De dono in bonis censualibus.

1. In municipio si quis pueris suis aut uxori, ædificia super bonis censualibus dederit, coram domino villæ seu curiæ, vel coram vicinis. Post mortem vero suam quis ædificia illa alloqui, vel imperare vellet; mulier obtinet ædificia hujusmodi, si probaverit, ut dictum est, sibi esse donata. Cum vero utrumque, tam fundus, quam ædificia, proprium viri sit, alloqui seu vendicare suus generatione æqualis agnatus jure potest.
2. Nulli enim proprium in municipio alienare licet, nisi in judicio coram Judice cum heredum consensu. Si vero bona hereditario censualia fuerint, & mulieri non sint infeudata, extunc dare sibi minime poterit, nisi id faciat cum consensu domini, à quo bona illa susceperat.
3. Habet vero si quis mobilia seu merces, quas ex bonis illis, quæ admortua sibi sunt, vel ex venditione cesserunt, comparaverit emeritque; hæc suæ uxori minime dare potest, nisi in judicio bannito coram Judice & Scabinis.
4. Si vero bona hujusmodi mobilia aut merces labore proprio acquisita habet, illa tempore perfectæ sanitatis, cuicumque voluerit, dare potest, sine cujusvis contradictione.

ARTI-

ARTICULUS LXII.

De bonis censualibus ab Ecclesia possessis.

1. Si homo habuerit bona censualia ab Ecclesia, monasterio, aut alio domino. Et Abbas, monasterium, aut dominus non fateatur sibi esse concessa; huic vir meteptimus cum suis similibus protestari poterit, illud esse suum prædium censuale: Quod si Dominus aut Abbas horum testimonio stare noluerit, aut etiam illis bona, quæ in censum habere dicunt, negare voluerit, extunc quivis eorum meteptimus bona obtinebit.

ARTICULUS LXIII.

De pueris emancipatis.

1. Moriatur vir in municipio, qui pueros habeat emancipatos à bonis suis, & unum relinquat non emancipatum, filium vel filiam in bonis post mortem; iste vel etiam si plures sint alii, ædificia sua cum consensu matris divendere poterint, sine contradictione puerorum, qui emancipati sunt.

ARTICULUS LXIV.

De possessione bonorum mobilium seu mercium.

1. Possideat si quis merces, aut bona mobilia, in municipio ex parte judicij, & pronunciet illa, ut juris est, tribus judiciis, quartoque judicio per veram sententiam desuper acquirit dominium & proprietatem, reposueritque ac solverit signum decreti dominij, seu memoriale coram judice & scabinis, paxque sibi denunciata sit à judicio: posthac vero alter venerit bona sua providere vel evincere; primus iste propior est desuper possessionem retinere cum Judice & Scabinis, quam ille recuperare, ex quo ex possessione cesserat.

ARTICULUS LXV.

De dono in lecto ægritudinis.

1. Nemo masculus neque ulla fœmina, possunt in lecto ægritudinis de bonis suis alicui quicquam dare, ultra tres solidos, absque heredum consensu.
2. Nec mulier quicquam dare potest sine consensu mariti.

ARTICULUS LXVI.

Quod nullus in extraneo judicio judicialiter impeti debet.

1. Si peregrinatum aut mercatum quis ierit extra provinciam aut extra limites, & impetitur ab aliquo pro debito; hoc cum injuria fit, nec ille jure id facere potest.
2. Verum jus suum coram judice competenti quærere cum oportet.

ARTICULUS LXVII.

De fidejussoria, occasione debiti.

1. Queruletur unus super alterum pro debito, quod pro suo patre promittendo teneatur, id probare & declarare cum testibus, ut juris est, eum oportet: si vero ille negaverit, absolvitur cum sua innocentia.
2. Queruletur autem cum testibus, ille vero dicat debitum esse persolutum, meteptimus post mortuam manum probare tenebitur, & si negotium ita & in eum punctum venerit, ille jure suo perfectus erit.

ARTICULUS LXVIII.

De querela hospitis contra hospitem pro debito.

1. Queruletur si hospes contra alium coram judicio pro debito, ille liberabitur ab eo, ut juris est, nisi apporter testimonium contra eum.

ARTICULUS LXIX.

De querela occasione bonorum hereditariorum.

1. Conqueratur si quis super alium in municipio pro bonis hereditariis, quod bona illa sua vera hereditas sit, ex parente ad eum devoluta, quodque ille bona hujusmodi cum injuria sibi detinet & usurpat. Is vero, contra quem querela proposita sit, comparet, & dicat justo esse suum prædium censuale, habereque defensorem bonorum illorum, quæ & possedit anno & die sine contradictione & justa allocutione; ipsum oportet suum nominare evictorem, eundemque statuere ad judicium determinatum proximum; &, ut sic obtinebit bona illa censualia possessa, si, ut juris est, per evictorem id probaverit. Sed si in evictore defectum patiatur, actor conservat suam proprietatem in eisdem bonis, ut juris est.
2. Quivis enim homo suam innatam hereditatem facilius conservat, quam alter emptam aut obligatam, aut prædium censuale conservare posset, cum & impossibile est aliquem naturali defraudari portione.

ARTICULUS LXX.

De actione vulnerum clamore protestatorum.

1. Homo si vulneratus fuerit, clamoremque exciret; & si hunc cepent, qui eum vulneravit, judi-

cioq; præsentet, adfinteq; illi qui clamorem audierint ad testificādum, propior erit metseptimus convincere eundem, quam ille sese expurgare valeat. Si vulnus profunditatem unguis, longitudinemq; articuli seu membri habuerit, manum solvet, pro homicidio vero collum, nisi se, ut juris est, excuset.

ARTICULUS LXXI.

De guerra nocturna, quomodo unus super facto accusatus evadere debet.

1. Contingat criminale nefas nocte vel de die, & probus, ante hacque jure numquam accusatus homo, super facto imperatur, propior est evadere metseptimus, quam alter eum convincere.

ARTICULUS LXXII.

De querela vulneratorum.

1. Vir si vulneratus fuerit, & eodem die judicium non quæsierit, negotiumque pernoctatum sit, & qui inculpatur tunc comparuit, evadet eum metseptimus.
2. Sed si querimoniam ceperit, & ille non comparet, proscribitur quarto judicio.
3. Vulneratus si quis sit in municipio, negotiumque sit pernoctatum, præfigi seu indici debet terminus ad proximum judicium. Si etiam vulneratus sit, & vulnus non est duellare, denunciandus nihilominus erit ad judicium proximum.

ARTICULUS LXXIII.

Cum quis Scabinum in sede judiciali improperaverit.

1. Quicumq; Scabinū in municipio, in scamno, seu sede judiciali improperaverit seu increpaverit, Scabinus lucratur suam emendam in ipso, hoc est, triginta solidos, & cum hoc Judex suam mulctam.
2. Improperet vero quis Scabinum, postquam sententia definita sit, & consensus aliorum Scabinorum subsecutus, extunc Scabini omnes emendas acquirunt, ac Judex pœnas seu mulctas, & quor emendæ fuerint, totidem pœnæ Judici acquiruntur.
3. Si quid unus coram Judice & Scabinis agere habeat in donando vel resignando, solidum solvet, quem Scabini pro memoriali accipiunt.

ARTICULUS LXXIV.

De reprobatione sententiæ.

1. Qui sententiam Scabini increpare in judicio bannito voluerit, hisce utatur verbis.
2. Domine Judex, sententia, quam Scabinus invenit, injusta est domino meo, & mihi in loco ejus, secundum omne jus, super quo fundati sumus, & id probare volo, ut juris est, trahoque me ad locum, ubi jus nostrum quærere seu reportare justo debemus. Tandem Judicem petat pro nuncio, quem Judex ex medio Scabinorum dare tenetur.
3. Cautionemque Judex, ab utroque accipiat, pro impensis desuper factis, ac aliis ad id necessariis; & qui causa defecerit, expensas solvet.

ARTICULUS LXXV.

De testimonij probatione.

1. Decernatur uni testimonium judicialiter, ille tempus habebit ter quindenas, quamcunque eligere ex his vult ad judicium proximum.

ARTICULUS LXXVI.

De intercessione patris pro filio.

1. Quilibet homo in municipio non inculpatus, nec juris detrimentum passus, filium quem in potestate habet non emancipatum, & qui panem ejus comedit, excipere in judicio potest, pro quolibet crimine capitali tacto sacramento solus.
2. Si autem uterque pater cum filio simul coram judicio inculpati fuerint, extunc oportet prius patrem in his se expurgare.

ARTICULUS LXXVII.

De accusato pro potu.

1. Qui alium accusat pro pecunia contracta, vino, ac alio potagio, evadet eum, ut pro alio debito, ubi nullum dominum aut possessionem protestari poterit.

ARTICULUS LXXVIII.

De mercede famulorum.

1. Famulus liber in municipio, mercedem, quam promeruit, obtinere ad sacra potest, occasione, quinque solidorum. Sed si dominus solutionem debiti probare velit, propior est hoc facere mettertius ad sacra, quam famulus obtinere possit.

ARTICULUS LXXIX.

De mercede famuli.

1. Famulus si mercedem deservitā contra dominum suum judicialiter obtinuerit, pro eo dominus Judici nullam demeretur pœnam: sed famulo mercedem eadem die indilate solvere tenebitur.

ARTI-

ARTICULUS LXXX.

De mercenarij precio.

1. Expellat si dominus mercenarium, ei plenam mercedem præstare tenebitur.
2. Relinquet autem mercenarius importune dominum, in tantum domino, quantum ejus precij constat summa obligatur: & si aliqua pars precij ei persoluta sit, in duplo reddere compellitur.

ARTICULUS LXXXI.

De vulneribus duellaribus.

1. Vulneratus si quis sit in municipio, clamoremque excitaverit, & ad judicium venerit querulando contra præsentem, ac illos qui clamorem suum audierint, habuerit; quot vulnera habet, tot homines incusparе poterit Si autem homines comparuerint, duellum in ipsis acquiret, si vulnera duellaria sint.
2. Quod si plures judicialiter impetierit, vel accusaverit pro adjutorio, quam vulnera habeat; alij omnes evadent jure suo, quilibet mersepтimus.

ARTICULUS LXXXII.

De duello occasione vulnerum.

1. Quando unus duellum per sententiam juris acquirit pro vulnere, cedatque bello vel vincatur, subibit pœnam manus. Si vero pro homicidio sit, in vitam sibi transit.
2. Quomodocunque se vir tuetur duello, eodem etiam modo alloqui debet duellariter.
3. Duellum si promittatur, vel potius decernatur, in municipio pro homicidio, vel pro hujusmodi causa, pro qua hominem in jure suo non suspectum argui non potest, lucrabiturque homo pugilem contra eum, quem allocutus est. Si ille, contra quem duellum transit, ostendere & testificare, ut juris, est, poterit, quod duellator pugil, vel pro pecunia decertans est, duellum per sententiam juridicam recusare poterit.

ARTICULUS LXXXIII.

De duobus mutuo vulneratis.

Imp. Otto IV. Aug.

1. Vulnerent se duo invicem, & uterque ad judicium veniat; ac querelam proponat per æquum, qui primam protestari poterit querimoniam contra adversarium, duellum acquirit, dato quod utriusque vulnera duellaria sint, & hoc si ipsum, ut juris est, alloquatur.

ARTICULUS LXXXIV.

De duobus mutuo vulneratis.

Imp. Otto IV. Aug.

1. Vulnerent se duo æqualiter ac mutuo, & unus ex his ad judicem vadat in domum suam, querimoniamque faciat facti; alter vero veniat ad quatuor bancos se ad sedem judicii Scabinorum, & queruletur præconi, Scabinisque, sillic sunt, ac hominibus judicio pertinentibus, declaraveritque vulnera sua cum clamore, ut juris est, & mittet pro judice ex sententia Scabinorum, ipse primam querimoniam obtinet.

ARTICULUS LXXXV.

De vulneratis mutuo, quorum unus gladio, alter vero cultello vulneretur.

Imp. Otto IV. Aug.

1. Si duo vulneraverint se mutuo, unus gladio & alter cultello, & ad judicium veniant, uterque conformiter, ac in recenti actione duellum comprobatum sit per veram sententiam, pro vulnere ex cultello, judicatur in collum illius. Cultellus etenim furtivam & occultam infert mortem. Ille vero qui gladio vulnus intulit, super manum ipsius judicabitur.

ARTICULUS LXXXVI.

De fidejussoria, occasione vulnerum.

1. Vulneret unus alium, fidejussoriamque statuat cautionem ad proximum judicium se statuendi: eundem si posthac occiderit, in hujusmodi fidejussoria, fidejussoresque statuat pro eadem causa seu inculpatione, propior est evadere mersepтimus de homicidio, quam contra eum quis probare possit.

ARTICULUS LXXXVII.

De stipulata pace occasione vulnerum.

1. Si vero in judicio bannito pro vulnere coram Judice & Scabinis manu pax promissa fuerit, ut prius dictum est, citius contra ipsum probari poterit, quam ille cum testibus evincere se poterit. Deberturque judici ex sententia maxima mulcta, hoc est, medius vergeldus. Si etiam aliquis interfecti agnatus occisum defendere per duellum voluerit, ille repellit omne testimonium, respondereque accusatus tenetur pro suo collo.

ARTICULUS LXXXVIII.

De vulneribus pernoctatis.

1. Vulnerent se duo invicem, ac uterque veniat in judicium, & querulentur: quæstio quæritur, utri transpolita sit ex sententia ad proximum judicium; si unus moriatur in tempore illo, alter venit ad judicium indicendo se judicio, ut dictum est, evadet ad sacra jurando interfectum. Quod si reus in instanti habere non possit, obtinet tres quindenas, & ex his eligat sibi unam quindenam, quamcunque voluerit. Quod si proximior interfecti agnatus velit defendere interfectum duello, abjicit omne testimonium, ut supra dictum est.

ARTICULUS LXXXIX.

De vulneribus lividis seu flaveis, baculo illatis.

1. Si vir fustibus aut baculo percussus sit in dorso, ventre, & verbera illa fuerint flava aut fusca. si desuper judicem pro teste habuerit, & homines judicio pertinentes, qui hoc viderunt & audierunt, propior est duellum acquirere, quam ille eum evadere jure suo possit.

2. Si vero super caput aut brachio percussus à pluribus fuerit, probarique non poterit, citius evadere possunt jure suo, quam quis eos convincere valeat. Si fatentur, quilibet solvet emendam, & judici mulctam.

3. Si verbera mortalia sint, respondere tenentur cum duello, qui pro his judicialiter inculpati fuerint. S vero mortalia non sunt, respondebit cum duello, alij vero evadunt suo juramento.

ARTICULUS XC.

De probatione stupri & violentiarum.

1. Insidias seu obsidia, stupra, domorum irruptiones, judicat Burgravius, & non Sculetus.

2. Si domorum irruptio probari possit, vulneribus, ædificiis sectis, & protestatus est judice, scabinis, ac aliis hominibus, quid audierunt, propior est eum alloqui duellariter, quam ille evadere possit.

ARTICULUS XCI.

De occiso habente plures pueros.

1. Occidatur si unus, quum tres vel plures haberet pueros; postmodum vero accusatus de homicidio, factaque sibi varenda, se, ut juris est, expurget à crimine objecto; ab aliis pueris nullam posthac patietur gravitatem.

ARTICULUS XCII.

De bonis alteri ablatis.

1. Bona si alicui ablata sint in municipio, & delata seu apportata in domum seu possessionem alterius inscio illo, & qui anrehac inculpatus non sit; postea vero furtum illud inquiritur cum voluntate ejus, ex parte judicij, inventurque furtum, ut sic, ablatum in possessione vel domo ejus, hospes ille indemnus manebit, si jurare ad sacra audeat, quod de facto nescivit. Quod si furtum inveniatur in conclavi suo, & occlusa habitatione, ille habendus est pro fure, nisi furtum adeo sit pavum, quod fenestra projici possit. Inveniatur vero in cellario vel camera, excusabit se hospes, ut prius dictum est.

2. Si vero sit antehac suspectus, non potent se juramento excusare, nisi ferrum ignitum portet, vel duellariter se defendat.

ARTICULUS CXIII.

De debito jure acquisito.

1. Quicunque alium coram judice pro debito impulsaverit, & debitum illud coacto jure consecutus sit, oportet eodem die solvere, Judexque in eo mulctam acquirit.

2. Si querimonia sit pro debito, de quo fatetur, ad quindenam solvere tenebitur. Quod si statuto tempore non exsolverit, Judex in eo mulctam obtinet, nihilominus solutionem demandabit ad octo dies, deinde ad tres dies, deinde ad duos dies, tandem ad crastinum. Quoties vero mandatum debitor neglexerit adimplere, toties mulctam Judex in eo acquirit. Si autem judici mulctam, & creditori debitum solvere contemserit, possessio ejus confiscetur vel consignetur; per idque compellitur, quod debitum creditori & mulctam judici solvat. Si autem possessione careat, banno compellitur, potestque comprehendi, ubicumque præveniatur pro debito & mulcta. Quicunque vero eum ultra id tenuerit, pœnam judici demeretur.

ARTICULUS XCIV.

Mulier filium intercedere non potest.

1. Nulla mulier intercedere filium potest, aut eum excipere in judicio, pro debito aut excessu.

ARTICULUS XCV.

De dotalitio mulieris invadiando.

1. Quando vir uxori dotalitium dat, & proprium seu hereditatem in pignus sibi ponit in municipio; moriatur vir, mulier pignus illud invadiare poterit, quandocumque voluerit in summa sua.

ARTI-

ARTICULUS XCVI.

De muliere impregnata.

1. Mulier prægnans, seu quæ puerum in utero gestat, propelli seu alienari non debet à bonis viri post mortem ejusdem, antequam enixa prolem fuerit. Nec judicari contra eam poterit, nisi ad cutem & crines.

ARTICULUS XCVII.

De juramento judicialiter facto.

1. Si vir juramentum coram judicio præstare debeat, licite & sine pœna supra apponere & deponere poterit absque licentia Judicis, & per id nihil amittit, nec Judici quicquam dare cogitur.

ARTICULUS XCVIII.

De mulcta ratione juramenti solvenda.

1. Juramenti denarium, hoc est, Judicis mulctam ex juramento provenientem nullus dare tenetur, si juramentum cum Judicis consensu dimissum sit.
2. Juramentum etiam fieri debet secundum quod querelatum sit, si ille in jure suo perfectus esse vult.

ARTICULUS XCIX.

De arrestatione & arendatione equi.

1. Vendat si unus equum alteri, ubi & guarendam promiserit, guarendare in eo tenetur, quod non sit statuarius, ita quod à loco tempore se offerente ire, & transire nollet. Item quod apparens videre non sit cæcus. Item quod non sit arrestatus aut subtractus, sed sit liber. Item quod non sit asthmaticus, nec nauseaticus seu rheumaticus.

ARTICULUS C.

De autoritate Consulatus in accusando.

1. Consules ex parte civitatis inculpare unum non possunt pro debito seu excessu, nisi illud coram eis in Consulatu agatur in loco, ubi præsident.
2. Quem autem inculpaverint, defendere se jure suo poterit.

ARTICULUS CI.

Magdeburgenses ad extraneum jus trahi non debent.

1. Quousque & quamdiu cives Magdeburgenses veram actionem aut responsivam tenuerint, & se coram Episcopo & Burgravio justificare exhibuerint, tamdiu nemo eos extra civitatem ad extraneum jus trahere potest.

ARTICULUS CII.

De pœna Scabinorum, si sententiam, pecunia corrupti, pro voto alicui decernant.

1. Scabinus si pecuniam accipiat ab uno, & sibi pro eo sententiam singillatim pronunciat sine consensu & scientia aliorum consodalium suorum; sententia illa nullius vigoris erit, & si convictus sit, socii ejus eum à sede alienare possunt scabinali, ita quod peramplius scabinus non erit.

ARTICULUS CIII.

De probatione debitorum post mortuam manum.

1. Quilibet persoluta debita declarare debet ad sacra post manum mortuam mersepimus.
2. Accuset si quis alium pro pecunia causam debiti, & pro quo sibi id tenetur, coram Judice nominare eum oportet. Si debitum sit ex alia vel ludo contractum, respondere sibi non tenetur, nec Judex pro eo judicare.

ARTICULUS CIV.

De Aleæ ludo

1. Nullus hospitum puerum aut servum alicujus hominis supportare, nec eidem subvenire, nec intercedere eundem in ludo debet: nec pignorari ad majus poterit, nisi in eo quod circa se habuerit, & si aufugerit, liberatur.

ARTICULUS CV.

De solido in judicio solvi consueto.

1. Quando unus alteri in judicio sub banno Regio, in debito hereditatem locat, is, qui eam accepit, judicio unum solidum solvit pro memoriali, & in signum pacis.

ARTICULUS CVI.

De testimonio occasione hereditatis.

1. Testimonium producere postquam unus vult, super proprio alicujus, mersepimum vel mersepium id facere eum oportet, cum hominibus possessionatis, ad illud judicium pertinentibus.

ARTICULUS CVII.

De testimonio debitorum.

1. Si persoluta debita testificari debeant, super proprio alicujus, id facere tenentur homines possessionati, si coram judicio debitum illud contractum non sit.

ARTICULUS CVIII.

De probatione solutionis debitorum.

1. Persoluta debita si unus probare intendit pure & simpliciter, ad id accersiri poterunt omnes homines, qui in jure suo non redarguuntur.

ARTICULUS CIX.

De testimonio occasione falsi.

1. Manum alterius si unus testimonio lucrari vellet, occasione falsi, id facere cogitur mettertius cum hominibus fide dignis.

ARTICULUS CX.

De testimonio occasione vulnerum.

1. Si unus cum testibus agere vellet, pro vulneribus in manuali facto, istud facere oportet metseptimum, secundum formam juris civilis.

ARTICULUS CXI.

De testimonio occasione injuriarum.

1. Testimonium omne occasione injuriarum, in causa, quæ cum clamore ad judicium delata est, ubi ad vitam vel santatem cedit, fieri debet cum septem testibus.

ARTICULUS CXII.

De querelis occasione prædæ vel furti.

1. Accusatus si quis sit pro furto aut spolio, ubi vel in quo manuale factum probare possit.
2. Conqueratur unus contra aliquem, quod rem ex spolio vel præda possideat, manifestumque appareat spolium, si ad id Judex cum violentiarum clamore citatus fuerit, persequi eundem Judex in continenti tenetur, & actori super facto aut præda, & similiter prædonem ac injuriæ complices judicare. posthac vero debet actori super illa re dare possessionem, si accusatus se jure excusare non poterit.
3. Si vero quis judicialiter accusetur in sui præsentia, & à judicio aufugerit, est in querela superatus.

ARTICULUS CXIII.

Quo pacto unus à proscriptione sese liberare debeat.

1. A proscriptione qui se exuere vel liberare voluerit, Judex, si requisitus fuerit, eidem pacem in municipio ad comparendum pronunciare debet, ut tuto judicio comparere possit. postquam vero juramento se expurgaverit, Judex cum verbis & digitis eundem absolvet, quemadmodum cum proscriptioni incluserat. Conetur autem cum quis indebite impedire, & ipse sese jurejurando à proscriptione liberaverit, ulterius proscriptus non est reputandus, verum pax sibi judicetur, & ipse fidejussores ponat, ut in tribus sequentibus judiciis se præbeat responsurum, si quis eundem impetere vellet. si vero in his tribus terminis eum nemo inculpaverit, ab actione sententialiter absolvetur.
2. Exuat autem quis se à proscriptione in absentia actoris; ille vero promittat ac fidejussores staruat ad comparendum, & non comparet; illam procrastinationem seu pœnam ex stipulatione provenientem Judex lucrabitur & non actor, dummodo eundem secundario proseribat, sicut de jure facere tenetur.

ARTICULUS CXIV.

In facto manuali cum quis comprehenditur.

1. Captus in manuali facto cum furto aut spolio, harum rerum nullum nominare poterit varendatorem, nec se ad eundem trahere, & hoc si instanti duelliariter allocutus sit.

ARTICULUS CXV.

De facto manuali.

1. Manuale factum tunc dicitur, quando vir apprehenditur in fuga facti.
2. Item manuale factum dicitur, quando quis furtum vel spolium in sua habuerit possessione, ubi solus clavem ad habitationem vel cistam portat: nisi forsan res adeo sit parva, quod fenestra ibidem projici possit.
3. Manuale etiam factum est, cum gladius, sica, aut aliud simile in manibus unius deprehenditur, cum quibus pacem fregerit, & detentus cum clamore ad judicium ducatur. Illudque actor metseptimus probare tenebitur.

ARTICULUS CXVI.

De pœna illius qui varendum promisit, varendare tamen non potest.

1. Qui in judicium venerit, & causam hujusmodi proponat, pro qua varendam promittere cogitur,

tur, eandemque cum præstiterit, alter postmodum superveniens, caussam eandem in judicio proponat, & is qui varendam promiserat eum varendare seu defendere non poterit, nec istum ab actione propellere valet, actionem suam liberare oportet cum varendæ emenda, hoc est, dextra ejus, cum qua varendam promisit, vel medio verigeldo.

2. Promittatur vero varenda pro armis bellicis, hereditate, rebus expeditoriis, seu paraphernæ, vel aliis bonis mobilibus; in varendaque defecerit, hoc est, quia sibi per sententiam iustringitur, promissor Judici dabit mulctam, res vero hujusmodi cum emenda dimittere cogitur.

3. Varendam necessario unus præstare debet in caussa homicidii, mutilationis, vulnerum pro suis agnatis & propinquis.

ARTICULUS CXVII.

De fidejussoria pro aliquo præstita.

1. Fideiussor si quis existat pro uno eundem sistendi in judicio, illumque habere non potest, ut illum constituat, emendare eum oportet secundum quod inculpatus fuit, si in querela victus sit. Si vero querela extendat se ad vitam, verigeldum præstare cogitur, qui ad actorem & non Judicem dignoscitur pertinere, sed Judex in eo mulctam obtinebit.

ARTICULUS CXVIII.

De fideiussoria occasione injuriarum.

1. Fidejusserit si quis alium judicio præsentare; si is, qui præsentari debuerat, se sine stipulatore præsentabit, denunciaverit que juri ac protestatus sit, suum liberabit fidejussorem.

2. Qui vero hominem captivum fidejubet, vice versa statuendi vel respondendi, fidejussor istud exequi tenetur, pro tempore statuto, & non captivus.

3. Si quis accusatum pro injuriis in judicio, violenter exinde abduxerit, comprehensus simili pœna plectetur, si aufugerit, illico proscribendus est; & hoc, si in facto cum violentiæ clamore insecutus fuerit.

ARTICULUS CXIX.

De fidejussoria facta ubi interim principalis moritur.

1. Fidejubeat unus aliquem, pro injuria accusatum, tempore determinato, judicio præsentare, & is quem præsentare debeat, interim moriatur, stipulator si defunctum præsentaverit, liberatur.

2. Quod si pro debito accusatus fuit, debitumque illud nondum persueratum erat; interimque moritur principalis, præsentare eum judicio non oportet, sed si mortem ejus mertertius probabit, liberabitur à fidejussoria: heredes tamen mortui pro debito respodebunt.

3. Si moritur equus vel aliud pecus, quod statui debuit, fidejussor que apportabit cutim illius, absolvitur per id.

ARTICULUS CXX.

De volatilibus.

1. Columbæ, cortu, picæ, pavones, & aliæ aves, quæ non sunt unguibus stringentes, si in campum evolant, in commune veniunt, secus est de avibus unguibus stringentibus.

ARTICULUS CXXI.

De apibus.

1. Agmen apum, si ex alveario unius, aut ex domo vel curia evolaverit ad vicinum suum; vicinus majori jure apes retinebit, quam ille insequi debeat.

2. Apis etenim non est vermis domesticus, sed feræ naturæ.

ARTICULUS CXXII.

De gallis.

1. Galli si evolant in domum alterius, & damna faciant, capere illos poterit, & alas abscindere, domumque transmittere illius, cujus erant.

ARTICULUS CXXIII.

De animalibus feris & nocivis.

1. Qui verrem tenuerit, canem, lupum, ursum, cervum, aut suniam, quicquid damni fecerint, resarcire tenetur, qui illa servat. Quod si post damnum illatum eis renunciare voluerit, animalia hujusmodi excludendo, aut eis victualia denegando, indemnis esse non potest, si is, qui damnum accepit, comprobare mertertius poterit, quod ille animalia hujusmodi usque in diem allati damni tenebat.

2. Interficiat si quis eadem, ursum vel aliud simile animal, sibi nocere volens, manet indemnis, si juramento probare audet, quod caussa necessitatis id fecerit.

3. Qui bestias, quarum natura fera est, tenere voluerit, eas intra sua septa, aut occlusas servare debet possessiones.

ARTICULUS CXXIV.

De fornacibus & caminis.

1. Quilibet providere fornacem & caminum debet, ne scintillæ in alterius curiam evolent.

2. Fornaces, cloacæ & stabula porcorum, tribus pedibus à sepe constitui debent.

ARTI-

ARTICULUS CXXV.

De fabris & eorum officina.

1. Emat sibi faber domum in civitate, illic ædificare potest constatorium seu officinam pro suo officio suo, aut aliud quicquid voluerit: providere tamen debet, ne damnum exinde aliquod eveniat.
2. Nullus faber construere potest in platea angarium seu equicinium, hoc est, officinam, ubi equi sufferrantur, si antehac ibi nulla erat, sine civium consensu.

ARTICULUS CXXVI.

De stillicidiis & aliis urbanorum servitutibus.

1. Nulli stillicidium in curiam alterius immittere licet.
2. Unusquisque etiam partem curiæ suæ sepire debet, alioquin damna per hoc vicino suo illata resarcire tenetur.
3. Si vero ipsi soli damnum eveniat, vicinum solvere non oportet.
4. Cloacæ præterea, versus curiam vicini constructæ, provideantur & muniantur.

ARTICULUS CXXVII.

De limitibus & graniciebus.

1. Qui arbores aut lapides finium regundorum, id est, distinguendorum finitum, ponere velit, vicinum, qui ex altera parte fundum habet, ad id vocare debet.
2. Qui curiam virgis sepit, versus fundum suum arbusta debet vertere virgarum.

ARTICULUS CXXVIII.

De humulo & ramis arborum.

1. Transcrescat si humulus sepem, qui radices habet infra sepem, vel cujus fundo radices fixerit, quantum de humulo attrahere potest per sepem, humulum tollet; quod vero extra manet, vicini est.
2. Rami arborum sepem non transcendant in damnum vicini.
3. Cloacæ præterea versus vicini curiam extructæ, usque ad terram muniantur.

ARTICULUS CXXIX.

De verigeldo & emendis.

1. Percutiat si quis hominem infamem, hoc est, lusorem vel pugilem, aut mulierem publicam absque vulnere, accusatus coram judice, & recognoscat, demerebitur Judici mulctam, & patri medium emendæ, hoc est, quindecim solidos.
2. Sub banno Regio mulctæ præstantur tres libræ, Scultero vero octo solidi.

ARTICULUS CXXX.

De verigeldo ubi solvi debeat.

1. Verigeldum nemo solvere debet, nisi coram Judice & Scabinis, quos testes habebit, si necesse fuerit.

ARTICULUS CXXXI.

De viarum & semitum latitudine.

1. Via publica habere debet de jure latitudinis octo pedes; semita vero tres pedes.

ARTICULUS CXXXII.

De arrestatione equi.

1. Arrestet si quis equum, & ille se ad suum trahat evictorem; ille, qui equum arrestavit, istum insequi cogitur, per tantam distantiam, prout sibi designaverit; jurare tamen cogitur ad sacra, quod ad verum varendatorem eundem trahat, & item fidejussores statuat pro omnibus impensis.

ARTICULUS CXXXIII.

Pro quibus rebus se ad varendatorem unus trahere non cogitur.

1. Aurum, argentum non formatum, cum his nullus cogitur se ad evictorem trahere, dummodo is, apud quem aurum vel argentum vindicatur vel alloquatur, præsumitur esse tantarum facultatum, quod illud emere vel exsolvere prævaluerit.

ARTICULUS CXXXIV.

Pecunia & merces citius obtinentur, quam quod evincantur.

1. Quilibet pecuniam suam obtinere potest, & justas merces, mercertius.

ARTICULUS CXXXV.

De vindicatione rei furtivæ.

1. Alloquatur si vir bona aliqua, sive sint panni, sive aliæ res hunc similes, quæ sibi subtractæ vel præda ablatæ sint, ad id se unica trahere debet manu, & jurare ad sacra, quod res hujusmodi sua fuit; & nunc adhuc est, sibique furto vel præda ablata fuerat.

2. Si au-

2. Si autem equus fuerit, quem alloquitur, ad eum se trahat, ut juris est, debetque cum dextro pede super sinistrum equi pedem calcare, & manu sinistra apprehendere equi auriculam, offerendo probationem, ac jurabit super caput equi, quod equus suus fuit, & adhuc est, sibique fur to ablatus vel præda acceptus sit. Postea ille ad suum se trahet evictorem, & iste eum insequi cogitur, non autem ultra mare magnum. Si vero dicat equum emisse in foro libero, varendatoremque habere non potest, equum perdit, & cum hoc judici mulctam solvit.

ARTICULUS CXXXVI.

Ab inchoatione causæ, nullus solvere judici aliquid tenetur.

1. Pro inchoatione causæ, a nullus quicquam solvere debet Judici & Scabinis.

a. al. à vero dicatione seu arrestatione rei.

ARTICULUS CXXXVII.

Ubi contra Judæum querulari oportet.

1. Judæum Christianus accusare non potest, nisi coram Judice suo competenti.
2. Judæus si promittat jus seu juramentum alicui, id in congregatione seu schola eorum facere eum oportet.

ARTICULUS CXXXVIII.

De Judæis an varendare quem possint.

1. Trahat se unus in emptione rei ad Judæum, eundem pro evictore expetendo, Judæus illum varendare non potest, nisi in quantum jus immutet suum, hoc est, nisi ut Christianus respondere velleit.
2. Agat Christianus contra Judæum pro debito cum testibus, eum convincere mettertius debet, cum Judæo & Christiano.
3. Judæi etiam convincunt Christianum, Judæo & Christiano.

ARTICULUS CXXXIX.

De juramento Judæorum.

1. Judæi juramentum facere debent, secundum aliquos modos infra scriptos: Prout mihi N. culpam dat, quod sibi injuriatus sim, hujusmodi accusationis innocens sum, ita me Deus adjuvet, qui cœlum, terram, gramina, & omnes res creavit, meamque Judaicam legem statuit, &, ut sic, proficiat in jure suo.
2. Alii vero in juramentis Judæorum observant modum, qui sequitur, & dicunt, quod juramentum Judæi facere debent ante synagogam, tenendo catenam, qua synagogæ ostium attrahitur ad occludendum, & quod nudipes stet, pronunciaturque sibi juramentum hisce verbis: Prout tibi culpam N. dat, quod tu innocens facti es, sic te Deus adjuvet, & si injuste juras, quod te Deus confundat, qui cœlum & terram creavit, aerem & gramina, & si injustus es, quod te Deus perdat, qui in archa octo homines tempore diluvii enutrivit, quod si falsus in juramento sis, ut te Deus perdat, qui civitates quinque, Sodomam, Gomorram, &c. igne infernali combussit, quodque te Deus confundat, qui eum Moyse ex rubo igneo locutus est. Et si injustus sis, quod te Deus perdat, qui Moysi legem tradidit, ac digitis propriis in tabulis lapideis eandem conscripsit. Et si injuste juras, quod te Deus perdat, qui Pharaonem in mari rubro contrivit, & Judæos libere ad terram fluentem melle & lacte transduxit. Et si injuste juramentum profers, quod te Deus confundat, qui Judæos XL. annis in deserto manna pavit, quodque Deus te perdat, ad infernumque transmittat cum corpore & anima. Juramentum istud Judæus facere debet super libro Moysi. Judæus etiam extra synogogam exire non debet sine mitra Judaica.

Conclusio Privilegii.

Jus istud & constitutiones præsentes, Nos Cæsar Otto civibus nostris & incolis Magdeburgi, cum consensu Principum & seniorum provinciæ dedimus, & de voluntate eorundem civium pro plebiscito seu jure municipali una cum omnibus juribus, quæ à Constantino & Carolo, Divis Imperatoribus, sancita habent. Tum & omnes eorum bonas consuetudines, dummodo fidei Christianæ non contraveniant, eisdem confirmamus. In robur & majus testimonium ac perpetuæ rei firmitatem præsens privilegium communivimus cum aureo sigillo, appensoque secreto nostro. Datum in Anno Domini, noningentesimo quadragesimo octavo, Imperii nostri anno tertio, Dominica Pentecostes, in præsentia Principum Imperii (Electorum,) qui sigilla itidem sua appensa ad id applicuerunt, de voluntate etiam, assensu, & autoritate Sanctissimi Patris Papæ Benedicti.

JUS

ARTICULUS CXXV.

De fabris & eorum officina.

1. Emat sibi faber domum in civitate, illic ædificare potest constatorium seu officinam pro ministicio suo, aut aliud quicquid voluerit: providere tamen debet, ne damnum exinde aliquod eveniat.
2. Nullus faber construere potest in platea angarium seu equicinium, hoc est, officinam, ubi equi sufferrantur, si antehac ibi nulla erat, sine civium consensu.

ARTICULUS CXXVI.

De stillicidiis & aliis urbanorum servitutibus.

1. Nulli stillicidium in curiam alterius immittere licet.
2. Unusquisque etiam partem curiæ suæ sepire debet, alioquin damna per hoc vicino suo illata resarcire tenetur.
3. Si vero ipsi soli damnum eveniat, vicinum solvere non oportet.
4. Cloacæ præterea, versus curiam vicini constructæ, provideantur & muniantur.

ARTICULUS CXXVII.

De limitibus & graniciebus.

1. Qui arbores aut lapides finium regundorum, id est, distinguendorum limitum, ponere velit, vicinum, qui ex altera parte fundum habet, ad id vocare debet.
2. Qui curiam virgis sepit, versus fundum suum arbusta debet vertere virgarum.

ARTICULUS CXXVIII.

De humulo & ramis arborum.

1. Transcrescat si humulus sepem, qui radices habet infra sepem, vel cujus fundo radices fixerit, quantum de humulo attrahere potest per sepem, humulum tollet; quod vero extra manet, vicini est.
2. Rami arborum sepem non transcendant in damnum vicini.
3. Cloacæ præterea versus vicini curiam extructæ, usque ad terram muniantur.

ARTICULUS CXXIX.

De verigeldo & emendis.

1. Percutiat si quis hominem infamem, hoc est, luforem vel pugilem, aut mulierem publicam absque vulnere, accusatus coram judice, & recognoscat, demerebitur Judici mulctam, & patri, medium emendæ, hoc est, quindecim solidos.
2. Sub banno Regio mulctæ præstantur tres libræ, Scultero vero octo solidi.

ARTICULUS CXXX.

De verigeldo ubi solvi debeat.

1. Verigeldum nemo solvere debet, nisi coram Judice & Scabinis, quos testes habebit, si necesse fuerit.

ARTICULUS CXXXI.

De viarum & semitum latitudine.

1. Via publica habere debet de jure latitudinis octo pedes; semita vero tres pedes.

ARTICULUS CXXXII.

De arrestatione equi.

1. Arrestet si quis equum, & ille se ad suum trahat evictorem; ille, qui equum arrestavit, istum insequi cogitur, per tantam distantiam, prout sibi designavent; jurare tamen cogitur ad sacra, quod ad verum varendatorem eundem trahat, & item fidejussores staruat pro omnibus impensis.

ARTICULUS CXXXIII.

Pro quibus rebus se ad varendatorem unus trahere non cogitur.

1. Aurum, argentum non formatum, cum his nullus cogitur se ad evictorem trahere, dummodo is, apud quem aurum vel argentum vindicatur vel alloquatur, præsumitur esse tantarum facultatum, quod illud emere vel exsolvere prævaluerit.

ARTICULUS CXXXIV.

Pecunia & merces citius obtinentur, quam quod evincantur.

1. Quilibet pecuniam suam obtinere potest, & justas merces, mettertius.

ARTICULUS CXXXV.

De vindicatione rei furtivæ.

1. Alloquatur si vir bona aliqua, sive sint panni, sive aliæ res huic similes, quæ sibi subtractæ vel præda ablatæ sint, ad id se unica trahere debet manu, & jurare ad sacra, quod res hujusmodi sua fuit; & nunc adhuc est, sibique furto vel præda ablata fuerat.

2. Si au-

2. Si autem equus fuerit, quem alloquitur, ad eum se trahit, ut juris est, debetque cum dextro pede super sinistrum equi pedem calcare, & manu sinistra apprehendere equi auriculam, offerendo probationem, se jurabit super caput equi, quod equus suus fuit, & adhuc est, sibique furto ablatus vel praedaceptus sit. Posthaec ille ad suum se trahet evictorem, & iste eum insequi cogitur, non autem ultra mare magnum. Si vero dicat equum emisse in foro libero, varendatoremque habere non potest, equum perdit, & cum hoc judici mulctam solvit.

ARTICULUS CXXXVI.

Ab inchoatione causae, nullus solvere judici aliquid tenetur.

1. Pro inchoatione causae, & nullus quicquam solvere debet Judici & Scabinis.

a. al. à vendicatione seu arrestatione rei.

ARTICULUS CXXXVII.

Ubi contra Judaeum querulari oportet.

1. Judaeum Christianus accusare non potest, nisi coram Judice suo competenti.
2. Judaeus si promittat jus seu juramentum alicui, id in congregatione seu schola eorum facere eum oportet.

ARTICULUS CXXXVIII.

De Judaeis an varendare quem possint.

1. Trahat se unus in emptione rei ad Judaeum, eundem pro evictore experendo, Judaeus illum varendare non potest, nisi in quantum jus immutet suum, hoc est, nisi ut Christianus respondere vellet.
2. Agat Christianus contra Judaeum pro debito cum restibus, eum convincere metet tutus debet, cum Judaeo & Christiano.
3. Judaei enim convincunt Christianum, Judaeo & Christiano.

ARTICULUS CXXXIX.

De juramento Judaeorum.

1. Judaei juramentum facere debent, secundum aliquos modos infra scriptos: Prout mihi N. culpam dat, quod sibi injuriatus sim, hujusmodi accusationis innocens sum, ita me Deus adjuvet, qui caelum, terram, gramina, & omnes res creavit, meamque Judaeam legem statuit, &, ut sic, proficit in jure suo.
2. Alii vero in juramentis Judaeorum observant modum, qui sequitur, & dicunt, quod juramentum Judaei facere debent ante synagogam, tenendo catenam, qua synagogae ostium attrahitur ad occludendum, & quod nudipes stet, pronunciabiturque sibi juramentum hisce verbis: Prout tibi culpam N. dat, quod tu innocens facti es, sic te Deus adjuvet, & si injuste juras, quod te Deus confundat, qui caelum & terram creavit, aerem & gramina, & si injustus es, quod te Deus perdat, qui in archa octo homines tempore diluvii enutrivit, quod si falsus in juramento sis, ut te Deus perdat, qui civitates quinque, Sodomam, Gomorram, &c. igne infernali combussit, quodque te Deus confundat, qui cum Moyse ex rubo igneo locutus est. Et si injustus sis, quod te Deus perdat, qui Moysi legem tradidit, ac digitis propriis in tabulis lapideis eandem conscripsit. Et si injuste juras, quod te Deus perdat, qui Pharaonem in mari rubro contrivit, & Judaeos libere ad terram fluentem melle & lacte transduxit. Et si injuste juramentum profers, quod te Deus confundat, qui Judaeos XL. annis in deserto manna pavit, quodque Deus te perdat, ad infernumque transmittat cum corpore & anima. Juramentum istud Judaeus facere debet super libro Moysi. Judaeus etiam extra synogogam exire non debet sine mitra Judaica.

Conclusio Privilegii.

Jus istud & constitutiones praesentes, Nos Caesar OTTO civibus nostris & incolis Magdeburgi, cum consensu Principum & seniorum provinciae dedimus, & de voluntate eorundem civium pro plebiscito seu jure municipali una cum omnibus juribus, quae à CONSTANTINO & CAROLO, Divis Imperatoribus, sancita habent. Tum & omnes eorum bonas consuetudines, dummodo fidei Christianae non contraveniant, eisdem confirmamus. In robur & majus testimonium ac perpetuae rei firmitatem praesens privilegium communivimus cum aureo sigillo, appensoque secreto nostro. Datum in Anno Domini, nongentesimo quadragesimo octavo, Imperii nostri anno tertio, Dominica Pentecostes, in praesentia Principum Imperii (Electorum,) qui sigilla itidem sua appensa ad id applicuerunt; de voluntate etiam, assensu, & autoritate Sanctissimi Patris Papae Benedicti.

JUS

IVS FEVDALE:

SICVTAPVD SAXONES, BOHEMOS, BRANDENBVRGIOS, HOLSATOS,

sive Danos, Silesios, Borussos, Livones, Polonos, Lituanos, Russos, &c.

adhuc reperitur: & à Saxonibus FRIDERICO I. Imperatori attribuitur: desumptum ex Statutis Regni Poloniæ, impressis Cracoviæ Anno 1505.

Ab ipsis Saxonibus FRIDERICO STOVFFENSI sive BARBAROSSAE adscribitur, tanquam ejus auctori.

CAPITVLVM I.

De Scutis feudalibus.

VOLENS juris feudalis agnoscere veritatem, consideret diligenter, quod scutum bellicum exordium sumit à Rege, & in septimo terminatur. Licet tamen Gutum sextum in septimum additxerunt, ex quo Episcoporum facti sunt vasalli, quod antea non fuit.

CAP. II.

De his, qui carent jure feudali.

1. Clerici, fœminæ, rustici & omnes jure privati & illegitime nati, & qui de stirpe non exeunt militari à patre aut ab avo, hi omnes jus non obtinent feudale. Si quis dominorum alicui existis feudum conferat, ab illo jus obtinet, quod recepit. Seductum feudum in pueros non haredat, & carent sequela in alio domino qui succedit. Possunt autem rejici à testimonio in jure feudali, & ne sententias inveniant in eodem.

2. Omnes autem horum, qui clipeo bellico non utuntur, Dominus à quo sunt infeudati, eorum testimonio & sententias obtinebit, nec uti poterit eorum testimonio aut sententia contra quemlibet.

3. Si mulier intraverit possessionem de jure, aut de domini voluntate post mortem illius, qui feudum ordinaverat ad vitæ provisionem, in eodem residebit ad vitæ terminum, & hanc [illegible] in quemlibet dominum, in quem dictum dominum devoluatur, sed post mortem ipsius non potest ipsam suis pueris hæredare.

CAP. III.

De duobus unum feudum repetentibus & de collatione feudi per electionem.

1. Si duo unum feudum pariter repetant petentes, ut liceret eis suum jus probare per testes, & unus ipsorum scuto bellico non utatur, alter vero in jure feudali sit perfectus, testimonium præcedet, & alterius supprimetur.

2. Qui natus non est ad scutum bellicum, negare non potest, quin bona conferat scuto bellico non utenti, nec potest aliquem suum dominum reprobare, quin feudum sequatur ap ipsum licet dominus scuto bellico careat sicut ipse.

3. Si perfectus in scuto bellico à clerico vel à muliere, vel etiam ab illo qui scuto caret, eodem modo fuerit infeudatus, ipse feudum jam dictum si qui non poterit ad dominum alium, excepto si electus per electionem, vel alius feudum receperit ab Imperatore, & per consequens scutum bellicum tali electi feudum potuerit conferre, & infeudatus feudum sequitur ad alium Dominum.

4. Feudum autem castrense, & Ecclesias & capellas, & omnia feuda, de quibus dominus Imperatori nullo servitio est astrictus, potest conferre, & clericus & mulier, licet scuto careant bellico & hoc feudum poterit investitus sequi in alium Dominum.

CAP. IV.

De officio & fidelitate per feudalem suo domino servandis.

1. Quilibet infeodatus tenetur domino suo fidem servare & facere, & sacramentum præstare, quod

quod ita fidelis sit domino suo. sicut tenetur vasallus esse, donec hoc non fecerit, nullius poterit esse testis in jure feudali. tenetur etiam dominum suum, verbis & factis ubicunque juxta ipsum fuerit honorare & assurgere ei, ac etiam ipsum permittere præcedere tanquam dignior em.

Cap. V.

De obsequio Imperij.

1. De obsequio imperii quod per sex hebdomadas ante processum sub testimonio duorum feudalium fuerit imperatum. Hoc tenetur feudarius adimplere infra terminos Almaniæ Romano imperio subjugatos. Omnes autem versus orientem à fluvio Sala ab imperio infeudati servire tenentur in terram Sclavam, & in Poloniam, & in Bohemiam.
2. Sex hebdomadis tenetur feudarius servire domino suo, in propriis expensis, ante quas sex septimanas, & totidem post, habebit pacem imperii & quietem, que dicitur posita, ita quod nullus dominorum suorum ipsum evocare valeat ad judicium feudale, nec quisquam aliquod judicium Cæsaris imperare.

Cap. VI.

Si Rex pergat Romam, qui secum procedere debeant.

1. Electus Rex à Theutonicis, cum Romam proficiscitur consecrari, sex principes procedere tenentur astricti, hi scilicet qui primi sunt in electione ipsius, Moguntinensis, Treuirensis, Colonensis Archiepiscopi, Palatinus Renensis, dux Saxoniæ, Marchio Brandenburgensis, ad hoc quod justa Regis electio per ipsos domino Apostolico declaretur. Tenetur etiam quilibet de bonis imperii infeudatus cum domino suo. ad consecrationem procedere memoratam, vel viam redimat cum decimo talento, quod de feudo contrahit annuatim. Ista expeditio judici debet per sex hebdomadas & annum & tres dies ante processum, & terminatur Theutonicis Cæsare consecrato.
2. Vasallus etiam tenetur servire domino suo, in hoc quod sibi sententias inveniat in jure feudali, ante meridiem & extra dies festos, & tempus feriatum. Quicquid autem compensum fuerit & inceptum in sententia ante meridiem hoc licet post meridiem terminare, & in tempore feriato, sed non in die solenni.

Cap. VII.

Quomodo non serviat vasallus domino suo.

1. Qui concesserit equum domino suo, aut res alias, vel etiam in servitio domini res perdiderit, qualescunque, & dominus res non solverit memoratas, vasallus non tenebitur domino de jure aliquod servitium exhibere, quo ad jus feudale, donec soluta fuerit universa.
2. Si negaverit justitiam dominus vasallo coram suis hominibus, cum ab ipso fuerit conventus vasallus non tenebitur domino in obsequio feudali, donec justitiam consequatur.
3. Dominus potest duobus solum feudum conferre, uni possessionem & alteri expectationem, quæ dicitur conventio: Si moriatur absque hærede feudali possessor.
4. In expectatione non est successor, si etiam sponte resignet possessionem, & expectatio annullatur, nisi iterum accipiat resignatum & in possessione decedat.

Cap. VIII.

De eo qui habet feudum in possessione.

1. Feudum habens in possessione, cum hominibus domini sui potest testari, quibus constat, quod verum sit feudum ipsius. Infeudatus de futuro, id est, post mortem possessoris, debet suam infeudationem etiam cum hominibus domini sui comprobare, qui præsentes aderant & viderunt & audierunt ipsum taliter infeudari, & hoc quia caret possessione.

Cap. IX.

De feudo futuro, & si spernat infeudus.

1. Pater hæredat in filium tanquam possessionem, & ideo non est necesse filio, quod sibi bona patris denuo assignentur.
2. Qui caret filio, hæredat in dominum possessionem feudi, nisi forte dominus alteri contulerit feudum de futuro, & sic infeudatus ipsum obtineat infra spacium unius anni.
3. Si de futuro conferat dominus feudum uni, ubicunque vacaverit, si parum fuerit aut multum, & postea conferat alteri feudum nominatim in certo loco etiam de futuro, primus infeudatus non potest postremo per jus auferre feudum nominatum.
4. Si moriatur possessor, quia feudum domino non vacavit, nisi forte conventio facta fuerit, quia stepitu fugitivo in lecto languentis possessoris, licet infeudato de futuro suam probare infeudationem de futuro suum jus talis infeudationis coram domino contra illum, qui sibi jus vendicat in feudo prædicto.
5. Licet dominus utrique fatearur ductum feudum contulisse, per confessionem domini homo obtinet feudum absque testibus contra dominum, & non contra parem vicinum.
6. Si quis dominus feudum conferat homini, per hoc ab homine non elongatur possessio, si postea dominus negaverit se feudum contulisse, sed tamen obtinet jus possessorium.

7. Si duo unum feudum repetant, cujus carent possessione, uterque tenetur tempus suæ infeudationis ostendere, & qui prior fuerit tempore, potior erit jure, & tempore probato feudum obtinebit.

8. Quando dominus confert feudum, ubi primo vacaverit post mortem possessoris, nullam aliam faciens exceptionem, sic infeudatus obtinebit feudum primo vacans, utrum sit vacans vel collatum.

9. Oportet vasallum testibus obtinere feudum domino collatum, & non assignatum post collocationem, quia caret possessione de feudo, quod primo vacaverit se intromittat de futuro infeudatus, licet plus fuerit aut minus, donec sibi suum feudum impleatur.

10. Si spernat infeudatus, de futuro feudum quod primo domino vacaverit, & sibi non attrahat infra annum & diem, liber erit dominus ab illo, nisi forte sacramento probaverit, hanc vacationem penitus ignorasse.

Cap. X.

Quod in sola causa feudali non possunt testimonium perhibere, antequam ipsi in feudo fuerint stabiliti & divisi.

1. Si duo solo feudo investiti aliquid de ipso contulerint alteri, neuter absque alio poterit vasallum in feudo condemnare, nec ipsum feudum in præjudicium socii domino resignare, dum ipsum teneant indivisim.

2. Licet autem domino vasallis suis per sententiam præcipere, ut infra sex hebdomadas, taliter de feudo discutiant, ut ipse scire valeat, à quo servitium repetere debet, quod sibi de feudo tenetur; quod si non fecerint, in pœnam incident erga dominum, & abjudicabitur eis feudum, sed dominus causam jure feudali contra hujusmodi prosequatur.

Cap. XI.

De ostensione feudi & qui possit advocare.

1. Qui est homo domini, potest advocare, & sententias invenire in jure feudali, licet feudum à domino non habeat.

2. Reprobare autem sententiam feudator potest, nisi ponat fidejussores ab ipso domino feudatos, quod causam jure debito prosequantur, aut sententiam, sicut jus exigit, mittat procedere irreprobatam.

3. Qui trinas sententias reprobavit, & data fuerit contra eum sententia, quod ipsas non taliter reprobaverit, quod sua sibi reprobatio prodesse possit in jure, amodo nullam potent reprobare, nisi prius satis faciat super indebite reprobatis.

4. Quidam dicunt quod non licet quenquam infeudare de futuro absque petitione possessoris: quod non est ita. Quia sic feudatus probare tenetur infeudationem & non petitionem.

5. Si in talento vel duobus fuerit quis à domino infeudatus, nisi primo vacaverit, ipse jus non obtinet feudale in collato, sed ille potior erit in jure, qui fuerit infeudatus, & sibi feudum specialiter infeudatum.

6. Quando dominus ostendere facit vasallo feudum, quod sibi contulit, vasallus continuo sit possessor in bonis, qui domini fuerant ante collationem.

7. Quando dominus prorogat ostensionem feudi jam collati, vasallus sibi vendicet tale feudum, ubicunque domino vacaverit absque ostensione.

8. Si in villa dominus vasallo feudum ostenderit, cum vacaverit, non licet vasallo feudum alias attrahere absque ostensione, quod si attractum tenuerit per annum & diem absque domini recta contradictione, amodo non poterit dominus ipsi jam dictum feudum immutare.

9. Feudum quod non habet vasallus in possessione, nec sibi à domino est ostensum, hoc non potest sequi ad alium dominum, nec suo filio hæredare.

10. Violenter feudo spoliatus, si causam jure debito prosequatur, ipse hoc feudum hæredat in filium, licet careat possessione & ipsum sequitur alium dominum, si suam querelam valeat testibus comprobare.

Cap. XII.

De feudo vasallo collato.

1. Villam integram si dominus conferat vasallo, sive vineam aut decimam aut judicium, vel tale quid vel quicquid sibi vacat in uno loco vasallus, illud feudum, sequitur in alium dominum, & hæredat in filium, si etiam à domino non fuerit ostensum.

2. In molendinis & monetis & theloneis, & in vineis, & in decimis, & in talibus rebus, si quis fuerit feudatus, ipse feudum sequitur, & hæredat, licet dominus habeat locum feudi in suo domino ad locandum. Dominus autem tenebitur vasallis, quod deficit in feudo adimplere, quam diu loca feudorum sibi retinet ad locandum.

3. Si in redditibus hujusmodi dominus conferat plus quam sibi proveniat annuatim, primi feudati recipient suum plenum, & ultimi quod sibi deficit à domino postulent sibi alias assignari.

4. Nisi habeat vasallus à dominum dimidium mansum ad minus in feudo, vel quinque solidos assigna-

assignatos, nullus poterit esse testis in judicio feudali. testimonium excommunicati & proscripti seu etiam illegalis potest quilibet reprobare in judicio feudali infra territorium, in quo ipsi taliter fuerint condemnati. Advocare etiam non possunt, & si de aliquo conquerantur, ipsis non tenebitur respondere, si probare poterit ipsos hujusmodi sententias incurrisse. Tamen oportebit ipsos omnibus querulantibus respondere.

5. Si negaverit dominus vasallo bona, quæ ipse in possessione tennerit per annum & sex hebdomadas, postquam ipsa recipit absque recta domini contradictione: Si vasallus justam possessionem probare poterit per septem testes, ipse possessionem feudi confirmabit proprio sacramento, & retinebit bona absque testibus, nisi possessio per justam querelam sibi possit infringi. Licet triginta homines, & unum super testimonio interrogare, ubi cum 7. testibus aliquid est probandum. Nemo tamen potest in vicinia feudum absque testibus obtinere, licet ipsum habeat in possessione. Si permittat dominus vasallum in possessione quiete manere per annum & diem, sicut de jure debet, dum ab eo expedit infeudari, aut ipsum extrahere cum tali possessione, non poterit ipse cum bonis prædictis à domino elongari, si seipsum negligat infra tempus præfixatum, si etiam ad alium dominum cum feudo divertat, nisi ille dominus hoc obtineat jure subscripto.

6. Nemo potest feudum obtinere in bonis, de quibus oportet ipsum solvere censum, aut annualem pensionem. Si quis sibi feudum asscribat in talibus, & dominus offerat ad probandum per testes se censum annualem de jure in dictis bonis, de quibus oportet ipsum solvere, vasallo non potest possessio, quin oportet ipsum feudum suum à domino per testes evincere. Hoc potius conceditur vasallo, quam domino licet in feudo ejus censum annualem testibus usurpare.

Cap. XIII.

De injusta possessione & possessore.

1. Ortum aut jugerum terræ, aut hominem potest vasallus per sacramentum contra dominum obtinere inter cætera bona sua, & si sequatur bona in alium dominum, non ipsa habeat in possessione.

2. Solum feudum potest esse multorum dominorum, ita quod unus alio habeat, tamen unius erit possessio, qui utilitatem ipsius recipit, & pensionem aut censum in ipso si sit vir aut mulier verus est possessor, & illi oportebit respondere, si quis in bonis prædictis delinquat.

3. Justa possessio non vocatur, quam quis obtinet violenter, si violentia per justam querelam à læso fuerit declarata, & poterit probari, si dicat vasallus ab alio se feudum tenere, quam à vero domino, à quo ipsum recepit, & dominus illud possit suum ostendere suorum testimonio vasallorum, vasallus perdit omne jus, quod habet in illo, & ipsum feudum ad dominum revertitur, à quo tenebatur, & ideo non debet vasallus coram summo domino illum, à quo feudum teneat nominare, quam diu se defendere poterit in jure feudali. Non enim tenetur pro inferioris domini bonis, quæ possidet, summo domino respondere, licet ipsius alias sit vasallus. Summus autem dominus si poterit probare, quod inferior sibi feudum resignavit, aut etiam per justam sententiam ipsum desuit possidere, possessor tenebitur pro ipso in omnibus summo domino respondere, & feudum sequi ad ipsum.

Cap. XIV.

Si vasallus negaverit bona, quæ tenet à domino.

1. Negans vasallus bona, quæ tenet à domino, & coram ejus hominibus contradicens, omne jus perdidit, quod habuit in illis.

2. Si autem alteri contulerit, & summus ea sibi vendicet, possessor monebit dominum suum per sententiam, quod bona sua liberet à summo domino, & ipsum per jus amoveat à sua infestatione, & hoc tenebitur dominus infra sex hebdomadas expedire.

3. Si hoc dominus contra jus facere contempserit, possessor sequitur feudum ad summum dominum, nec aliquid propter hoc amittet, si dominus suus quod perdiderit, iterum recuperet à summo.

4. Si negaverit dominus coram summo seu supremo feudum vasalli, & non nominat, quin sibi vendicat, & de jure nominare debuerit, possessor feudum sequatur ad summum infra terminum feudalibus assignatum.

5. Dominus per loquacitatem & taciturnitatem potest se negligere in jure suo & non vasallum suum.

6. Si vasallus pro feudo se exhibeat, ut tenetur, qui sequitur feudum ad dominum supremum, & infeudationem aut ostensionem postulat, ab ipso tenebitur feudum domino nominare, & etiam illum, à quo primitus hoc possidebat, antequam investiatur aut feudum ostendatur.

7. Si noluerit hoc dominus sibi ostendere, ipse ostensionem testibus obtinebit contra dominum per suorum judicium vasallorum, quod taliter feudum secutus est ad ipsum, quod de jure debeat ostendi sibi quod poscit. Quod si contra dominum probaverit, non indigebit probatione contra alium, cui ipsum dominus assignabit.

8. Non est necesse alicui feudo iterum investiri, quod semel recepit à domino, si resignet aut vendet, & iterum recuperet, possessione careat per annum & sex hebdomadas.

9. Cujuscunque dominus feudum confert in præsentia possessoris, si non contradixerit, aut clamet, amodo nullum jus in prædicto feudo poterit obtinere, ex quo videns & audiens talem collationem silentio confirmavit.

10. Si citaverit dominus vasallum ad jus feudale, infra terminum illum, non tenebitur vasallo dominus respondere super quacunque causa, si de ipso coram aliquo conqueratur, nisi prius causa dominii terminetur.

11. Si per sententiam, causa domini super jure feudale fuerit prorogata, & iterum per decessum ad vasallum devoluatur certum feudum, aut de futuro, quod per jus non expedit obtinere, dominus tenebitur ipsum secundum justitiam infeudare, causa priore pendente, alioquin posset dominus dilationes frivolas invenire, per quas contingeret vasallum negligi, in termino à jure sibi concesso, si in verbis advocati clientulus non consentit, & dominus hoc imputet advocato, ipse poenam persolvet, nisi sacramentum præstaverit, quod nihil aliud est locutus, nisi quod sibi clientulus instruxit, solo sacramento potest evadere inculpatus de quacunque causa & re, quæ probari non potent coram judicio accidisse.

Cap. XV.

De filio nato, cujus vox possit audiri.

1. Cum vixerit filius tam diu, quod vox ipsius audiri possit in 4. parietes domus, ipse hæredat bona patris.

2. Filius qui moritur ante patrem, non est hæres feudalis, quia feudum non hæredat, & ideo non infringit alicui feudum de futuro in bonis patris.

3. Qui sponte resignat feudum, aut ei fuerit adjudicatum, cum ipso carebit, si concessum sibi fuerat feudum de futuro.

Cap. XVI.

De filio qui est imparis conditionis sui patris.

1. Filius imparis conditionis, si vixerit post mortem patris, & vasalli renuant ab ipso suis feudis investiri, ipse à nullo elongat feudum de futuro in bonis patris collatum.

2. Si contradicat dominus vasallo, & non vasallus domino in jure feudali, nec certum feudum nec etiam de futuro perdit ex hoc vasallus, sed illud obtinet absque servitio, dum vivit, sed post mortem domini, non potest sequi in alium.

3. Bona pontificalia & feudo vexilla debet Lex integra conferre & non divisa.

4. Qui feudum recipit à principe feudo vexillum habente, non tenetur idem postea recipere à quocunque feudo vexillo carente, licet princeps fuerit naturalis.

5. Filius patris conditionis obtinet scutum bellicum patris post mortem, interim quod per homagium non degenerat.

6. Si filius loco patris homagium facere contemnat, per hoc scutum bellicum non exaltat.

7. Nihil exaltat scutum hominis, nisi feudo vexillum si sibi fuerit collatum.

8. Nemo hæredat feudum, nisi pater in filium, si post mortem patris infra annum & diem veniat filius ad dominum, & offerat homagium manibus conjunctis, appropians ad ipsum, ut si fieri dominus, ipsum valeat attingere. Si sedeat, genua flectat coram ipso: Quidam dicunt, quod movere debeat manus erga dominum, quod non est ita.

9. Qui cum accesserit ad dominum stantem, vel genua flectat coram sedente totum corpus movetur & manus. Taliter debet loqui homo, cum exposcit junctis manibus suo feudo investiri: Domine, ego exposco à vobis bona recipere, & ipsis à vobis investiri, etiam per jus ad vos adduxi, & offero propter hoc meum homagium, semel, secundo, tertio, & constituo testes vestros homines. Si renuat dominus contra justitiam ejus homagium recipere, ille bona per jus obtinebit, pro quibus præbuit homagium, & resideat in eis absque servitio, nec ipsum oportet à domino iterum petere investiri, dum testes vixerint primæ petitionis, & ipsi bona hæredat in filium, & poterit inde alios infeudare, quia per jus sua bona obtinuit, in quibus sibi à domino jus fuerat denegatum, nec oportet ipsum homagium suum denuo exhibere, nisi forte testes ab ipso positi motiantur.

10. Cui feudum fuerit violenter ablatum, ipsum oportet querelam suam singulis annis renovare, quia caret possessione.

11. Si restituat dominus homini feudum, ille statim recipiat, aut seipsum negliget, quia dominus infringet ei anni terminum cum oblatione feudi, licet sit vasallus investitus per annum & diem, per hoc quod poterit à domino investiri.

Cap. XVII.

De domino quod non tenetur respuere homagium: & de testibus inter dominum & vasallum suum producendis.

1. Dominus non tenetur alicujus homagium respuere, nisi eorum tantum, qui scuto bellico non utuntur, aut illegalium sive etiam in eodem judicio proscriptorum, vel si dominus traxerit ad judicium coram Judice provinciali, super spolio aut violentia, & terminus fuerit per sententiam prorogatus, infra illum terminum non oportet dominum homagium recipere offerentis.

2. Quem

2. Quem recipit dominus in vasallum, ille negare non poterit feudum conferre, quod juste deduxit in omni tempore & in omni loco ad ipsum tenetur dominus feudum conferre, justo modo petenti, excepto carnificio & Ecclesia.

3. Quando quærit dominus in sententia ab hominibus suis, utrum offerens homagium suum, taliter hoc obtulerit, ut ipsum de jure recipere teneatur, & ipsi invenire sententiam contradicunt absque dominum culpa, & hoc possunt per justitiam obtinere, dominus sit inculpabilis erga vasallum, & per hanc oblationem vasallus aliud nihil acquirit, nisi quod dominus ipsi opponat, quod annum & diem neglexerit, securus poterit in contrarium (si amentum præstare.

4. Investitus feudo vasallus à domino quod ad ipsum de jure deducit, tenetur statim ipsum nominare domino, & si quid remanet, quod ignorat, illud debet infra duas hebdomadas innominare, in loco quem sibi dominus coram suis hominibus assignabit, & quod ibi non nominaverit, hoc perdidit in instanti.

5. Quicquid autem nominaverit, si dominus non confiteatur hoc pertinere oportebit ipsum hic statim testibus approbare si potest: quod si non possit, habebit inducias per duas hebdomadas, & tenetur statim testes coram domino nominare, & dominus tenebitur septem diebus ad terminum evocare, quod petit vasallus & non quod vult dominus.

6. Si quis de his septem præsens fuerit, hunc non oportet dominum in termino postea statuere, si statim ab eo quærat testimonium veritatis.

7. Qui in termino non apparet de his, quos dominus tenetur adducere per hunc, quantum ad perfectionem probavit vasallus suam intentionem contra dominum, sed contra parem vicinum non potest quis tali testimonio rem petitam obtinere, sed si excusatione legitima præpeditus aliquis de septem in termino non assistat, & hoc de jure monstretur, absentia ipsius, domino non cedit in damnum, si testem nominatum vocaverit dominus ad terminum, jure feudali, & ille non venerit, tunc ipsum denuo citabit peremptorie suum jus & ultimo abjudicabit illi feudum quod ab eo tenebat, & sic remanebit dominus absque culpa & absque damno si non compareat, quem ulterius per jus feudale non poterit coarctare, & tunc licebit vasallo loco contumacis testem alium surrogare, agens contra dominum suum in jure feudali, si testem nominaverit, quem dominus dicat, nullum feudum obtinere, & hoc sacramento probaverit, illum non oportebit dominum in termino ponere, si juraverit dominus in præsentia illius, & ille à domino se habere feudum non probaret, totum vacabit domino, quicquid ab eo in feudo possidebat.

8. Si testem ducat dominus contra vasallum, & ille non credat, quod testis sit infeudatus à domino, quod contra ipsum de jure possit testari, hoc oportebit testem sacramento probare & feudum nominare, de quo valeat esse testis.

9. In termino assignato eligat vasallus septem testes, à quibus de jure suo requiratur, inter omnes quos dominus ad testimonium duxerit, & ille super duos tantum inter omnes suam probaverit intentionem, vasallus obtinet quod petebat, quod si non fecerit, cecidit à causa, perdit etiam si ad terminum in jure feudali non venerit assignatum. Si etiam dominus ad terminum non venerit assignatum, vasallus rem petitam absque testibus obtinebit. Impedimento tamen legali poterit uterque legitime excusari, captivitate, infirmitate, obsequio regis & terræ necessitate, si ab aliquo impugnetur, & ipse per clamorem ad defensionem ipsius fuerit evocatus.

10. Legalis necessitas si retardet, quod ad terminum feudalem non veniat, vasallus tenetur mittere nuncium, qui legitimum exponat impedimentum, & sacramento confirmet, si non credat dominus hunc verum esse nuncium illius, utrum liber sit an servus, per hoc non poterit ejus legatio reprobari, sed hoc est in arbitrio domini, utrum statim recipiat sacramentum vasalli, aut non, tunc tenetur venire ad terminum impedimento legali cessante.

11. Si captivitate detentus ad terminum venire non valeat feudalem, nec nuncium mittere tenetur ad terminum proximum, qui sibi positus fuerit per sententiam. postquam evaserit captivitatem, tenetur venire ad illum, tanquam ad primum, quo per impedimentum fuerat privatus.

12. Sicut præscriptum est, sic debet vasallus sequi feudum ad dominum alterum homagium offerendo, si dominus à quo tenuit feudum moriatur vel etiam sua resignet, vel à feudo suo per sententiam sit ejectus. Supplicabit etiam domino, quod ei feudum conferat taliter & ostendat, quod cum tanto honore in ipso valeat residere, cum quanto resedit ipse tempore primi domini, quia non est justum, quod aliquis humilietur in feudo.

13. Quem dominus ad alium ore proprio non assignet, infra annum & diem, postquam ille assignari petivit, à modo non poterit dominus hunc alteri assignare, & ipse tenebitur eum feudo investire.

14. Cum moriatur dominus, filium relinquens hæredem, vasallus infra annos discretionis, domicellus, non debet à superiori domino petere investiri. Si puer seipsum negligat in termino, vasallus postea terminum obtinet ad sequendum bona sua ad quemlibet infra annum & sex hebdomadas.

15. Terminus vasalli incipit statim, quando dominus fuerit feudo investitus, quod ille recipere debet ab eodem. Dominus enim feudum non potest alteri conferre, priusquam sibi fuerit collatum, nisi forte dominus ejus injuste contradixerit ipsum infeudare.

16. Extra terram si dominus fuerit sive captus, quod ab eo domicellus petere non valeat investiri, poterit infeudare de feudo non recepto, & alios investire, & quod sibi pertinet in suos usus proprios convertere, quasi foret investitus, dummodo ad annos pervenerit discretionis. Si autem conferat antequam percipiat, ratam & firmam tenere debet suam collationem.

Cap. XVIII.

De terminis annorum & de iteratâ receptione feudi.

1. Vasallus, qui semel feudum recepit a domino suo, si moriatur dominus eius, aut feudum resignet, quod ab eo tenebat quisquis inferior, qui ab ipso feudum recipere tenebitur, potest sequi eligere super anni spacio & die. Licet dominus secundo non receperit feudum, eum se infeudationis nihil non neglexerit, quia à domino in bonis non potest eloygari, cum infeudatione quam fecerit, ad quam ipse per sententiam est compulsus.

2. Puerorum terminus in annis constat esse tredecim annorum & sex hebdomadarum ab ortu, tamen indigent accipere tutorem, dum fuerint infra annos discretionis, qui ermuandi in hoc si quis ipsos voluerit in feudo coartare.

3. Tutor autem puerorum erit de vasallis domini, qui eos protegat in jure feudali erga dominum & quemlibet alium. illi promittere tenentur digito & lingua tanhabitionem in lucro & damno.

4. Anni vero puerorum non numerantur à conceptione, sed à tempore, quo natus fuerit homo in mundum.

5. Quocunque modo puer feudum reperat infra suos annos, quod sibi penitus nemo recognoscit, hoc debet dominus discutere loco pueri cum ipsius vasallis, aut etiam tutore, utrum feudum, quod tunc vacat, puero pertineat vel ipsi domino.

6. Dominus etiam est tutor pueri in bonis, quæ de ipso tenet infra annos pueriles, dum nulli est tulit hoc emolimentum, & debet inde redditus accipere, donec puer ad annos perveniat suprascriptos, infra quos puer se negligere non valebit, si à domino non petierit investiri.

7. Si credere noluerit dominus, quod puer annos exierit pueriles, hoc probabit puer sacramento, aut ejus tutor, aut etiam de domini vasallis unus, postea non licebit domino extrahere aliquid de his, quæ noscuntur ad puerum pertinere.

Cap. XIX.

Qui testis esse poterit & de investitura feudi vasalli.

1. Qui adhuc annos pueriles non exierit, testis esse non poterit alicujus in jure feudali.

2. Quantumcunque fuerit juvenis filius post mortem patris, si tutor ejus ipsum duxerit ante dominum, ab eo secundum justitiam postulans investiri, dominus tenebitur hoc implere ipsum protinus infeudando, si fidejussores ponentur domino, si plures sint fratres, quod super infeudatione dicta nullus dominum infestabit.

3. Quando puer infra annos à domino fuerit infeudatus, annus statim incipit vasallorum ad recipiendum de puero bona sua, & astrictu tenentur altiori domino servire, si eis à puero vel ab ejus tutore secundum jus fuerit imperatum, dummodo dominus usum feudi nulli contulerit in his bonis.

Cap. XX.

De fructu feudi & de possessione & resignatione.

1. Nullum feudum potent excipi, quin usum fructus dominus conferat, vel sibi retineat infra annos pueriles, nec est sequela in tali collatione. Dominus tamen potest usum fructus conferre extra, & sic investitus non hæredat in filium, & taliter feudum expirat in morte pueri, aut cum annos exierit pueriles, dum puer de gratia vel de jure usum fructus in suis bonis non recipit, interim non est astrictus domino nominare bona, quæ sibi contulit in feudum.

2. Nemo potest justam possessionem acquirere per infeudationem aut impignorationem, nec etiam resignationem in bonis, quæ post mortem patris ad puerum deveniunt in jure provinciali nec etiam feudali, per quam justam & primam possessionem puero valeat infringere, nec etiam ille, in quem hæredat possessio infra annos pueriles suprascriptos.

3. Si quis resignet feudum puero ad hoc, ut ipsum alii conferat, & puer hoc fecerit & ratum habuerit, cum pervenerit ad annos. tunc enim primo verum feudum nuncupatur. Si vero puer idem factum voluerit postea retractare, ab illo feudum requirens, qui hoc ipsum resignaverat, ut alteri conferatur, extunc nec infeudato talis per judicium retractetur. Resignatio enim non puerilis stat eo, quod ille eam ad hoc fecerat, ut dictum est.

Cap. XXI.

De investitura filiorum & vasallorum: alias, de cognati investitura & de morte habentis filium.

1. Si cognatus hæres noluerit investire vasallos, cum annos exierint pueriles, ipsi tenentur desino hoc feudum à puero impetrare, ne contingat ipsos feudalem terminum praeterire.

2. Si filium habens moriatur homo infra annos, quibus debuit investiri, per hoc feudum non elongatur à filio, licet pater hoc non recepit in feudo, quoniam se in terra o non neglexit.

3. Si

3. Si moriatur domicellus infra terminum, quo vasalli debuerant investiri ab eo, ipsi sua bona sequentur, ubi proxime pe ceperint dominum hæredari, nec inde debent aliquam sustinere jacturam.
4. Dominus etiam non potest vasallum in relinquendo feudum bipartiri, nisi bona quæ venit ab ipso, habeat dominus à pluribus, quam ab uno.
5. Si contra justitiam relignaverit, minor pars feudi sequetur majorem. Si resignaverit dominus minorem partem feudi, quod ab eo tenetur ab uno, vasallus non tenetur illud iterato recipere, nisi tantum à domino superiore.
6. Vasalli tenentur tantum ab uno filiorum domini feudum recipere, licet omnibus sit collatum.
7. Major autem Dominus tenetur solum ostendere à quo feudum recipiant, si fratres ipsi in divisione feudi non concordant.
8. Dominus etiam non tenetur plures investire fratres, nisi tantum unicum inter omnes.
9. Quando pater moritur infra pueriles annos puerorum, in eorum stat optione, quem voluerint à domino investiri. Si prætereat annus & dies in optione, domini erit cui voluerit feudum conferre, à quo petierunt jure debito infeudari.
10. Si conferat dominus uni puerorum feudum pro sua voluntate, & non secundum justitiam, hoc alijs non præjudicat ad feudum recipiendum.
11. Si quis de fratribus annum neglexerit erga dominum, liber est dominus ab investitura ejusdem, nisi proprio se eximat juramento.
12. Unus fratrum si pervenerit ad annos, & alij sint infra, & ille petat à domino investiri, oportet eum promittere, quod fratres amodo Dominum non impetent super feudo sic collato. Quod si ratum non habuerint fratres jam adulti, & à Domino postulent investiri, dominus terminum ponat utrumque. Si senior minores non ammoneat ab actione, per sententiam spoliatur à parte quantum fratribus hæreditaverat ante factum.

Cap. XXII.

De lecto ægritudinis.

1. In languore lecto attrusus si à domino, vel à pueris, vel ab aliquo ad hoc habente feudum alienare voluerit, & hoc alteri conferat, si hoc iterum receperit, nulli præjudicat, qua factum hoc est, dum langueret.
2. Nemo potest feudo privare cœcum aut membro carentem, aut etiam aliqua infirmitate detentum.
3. Si vir procuret uxori vitæ provisionem cum filiorum consensu adultorum, illam non poterunt, nec dominus, aut filij infrangere, dum poterit testibus hoc probare. si pueri consenserunt infra annos, hoc poterint postea immutare, sed non Dominus.

Cap. XXIII.

De uno feudo collato multis fratribus.

1. Multis fratribus potest dominus solum feudum conferre, si compositis manibus hoc receperunt omnes simul. Si vero voluerint separari, inter se possunt feudum partiri absque domini voluntate. Cum autem fuerint separati, nullus eorum jus aliquod habet in bonis alterius fratris, nisi sibi feudum de futuro secundo collatum.
2. Si autem unus fratrum moriatur, puer ipsius in parte demortui patris succedit inter patruos, & jus obtinet loco patris.
3. In simul feudati, dum non sunt divisi, nullus eorum poterit partem aliquam feudi cuiquam conferre, nec etiam resignare in præjudicium aliorum. Qui autem partem non receperit specialem, partem conferre non potest, aut etiam resignare. Quicquid autem contulerit, aut dimiserit, hoc per se infringere non valebit, sed illi tantum qui feudo sibi sunt participes & consortes.
4. Si plures uno feudo investiti & non sejuncti fuerint, & dominus moriatur, unus potest sequi feudum ad alium dominum & non plures.
5. Quod de sua voluntate dominus vasallo contulerit, si ipsum non valeat in collocato tutari, recompensare tenetur eidem in æquipollenti, dummodo vasallus se non negligat infra annum, quin intromittat se decollatis.
6. Si quis eum ejecerit, querela debita prosequatur. quod si non fecerit, dominus à recompensatione per sententiam liberatur.
7. Cum per jus feudale fuerit dominus compulsus ad aliquem infeudandum, si per jus sibi fuerit ablatum, quod in feudo dicto tutari non posset vasallum, hoc non oportebit dominum refarcire.
8. Si dixerit dominus, quod ipsum velit tutari, & mandaverit sibi feudum vendicare, hoc sibi refarciet, si tutari non posset, nisi forte vasallus se neglexerit, ita quod feudum ab eo alienetur absque sua contradictione justa infra terminum feudalem.

Cap. XXIV.

De mulieribus feuda habentibus, & de pueris, qui vivente patre suum obtinent feudum. Et de diversis causis circa feuda contingentibus.

1. Mulier infeudata, & virgo non coguntur ad expeditionem Imperatoris. Tenentur tamen in ju-

vamine suis dominis secundum jus positum non emitti. Liberat autem eum à cæteris hominibus qui ei feudale per sententiam provocatæ.

2. Si vivente patre ipsius feudum pueris à domino conferatur, in cujus possessione pater positus moriatur, pueri tenentur ad dominum accedere, postulantes, quod eis feudum recognoscat, quod a patris tempore investivit. & hoc facere tenentur infra terminum supra dictum. Quod si dominus minime recognoscat, pueri se offerant ad feudum testibus obtinendum. hoc testimonium poterit dominus detinere, eo quod non sint in possessione, nisi probare valeant infeudationem de jure suo.

3. Bonum est pueris sequendo dominum homagium non præbere, quia possessione carentes feudum evincere non valebunt, si non hoc dominus recognoscat.

4. Ubi pater & filij possessionem in feudo communem habuerunt & æqualem, pueri patri feudum obtinent post decessum, si infeudationem probare valeant contra dominum de facto ipsorum memoratum.

5. Si resignet feudum quisquam domino, ad hoc ut alium investiat eodem, & ita in non conferat, rat, & sibi retinere laboret, justitiam non sectatur. non enim alio modo sibi fuerat resignatum, nisi ut alteri conferatur.

6. Si pater filio feudum resignet coram domino, non obtinet in hoc feudum quod dicitur hæreditarium licet fuerit patris, quia pater in filium feudum post mortem non hereditavit, quia feudum hæreditarium domino resignat, & id iterum ab eo recipit, & hoc amodo hereditarium sibi non est. Quicunque sibi dixerit aliud jus in feudo pertinere aut plus quam habeat, si non probaverit jus, quod sibi indebite vendicrat, totum perdet quod in eo prius habuit.

7. Qui rectam possessionem obtinet in feudo, potior erit in jure ad obtinendum, quam qui caret possessione.

8. Qui resignat feudum domino altiori, & iterum ab ipso recipit in feudum, vel aliud quod ab inferiore tenebat, & si quietus resideat in eodem per annum, etsi etiam later hoc dominum inferiorem, non sibi præjudicat, quod non contradixit, si juramento probaverit infra suum terminum, quod talem resignationem vasalli penitus ignoravit. Si querelam moveat, cum vasallum primo percepisse hoc feciſſe, quicunque ipsorum primæ infeudationis possessione probare poterit per sex testes secum, erga dominum, de vasallis ipsius domini, ipse feudum obtinebit. Si probare potuerit vasallus, quod minor dominus per sententiam feudalem fuerit ab judicatus à feudo memorato, testimonium domini adnullatur, & licet vasallus ipsum feudum habeat in possessione, per hoc ipsum à suo domino non elongatur.

9. Testis super possessione feudi esse non poterit, qui non est à domino infeudatus.

10. Super possessione testari potest omnis, qui jus suum obtinet illibatum.

11. Nullus à possessione debet ejici, nisi judicio evincatur.

12. Privatus feudo per sententiam, vel qui sponte resignat, carere debet possessione, vasallus tamen post infra annum domino negare resignationem, & juramento probare.

13. Si feudum resignatum dominus alteri contulerit in præsentia resignantis, & ipse non reclamaverit ad idem postea recurrere juramento præstito non valebit.

14. Si infideliter compellat dominus vasallum ad feudum resignandum, hoc non præjudicat resignanti, si supra ipsa violentia infra terminum, de quo domino conqueratur & jure convincat.

15. In verbis, & velle non est violentia, si non actio subsequatur.

16. Si quis alteri feudum resignet coram domino, cum resignatur, statim subintrat possessionem.

17. Vicinus vicinum in pluribus per testes potest convincere, quam dominus vasallum.

18. Si probatione pari duo unum feudum repetant in jure, & offerat se quilibet ad possessionem per testes probandum, & illud neuter ab alio tenet, assignari debet eis terminus in villa, in qua jacet idem feudum, & à vicinis super possessione veritas inquiratur, & qui plures habebit testes, & pueores, possessionem feudi obtinebit; hoc testimonium debet ipse dominus audire, aut duos nuncios veraces ibi dirigere, qui sibi pro gratia domini referant, quid quilibet sibi obtinuerit quod petivit. Si per discordiam vicinorum, aut propter hominum ipsorum super possessione jam dicta, non possit veritas inquiri, per sacramentum compellentur actores, ad hoc quod sibi de jure pertinet ostendendum. & quod sibi communiter ostenderint pertinere, inter ipsos æqualiter dividatur, aut per aquæ judicium separentur.

f. judicii ferendæ aquæ. 19. * Judicium dominiserui aqua vel ferro non licet in causa aliqua experiri, nisi in qua modis aliis non poterit veritas indagari.

20. Si dominus & vasallus dicant se idem possidere feudum, & hoc uterque se offerat ad probandum testimonium vasalli præcedit, & dirimit domini, quia licet feudum repetat, hoc non facit ipsum à domino alienum.

21. Si culpet dominus vasallum, quod terminum neglexerit, feudum repetendo, & homagium non expetendo, seu etiam feudum extrahendo, ille juramento suam innocentiam expurgabit, nisi forte dominus probare valeat, quod post anni terminum coram hominibus suis abjudicata sit omnis impetitio in feudo supra dicto. Juramento sex testium, & suo, debet dominus evincere feudum à vasallo.

22. Si dicat dominus, quod coram suis hominibus juste abjudicaverit impetitionem vasallo, & ille dixerit, quod infra terminum suum infeudari repetivit, aut etiam feudum extraxit, & hoc rebellavit probare; si hoc faciat, testimonium domini adnullabit.

23 Si

23. Si ad querelam alterius dominus abjudicet bona vasalli, debet actorem mittere in possessionem rei judicatæ. Illi tamen remanet actio extrahendi bona sua infra terminum, quem dominus ei assignaverit. Dominus autem tenetur coram suis hominibus terminum assignare per sententiam, quem debet actori per duas hebdomadas intimare, in quo si reus appareat & non actor, liber per sententiam judicatur, nisi forte exceptione legitima, quæ ostendatur in jure, actor fuerit impeditus: qua probata, actor remanet absque damno.

24. Infra terminum feudum extrahendi, si moriatur abjudicatus, extractionem hæredat in filium, & ille sequitur feudum ad alium dominum.

25. Si dominus suus moritur, aut resignat, aut vendit, aut indebite contradicat, hæres conferre non poterit si quid vacat, nisi prius suum feudum extraxerit erga dominum.

26. Si ad alium dominum feudum devoluatur, non oportet illum feudum extrahere, sed tantum sequatur feudum secundum jus feudale, ideo oportet filium bona sua erga dominum extrahere, si pater moriatur.

27. Quoties feudum ad alium dominũ devolvitur, terminus feudũ reperendi toties renovatur.

28. Infra terminum, quem dominus vasallo posuit ad respondendum, potest idem feudum conferre, & in filium hæredare. Filius non respondet domino loco patris, nisi forte bona possideat, super quibus pater erat conventus, aut si pœna in bonis ipsius domino fuerit indicata, illam oportet ipsum solvere, aut jure patris justo judicio excusare.

29. Si requirat vasallus à domino feudum, quod non possidet, & dominus coram hominibus suis terminum assignet eidem, vasallus non poterit idem alteri conferre infra terminum.

30. Si in præsentia vasalli sibi feudum, abjudicetur, & non reclamat, hic non poterit amodo feudum extrahere sacramento.

Cap. XXV.

Tria sunt, quæ poterit dominus probare contra vasallum.

1. Tria sunt tantum, quæ dominus probare potetit contra vasallum, quod loquitur, quod facit, quod promittit in judicio feudali. Si etiam Regis obsequium fuerit vasallo per sententiam imperatum, dominus hoc poterit contra vasallum probare per suos homines, & pares illius, qui hoc audierunt.

2. Si etiam dominus citet vasallum ad judicium feudale, ipse ipsum ore ad os per sententiam, istas tres causas debet dominus potius erga vasallum probare per testes duos illi pares, qui hoc audierunt & viderunt, quam vasallus hoc negare valeat sacramento.

Cap. XXVI.

De vasallo, qui plures habet dominos, cui primum suum præstare tenetur obsequium.

1. Si duos aut tres dominos habeat vasallus, & hi omnes servitium Reis ei per sententiam demandent, cum eo tenetur personaliter proficisci, cujus mandatum primo recepit, & aliis succurret in solutione decimæ marcæ, vel talenti, quod ab ipsis in feudo recepit annuatim.

2. Nulli licet domino servitium Regis nunciare, nisi sibi primo fuerit per sententiam nunciatum, sequens feudum, non ad filium domini sui, sed ad alium dominum, si dominus ille sibi feudum minime recognoscat, hoc testimonio vasallorum primi domini obtinebit, & ille per primi domini gratiam super veritate requirat, & non debet ipsos profundius adjuvare, si credere noluerit, quod primo domino fidem fecerint. hoc præstito juramento affirmabunt. inter hoc testem dominus nullum ad terminum adducet, nisi etiam sit vasallus. si testes sibi deficiant, & ipse tamen ad seutum feudale sit narus, ita quod jus feudi facere valeat, ipse uterur paribus domini vicinis, & vasallis quibuscunque & quotcunque indigerit, qui per homagium sunt astricti domino, ad quem pertinet petitum feudum à vasallo.

3. Si resignet dominus domino altiori feudum vasalli, ipso quoque hoc penitus ignorante, & hoc fuerit alteri collatum, ipse feudum sequetur ad illum infra terminum feudalem.

4. Terminus autem incipit, cum dominus coram suis paribus sibi intimat feudum resignasse, aut ille homo sibi intimet, cui est collatum, aut per nuncium domini fuerit in possessionem missus.

Cap. XXVII.

De feudo, quod dominus vasallo negaverit.

1. Vasallus non debet altiori domino petere investiri feudo, quod tenet ab inferiore, nisi prius ab ipso audierit, quod feudum resignavit, vel in ipso se neglexerit. quod si sibi dominus fateri noluerit, moneat ipsum coram vasallis suis per sententiam, quod bona sua expediat erga dominum infra rectum terminum, hoc est, infra sex hebdomadas, & secundum justitiam tueatur. Si hoc facere iterum noluerit, & ille hoc testari valeat per vasallos, bona sua sequatur ad dominum altiorem, & hoc sibi nocere non poterit, si etiam dominus suus feudum reciperet, quod dimisit.

2. Si auferat à vasallo dominus feudum, aut facere deneget jus feudale, sive possessione privet, cum ipsum teneatur de jure tutari, hoc vasallus altiori domino conqueratur, coram vasallis ejusdem, & ille per sententiam præcipiat inferiori, aut nunciis ipsius coram duobus testibus, quod justitiam faciat vasallo, & verus sit ejus tutor. quod si facere noluerit, dominus altior feudum sibi conferet, & in ipso tutabitur, si hoc probaverit dominus secundum justitiam feudalem.

3. Duo

3. Duo vel tres à domino infeudati de futuro, hoc est, ubi domino primo vacaverit, hoc expectent, donec vacet.

4. Non præjudicat vasallo in suo jure, si dominus terram exierit infra terminum, in quo petere debuit investiri. Tunc vasalli terminus inchoabit, cum dominus ad propria revertetur, si vero viderit ipsum vasallus, in curia superiorum, vel in domo propria, aut etiam in judicio, infra terminum, & ab eo non supplicet investiri, ipse se negligit, atque bona. si terram exierit vasallus infra terminum, ipse per hoc non poterit prorogare.

5. Sicut vasallus terminum prorogat, cum à domino supplicat investiri, & dominus hoc facere indebite contradicit, sic dominus terminum abbreviat, si feudum præbeat non petenti.

6. Si se abscondat dominus, aut in castro claudat, quod ad eum vasallus accedere non possit, ut ab eo supplicet investiri, hoc non nocebit vasallo, si probare valeat in jure, quod dominum quæsierit in curia, aut domo, ad quam dominus introitum & exitum frequentabat, & ibi præbuit homagium, aut etiam extraxit bona secundum jus.

Cap. XXVIII.

Quomodo vasallus pœnas evadat erga dominum.

1. In transmarinis si moritur pater, aut alius, cum de morte ipsius constiterit filiis, inchoat terminus eorum ad feudum repetendum.

2. Si etiam dominus moriatur vasallis insciis, eorum terminus inchoabit, cum de vero constiterit eisdem decessu ipsius.

3. Vasallus potest proprio juramento omnes pœnas erga dominum evadere, quæ contra ipsum non in ejus præsentia per sententiam fuerint promulgata infra terminum anni sui, nisi dominus per testimonium ipsas obtineat, sicut scriptum est. Si requirat fejudum à domino vasallus, quod ille sibi non fatetur, quod nec ille possidet, oportebit ipsum fide ussores ponere super pœna domini, & etiam vasallorum, antequam sibi terminum constituat in judicio feudali, si aliud feudum à domino non habeat, quam quod ex possessorio requirit. In quo autem est possessor possessio fidejubet, erga dominum, si eam erga dominum valeat obtinere testibus.

4. Bona vasalli si conferat alteri dominus digito vel lingua, sibi promittat eadem tutari, propter hoc primus prima feudali possessione non carebit de jure, nisi dominus probare valeat, quod sibi possessionem suam per jus feudale abjudicaverit & infregerit.

5. Dominus non potest feudum cuiquam conferre & ejus possessionem, cujus non est ipse possessor.

6. Quando dominus scutum suum humiliat per homagium, omnium hominum suorum perdidit feudum & vasallorum, si sibi non sit proprium, & ipsi vasalli feudum recipient à domino altiore, aut ipsis ostendet ad parem primi domini. Idem faciet vasallus, si dominus feudum humiliet, & ipsum ab inferiore recipiat, quam sit primus. Scutum tamen vasalli non deprimitur, si pari suo faciat homagium, & ab eo feudum recipiat, ad pacem pro occisis parentibus sibi reformandum, dummodo homagium non transeat ad hæredes.

Cap. XXIX.

De feudo super fidem collato, & de promisso domini.

1. Super fidem suam, si feudum alicui conferatur, ita quod domino ipsum liceat redimere in termino certo, hoc potest dominus redimere si placet aut non.

2. Si moriatur ille, dictum feudum vacat domino, nec tenetur dominus hæredibus illius solutionem conferre pro feudo sic collato. si fidem infringere voluerit taliter infeudatus, negans quod ipsum feudum ab eo possit absolvi, hoc oportet juramento proprio affirmare, nisi convinci valeat per testes, quod hoc sit promissum in judicio feudali.

3. Omnem inculpationem super pœna, quæ contingit in judicio feudali, potest dominus probare adversus vasallum, duobus sibi testibus conjunctis, suis etiam vasallis. Si talis sit causa, quo feudum possit amittere vasallus, hanc oportet dominum sibi & sex adjunctis suis vasallis juramento probare.

4. Vasallus potest alteri conferre feudum, quod sibi in fide sua collatum est, potest etiam in filios hæredare, nec oportet ipsos hoc restituere redemptori, nisi hoc promiserit resignare.

5. Vasallus non tenetur Domini promissum implere, nec filius patris super feudo resignando.

6. Absque homagio potest dominus alteri bona impignerare, sed hoc sit in fide sua, quod sibi ratum teneat, quod promisit. Quod si velit infringere, hoc potest præstito sacramento facere, nisi creditor probare valeat, quod in judicio hoc sit factum.

7. Quicquid dominus in fide confert, in arbitrio stat infeudati, utrum resignare velit, an non, nisi dominus probare valeat, quod hoc factum sit in judicio feudali. Qui taliter investitur, non tenetur ipsum feudum, morte soluta filio Domini resignare, vel alteri ad quem devolvitur mortuo domino, nisi illi promiserit resignare.

8. Qui bona impignerata dixerit infeudata, injuste dicit, quia nemo potest pignus in feudum conferre.

9. Qui bona voluerit impignerare ad suum profectum, hoc faciat coram judice provinciali, ita quod testes habeat eidem judicio præsidentes.

10. Infeu-

10. Infeudatio autem fieri debet coram Domino vasallorum, & ipsis præsentibus, qui hoc valeant testari.

11. Pignus infeudatum, non pignus, neque feudum nuncupatur.

12. Quicquid Dominus confert vasallo, hoc est, aut verum feudum aut feudum hæreditarium, aut feudum castrense, aut de futuro feudum de bonis alterius post obitum possessoris, quod domino vacabat.

13. Vir potest etiam feudum recipere cum quacunque muliere, ita quod tutor ejus sit in eodem, & sequitur ad alium dominum.

14. Si dominus mulieris obierit, ubi sibi deficit sequela, quia scuro bellico caret, vir habet scutum & possessionem à muliere in bonis eisdem, & per consequens sequelam. Si vero mulier moriatur, vir perdidit feudum, quod sibi collatum fuerat ad tutellam, nisi infeudatione fuerit investitus, aut etiam de futuro, hoc est, post mortem uxoris.

15. Si mulier feudum resignaverit, aut sibi per sententiam fuerit abjudicatum, vir ipsum perdidit, qui hoc acceperat ad tutelam. vir autem si feudum resignet, aut per sententiam perdat, hoc non præjudicat mulieri, quia ipsa est feudi possessor. Ipse etiam nihil potest conferre alteri de feudo jam dicto præter assensum mulieris. quod sibi de collato vacaverit, & quod sibi per sententiam fuerit abjudicatum, hoc vacat mulieri & non Domino nec viro, qui hoc cum ipsa recepit.

16. Vir idem potest cum voluntate uxoris feudum de futuro conferre in bonis antea collatis, & quicquid vacabit: & ambo solum plenum jus feudale obtinent in his bonis, quæ compositis manibus receperunt, ipse feudum & bellicum scutum, & ipsa idem feudum & possessionem.

17. Qui modos infeudationis plures dixerit, quam supra scriptos in feudo cuicunque collato, maledicit, utrum dominus fuerit, vel vasallus.

Cap. XXX.

De feudo de futuro, & de possessione.

1. Si viro vel mulieri conferat dominus feudum de futuro, & possessor postea moriatur, possessio postea devolvitur in obitu ad illum, ad quem feudum pertinet de futuro.

2. Illius etiam, cujus fuerat de futuro jam factum est feudum de præsenti, qui possessor obiit absq; hærede. Quod si dominus sibi negaverit, oportebit ipsum probare infra terminum suum per testes duos domini vasallos, qui præsentes aderant audientes & videntes, quod dominus hoc feudum sibi contulit de futuro.

3. Si possessor absque hærede decedat, licet domino sibi feudum vendicare, si non reminiscitur se feudum de futuro in his bonis alteri contuliſſe.

4. Si vero præveniat dominum feudum occupando, cui expectatio seu feudum de futuro collatum fuerat, non delinquit, dummodo pro feudo stat, & jus suum erga Dominum expediat, cum ipsum super hoc inculpaverit, aut terminum posuerit ad judicium feudale. Terminum anni in hoc non expectat, quia sicut ipsum prorogat feudum repetendo, sic Dominus abbreviat justitiam exhibendo.

5. Si moriatur dominus aut feudum resignet, quod tenet vasallus infra terminum, quo per obitum hujusmodi bona veniunt ad vasallum, & ipse petere à domino investiri, bona sua sequantur ad alium dominum, ad quem fuerit per justitiam assignatus, non quod de futuro, sed sicut verum feudum, sed primo offerat domino feudum suum testibus obtinere.

6. Si dominus hoc sibi denegat contra jus, tunc vasallus idem feudum per justitiam obtinebit & justam sequelam.

7. Si resignatum fuerit feudum tempore possessoris, & juste & debite ad alium fuerit assignatum, cui dominus contulerat ipsum, aut ab ipso recipit ipsum feudum, omnes infeudationes de futuro fractæ sunt, quas dominus fecerat in eodem.

Cap. XXXI.

De subita infeudatione & de sequela.

1. Puer potest puero feudum conferre, & quod vacat infra annos pueriles. Siis qui confert dominus feudum receperit à domino in vacatione non est sequela si moriatur dominus, qui contulerit ipsum.

2. In vasallo vasalli recipit dominus feudum, cum vacat, sicut proprium dum ambo pueri infra annos fuerint pueriles.

3. Lecto affixus si feudum subito conferat, oportet domino pœnam ex olveres, & oportet per jus infra sex hebdomadas feudum infringere, sic collatum, vel idem, sibi abjudicabitur de jure.

4. Subita infeudatio dicitur, quam quis confert in desperatione vitæ infirmitate detentus, aut cum voluerit terram exire, & si convaluerit aut redierit, ipsum feudum repetat & infringat. Qui talitter feudum alienat, contra Deum facit & contra jus, & est contra suam fidem, quia ipse astrictus est fidem servare domino & favorem, & confert quod suum non est: imo quod domini vel alterius per mortem suam, quia dicto feudo carere non vult dum vivit.

5. Si pacteur quis alteri feudum resignare, qui ipsum ab eo recipere non curat, & ipse sibi possessionem dimittit, & hinc feudum prædictum hominibus illius pro ejus confert voluntate, ut ipsi feudum

dum retineant ad indebitam illi possessionem confirmandam, & dominus ipsum contra vasallum culpaverit justo modo, quod feudum sic contulerit, & quod ille fateatur qui feudum perdidit sic collatum, quia possessionem concessit illi, qui feudum non habuit in eodem, & est similiter si recognoverit vasallis feudum suum dicerat alteri domino pertinere.

6. Si tribus vicibus super hoc fuerit conventus per jus feudale, in quo non apparerat ipsum feudum abjudicabitur ei, nisi se extrahat infra sex hebdomadas, & nisi jus exhibeat super illo et abjudicabitur omnis actio repetendi, & hoc quia possessione caret, quam etiam nemo abjudicatus recepit. hoc tamen do taliter investiti nullam in eo obtinent sequelam, quia possessione carent, & nemo ab ea ipsum suscepit.

7. Omne feudum absque hærede caret sequela, & omnis infeudatio absque possessione est injusta, nisi utriusque possideat unus, utrumque judicatur injustum.

8. Si dicant vasalli se dictum feudum possidere, hoc oportebit ipsos probare cum multitudine majori circumsedentium erga dominum altiorem post istam inculpationem, ex quo dominio suo jus fuerit infirmatum.

9. Si diffidatur vasallus se feudum taliter contulisse se juramento proprio expurgabit, & infra sex hebdomadas suos vasallos per jus compellet feudum dictum recipere in suam possessionem, durante compositione vel judicio qui feudum sic obtinuit non collatum. Quod si non fecerit infra terminum competentem, præstitum sibi non proderit sacramentum, quin feudum sibi per judicium auferatur, nec ipsum contingat per indebitam violentiam præpediri, & hæc querela debita prosequatur.

10. In justa possessione residens absque infeudatione, si per hoc tueri velit, quod hæc bona dicat sibi censualia, hoc etiam fateatur his ad quem defert.

11. Sciendum est, quod castra vel loca foralia aut judicia, aut bona vasallorum nemo potest efficere censualia, maxime suo pari vel superse celsiori, ita quod hoc oporteat sustinere, dominum aut homines, aut vasallos, in quos dictum judicium, aut servitium provulgatur.

12. Molendina vero & monetas, & quicunque thelonea & curias, & alia bona censualia jam locata non licet denuo locare propensione majori, ita quod oporteat hoc sustinere.

13. Qui bona censualia juste voluerit possidere propriis servientibus & expensis, ipsa sicut expedit elaboret. Si autem exposuerit ipsa pro censu simili vel majori, ipse censualis injustus quo ad hoc bona censetur.

14. Feudum in judicio non licet clerico aut mulieri, aut his qui sine jure sunt possidere.

15. Nemini licet judicare priusquam judicandi receperit potestatem. ipsam autem cum simul acceperit, si moratur dominus, aut relignet, licet ei judicare infra terminum, in quo oportet ipsum de novo infeudare.

Cap. XXXII.

De procuratione & multiplici jure feudali.

1. Procurator Domini non potest res ejus per possessionem, quam sibi feudarias, vendicare, quia Dominus suus sibi tradidit omnia procuranda. Si vero Dominus sibi feudum contulerit, quod postea non fatetur, ipsum oportet hoc testimonio approbari his, qui hoc viderunt, & audierunt, tanquam qui possessione caret & non potest ipsum feudum ad alium sequi Dominum, nec in filium hæredare.

2. Infra procurationem quodcunque feudum absque homagio conferatur, rectum feudum non debet vocari, sicut quod ministeriale sine homagio confertur in jure curiali, inde tenebitur Dominus in obsequio jure curiali, & non jure feudali. In jure curiali debet esse quisquis ministerialis innatus, aut Dapifer, aut Pincerna, aut Marscalcus, aut Camerarius. Propter multiplicem juris curialis differentiam, nihil plus inde loquar, quia sub quibuslibet Episcopis, Abbatibus & Abbatissis ministeriales ipsorum jus sibi vendicant speciale.

3. Homagium offerendo debet quisque à domino petere investiri, licet ante ea homagium fecerit eidem. Si negaverit dominus ejus homagium recepisse, hoc oportebit suo sacramento probare, & reliquias, in quibus juret acquirere pro qualibet culpa.

4. Pœna digna potest dominus suum vasallum ad feudale judicium citare ante meridiem.

5. Et extra dies feriatos licet Domino feudale judicium inchoare in omni loco: Ecclesia & cæmiterium excipiuntur.

6. Cum hoc Dominus facere voluerit, ab uno de vasallis sententiam quærat, duobus, vel pluribus, utrum valeat vasallum in feudali jure judicare super sua querela. Quæ sententia cum data fuerit & probata, tunc assignet dominus terminum vasallo, & ipsum diem vel post sex proxime sequentes ad duas hebdomadas & locum certum, villam scilicet aut curiam, quæ domini sit, aut ab eo in feudum collata. Si quærit à domino vasallus, ubi sita sit curia vel villa nominata, dominus hoc sibi tenebitur intimare, eo quod multæ villæ à se distantes simili nomine quandoque nuncupantur.

7. Si feudum, quo à domino vestitus vasallus ad regem pertineat, dominus ei terminum assignet in villa regis similiter pertinente.

8. Si proprium Dominum habeat in feudo, in proprio ei terminus assignetur. Si proprium feudo tenuerit vasallus, quod est feudum Domini, terminum sibi potest fingere in quolibet feudo non justo. quando dominus vasallum taliter citet ad judicium feudale, vasallus præsentibus præcipere debet,

bet, quod ad indictum judicium veniant ut tenentur. qui autem non venerit, domino condemnabitur in pœna, si se impedimento legali non valeat excusare.

9. Culpabilis non erit vasallus, si ante meridiem venerit ad judicium, licet ipsum ante fuerit inchoatum. pœnam etiam acquirit Dominus in citato in præsentia sua per sententiam, si ad terminum non venerit hora debita, nisi se exceptione prædicta excuset. Pro pœna solvenda debet dominus respectum habere ad feudum, quod tenet vasallus ab eo. Censualis autem non debet pro domino altius impignorare, quam se extendat census ejus unius anni adhuc non solutus. si pignora pœnam valentia dominus in feudo non valeat invenire, extunc feudum teneatur impignorare. Quod si vasallus infra annum & diem non expediat, ipsum sibi per sententiam abjudicabitur.

10. Si præsens fuerit vasallus, ubi sibi dominus judicium & terminum indicit, & ita sit vicinus seu propinquus domino, quod verba ejus audire valeat & non velit. Si etiam aures obstruxerit, per hoc non poterit judicium evitare. Si præsens non fuerit vasallus, cum citatur, citari debet per nuncium domini ad minus coram duobus vasallis. & sibi loquatur nuncius si poterit. Si autem extunc in curia sua denunciet, ubi intrando & exeundo nosci tur habitare. Quod si non valeat inveniri, nec talem habeat mansionem, citatio prædicta fiat in feudo, quod ipse tenet à domino per duas hebdomadas ante terminum, ad quem terminum dominus adducere debet ad minus sex vasallos, & unum qui citatum advocet, ut ad judicium veniat.

11. Et cum dominus voluerit judicare, primo quærat in sententia, utrum sit hora judicandi. quod cum inventum fuerit, iterum quærat, utrum sibi liceat unum de vasallis accipere, qui verbum suum proferat in judicio feudali. qua inventa quærat à vasallis, utrum ipsum approbent an non.

12. Si sententiam vasalli nesciant invenire, duarum hebdomadarum ad inveniendam sententiam inducias obtinebunt. dummodo facto sacramento quilibet confirmet, qui nesciat sententiam invenire, cum fuerit requisitus. hoc completo judicium feudale differtur, & tunc oportet sententiam invenire.

13. Nullas inducias potest dominus pro suo placito conferre contra voluntatem actoris, nec etiam præter assensum in judicio respondentis.

14. Si super alia causa vasallum dominus voluerit inculpare, causa prima per sententiam dilata, respondere de jure non tenetur vasallus, donec prima causa per sententiam fuerit terminata.

15. Post solis occasum, ex quo finitur dies, non tenetur vasallus domino respondere in jure feudali, nec cæteri vasalli sententiam invenire.

16. Si causa domini non fuerit jure finita, licet ei terminum alium per sententiam inculpato per duas hebdomadas assignare.

17. Incepto judicio ante meridiem, postquam dominus advocatum per sententiam acquisivit, iterum quæret in sententia, utrum de jure debeat citatum facere vocari. qua inventa, quærat iterum, qualiter eum debeat vocare; talis ergo detur sententia, quod vocari debeat per unum hominem domini in fine curiæ, in qua dominus residerat in judicio, & hoc audientibus duobus vasallis.

18. Qui vocat citatum, his verbis utatur: Ego voco ad judicium talem coram domino meo. N. nomine, semel, bis, ter, quater, pro tali causa, pro qua in isto loco hodie est sibi terminus assignatus. qui si non compareat, nuncius ad dominum rediens hoc præferat in commun: Domine, citatus non comparuit, nec aliquis qui ejus impedimentum proponeret justo modo. Quo facto quærat dominus in sententia, quid super hoc justum fuerit. Tunc dabitur sententia, quod secundo vocetur & tertio. hoc fieri poterit per nuncium qualemcunque. Totiens etiam oportet testes habere super vocatione triplici speciales. Cum tertio fuerit citatus, & non comparet, tunc quærat dominus in sententia, quid justum fuerit super hoc facto. tum dabitur sententia, quod eum expectet, donec sol descendat, hoc est, ad meridiem. Iterum quærat dominus in sententia, utrum eum expectaverit, sicut jus expetit feudale. Qua inventa, alium sibi terminum dominus assigner, & ibi ipsum taliter expecter, sicut in primo. Hoc etiam faciet tertio. Quemcunque horum dominus neglexerit terminorum, & vasallum secundum jus non fuerit prosecutus, totum jus suum perdidit in causa inchoata. primus terminus & citatio debet vasallo indici, ut prædictum est, & alius nullus.

19. In curia ferata vel sub tecto non licet domino feudali judicio præsidere.

20. Cum in tertio termino dominus vasallum expectaverit usque ad solis recursum, hoc est, post meridiem, quærat in sententia, quid sit justum in hoc facto. tunc sibi dabitur in jure, quod quemlibet terminum probare debeat per duorum vasallorum juramentum. Testes autem in hæc verba debent jurare: Domine, ego me obligo per vestram gratiam & fidem, quam vobis teneor, quod talem ad locum istum more debito citastis, & ipsum in loco hic secundum jus feudale expectastis. hoc vidi & audivi, & super hoc testis sum vester. post tale cujuslibet juramentum, debet dominus in sententia quærere, utrum hic taliter juraverit, quod ipsi Domino in jure debeat subvenire. postquam testis per gratiam Domini dixerit, quod scit & vidit & audivit, aut etiam quod nihil inde sciat ad plus dicendum aut affirmandum, non debet ad plus coarctari, nec etiam interrogari. Licet domino quemcunque & à quocunque de suis hominibus voluerit super testimonio inquirere veritatem, donec sibi testes sufficiant, quando Dominus suam sic probaverit intentionem prosequendo causam, tunc quærat, quid super hoc justum fuerit, quod totiens ad causam vocatus non comparuit responsurus. tunc dabitur in sententia, quod quicquid à domino possideat, sibi per sententiam auferatur. Tunc iterum quærat per sententiam, utrum ipsum hoc facere debeat aut vasallus. Tunc dabitur in sententia, quod vasallus. tunc ille verbis talibus eloquatur, sicut per sententiam inventum est: Ego tali N. nomine abju-

dico omnia, quæ à domino meo habebat in feudo usque ad præsens. Tunc quærat dominus, quid de feudo facere debeat, quod sic abjudicatum sit vasallo. Dabitur ergo in sententia, quod dictum feudum sibi vendicet, aut per suum nuncium præsentibus duobus suis vasallis, & teneat ipsum per annum & diem absque utilitate & pensione. Quod si vasallus non extrahat infra annum & diem, & tunc sibi abjudicabitur omnis actio in feudo memorato. dominus vero se debet intromittere de bonis vasallo abjudicatis, ubicunque sint. Si mansi fuerint, aut villa quæ pertinet ad castrum, aut ad curiam, ex quo dominus sibi prædictam curiam appropriat, omnes mansos & possessiones castrales, quæ ad dictam curiam pertinent, sibi pariter vendicabit.

21. Abjudicatus feudo vasallus, si infra annum & diem ad dominum accesserit per jus suum feudum extractivus, si se dominus absconderit, vel in castro clauserit accessum denegans hoc petenti, si pares suos vicinos habeat, vasallus testetur, quod ad judicium libenter accederet si liceret. Tunc juramento extrahat feudum tanquam coram domino. Si vero venerit ante dominum, primo postulet advocatum, deinde reliquias, & eum qui sibi indicet juramentum, ut feudum extrahat. Quod si sibi deneget dominus, statim proprias habeat reliquias, & juret absque judicante, quod bona sibi taliter nunquam fuerint abjudicata, quod eis de jure carere debeat. Ita cum Deus adjuvet & ejus sancti. hoc autem facere non debet, nisi prius sibi dominus justitiam deneget coram suis vasallis. Si feudum extrahat sibi absque sententia, Dominus potest sibi feudum, & absque sententia judicium judicare. Si etiam per sententiam judicet vel terminet, & si etiam per sententiam est citatus, ad quem terminum si non venerit, omnis sibi actio in bonis dictis per sententiam auferetur.

Cap. XXXIII.

De eo qui negligit terminum & responsionem.

1. Si respondere nolit dominus vasallo, aut vasallus domino in primo, secundo & tertio termino, in quo judicium feudale per sententiam fuerit assignatum. Quicunque ipsorum ad terminum non accesserit, convictus est in pœna, atque perdidit postulatum. Et qui prius aderit, juste obtinet quod petivit.

2. Qua die vasallus domino strepam tenuerit in ascensu vel in descensu equi, vel sententiam invenerit, vel munus obtulerit, aut alio modo honoraverit, in ipsa die non tenetur coram domino jure astare feudali.

3. Licet tamen domino causam dirimere duorum idem feudum repetentium, & si unus sit in ejus obsequio sive ambo.

4. Abjudicatus feudo & ipsum extrahens coram domino, si terminus fuerit sibi assignatus, ad illum non licet aliquem adducere, præter quam domini vasallos. Si vero alios adduxerit quam prædictos, pœnam incurret pro quolibet speciali.

5. Antequam vasallus accedat ad dominum, gladium, cultellum & calcaria, pileum & mitram deponat, chirotheras & cappam exuat, & omnia arma à se removeat: quia si in his se neglexerit reus est pœna, annulos & fibulas, & omnia ferrea, rineas & barras, propter opinionem stultorum. Istud non dico de alio aliquo, ut propter hoc valeat multari, præter illum tantum, quem dominus pro causa propria taliter citavit ad terminum feudalem.

6. Ubi vasallus de domino conqueritur, si super hoc sibi terminus assignetur, in illo non tenebitur coram domino alicui apparere, quam alij vasalli.

7. Vasallus non tenetur domino, nec dominus vasallo, super damnis sibi invicem erogatis, antequam dominus illum reciperet in vasallum. Ex quo dominus judicium arripuerit & acceperit, advocatus interroget citatum, si taliter venerit, qui domino velit in feudali judicio respondere. super quo poterit vasallus interloqui, & se defendat per jus si poterit. Si autem sic dicat: Domine, ego huc ad hoc veni, ut justitiam retineam & exhibeam, in quantum de jure debeo, & non ultra. Tunc ipsum dominus super causa qualibet singulariter inculpet, & præcipiat, ut super qualibet causa juste respondeat, ut tenetur. Tunc ille postulet advocatum, & interlocutoriam, advocatus negatur illi, qui ad opposita inceperat domino respondere.

8. Reus in causa non dicitur respondisse, licet se absque advocato defenderit, ne respondeat ad objecta.

9. In omnibus causis quæri debet à clientulo, utrum in verba consentiat advocati, qui si in verbo deliquerit, clientulo non nocet si non consentit.

10. Dominus debet in sententia quærere, quid sit justum inter verba agentis & respondentis. Si quærat sententiam secundum propriam voluntatem, & non secundum jus, hoc vasallo non præjudicat.

11. Sententia primo petita, primo debet inveniri.

12. Manifeste loqui non licet clientulo in judicio feudali, sed tacite susurret in aure advocati.

13. Si consensum clientuli requirat dominus super verbis advocati, licet ei manifeste dicere, consentio vel non, vel etiam interloquium petere, & sententiam reprobare.

14. Qui petivit interloqui, cum redierit habito consilio respondere debet ad causam prius sibi oppositam, & provideri debet vel negare.

15. Si petierit interloquens pares suos vicinos à domino, ut secum exeant ad consilium, annuere debet dominus tribus exceptis, ut si moram faciat interloquendo, dominus ab illis quærere possit sententiam, ipsam ad judicium revocando, unus sententiam inveniet, & duo justam asserant sic inventam.

16. Reus

16. Reus quem vult advocatum accipit, & quos vult ad consilium tribus, ut dictum est, exceptis, excepto etiam domino advocato.

17. Nullus in pœnam incidit erga dominum, quin in qualibet se possit excipere juramento. tali tamen causa potest vasallum dominus inculpare, pro qua nec pœnam, nec emendam incurret.

18. Si imponit sibi dominus, quod aliquid ei dixerit, aut fecerit in contumeliam, aut pudorem, super hoc se excusando jurabit, aut incidet pœnam.

19. Si quis auferat uni feudum, quod à domino tenet, & hoc ipse domino non revelat, nec causam jure debito prosequatur, unde solvat pœnam domino.

20. Si exponat feudum vasallus sine licentia domini, dominus potest per sententiam ei præcipere, ut feudum redimat infra sex hebdomadas, quod si non fecerit, pœnam incurret.

21. Si intromittat se injuste de vicini feudo par vicinus, aut sibi fecerit contumeliam in verbis vel factis, dum eum scit in servitus domini occupatum, aut injuriam faciat his, qui ad feudum sunt innati vel ei, qui ipsum tenet in feudo ab eodem. Inde oportet eum pœnam solvere domino aut eximere se jurejurando.

22. Dominus tamen non tenetur vasallo coram altiori domino respondere, nisi prius sibi justitiam negaverit coram suis vasallis. Nec etiam suo censuali, nisi prius sibi justitiam negaverit coram suis censualibus.

23. Vasallus pœnam non incurret, si bona sua prosequitur querela, & hæc fuerit justa querulata, nisi defectum testibus patiatur.

24. Si vasallus in judicio feudali se tergat aut emungat nasum, aut singulter, aut tussitat, aut sternutat, aut stat in latere alio advocati, quam in primis, vel circumspiciat, aut muscas aut culices à se propellat, per hoc nullam pœnam incurret, licet hoc opinentur juris ignari.

Cap. XXXIV.

De pœna ac emenda vasallorum & principum erga regem.

1. Pœnæ vasalli sunt erga dominum decem libræ. Princeps autem feudi vexillo à rege investitus solvit eidem centum libras denariorum libralium illius monetæ, ubi pœna fuerit acquisita.

2. Libra autem continet viginti quatuor solidos.

3. Cujuslibet domini vasallus emendam recipit secundum meritum ortus sui. Quid autem fuerit cujuslibet pœna seu emenda, oportet quærin libro, qui loquitur de jure feudali vel provinciali.

4. Qui vero jus suum demeruit defectum in emenda innata sustinebit.

5. Emendam & pœnam debet solvere reus infra duas hebdomadas in proxima curia domini, ubi fuerint acquisitæ.

6. Non licet homini in judicio feudali sedere absque domini licentia, si stare non valeat, jaceat coram illo. Sed si super hoc dominus eum inculpet, oportebit eum sacramento probare, quod stare non potuit ulterius.

7. Tribus vicibus tantum in una die condemnatur domino vasallus in pœna.

8. Reus potest in qualibet causa tribus vicibus interloqui, & in consilio suo tandiu morari, quod tribus vicibus per sententiam revocetur, ita quod revocationem possit audire.

9. Infra curiam, ad quam ciratus est, habeat consilium & non extra.

10. Scuto carens bellico non potest sententiam habentis ipsum reprobare.

11. Qui dimidium habet mansum, & qui quinque solidos habet à domino annuatim, testis esse poterit, & sententiam reprobare. Qui hoc non habet, oportebit ipsum fidejussorem ponere cautionem, quod sententiam more & jure debito prosequatur, aut ipsam dimittat cum pœna debita & emenda. Fidejussor ejus nullus esse poterit, quin sit à domino infeudatus.

12. Qui domino sententiam invenit, quam alius non commendat, ille tenetur ad mandatum domini aliam invenire. illa vero, in quam plures consenserunt, prævalebit: & inventor alterius sine pœna remanet & emenda, quia nullam sententiam reprobavit.

13. Qui sententiam reprobat, si à domino inculpetur, quod non zelo justitiæ, sed causa dilectionis hoc fecerit, oportebit ipsum jurando se expurgare, vel pœnam exolvere pro delicto.

14. Sic loquatur sententiam reprobans: si vocaris N. & si es N. domino meo & tuo, & mihi & tibi in jure feudali injustam sententiam invenisti, illam reprobo & hoc defero ad locum, ad quem debeo de jure deferre, & super hoc justam peto sententiam, ubi ipsam debeam de jure prosequi. Tunc dabitur sententia, quod coram domino altiore, à quo feudum tenetur, in judicio deducant, & ad hoc petat uterque nuncios, quos eis dominus præbere tenetur duos quos vult de suis vasallis ad hoc quod testentur, quis eorum sententiam obtineat aut quis amittat.

15. Dominus nuncios in expensis competentibus procurabit, panis & cerevisia dabitur abunde, & tria fercula in qualibet prandio, & ciffus vini, & eorum servientibus duo fercula. Equi eorum debent in anterioribus pedibus sufferrari & non retro. Cuilibet equo quinque manipulos avenæ intra diem & noctem, aut tritura tam in respectu manipulorum. Equi erunt 8. & 6. servientes, quatuor equites & duo pedites; & licet eis ducere pauciores & non plures.

16. Inter tridium debent iter accipere tam nunci quam inventor sententiæ, & qui ipsam taliter reprobavit, & debent infra sex hebdomadas sententiam reportare. Si dominus fuerit extra terram, ad quem ipsa sententia sunt transmissi, cum primo redierit in Theutonicam terram imperio subditam, & ipsis [illegible] detus innotescat, ab illa die infra sex hebdomadas debet sententiam expedire.

17. Tunc reus appareat, & ad objecta respondeat, sicut prima die. Si terminus ei fuerit legitime intimatus ipsi, aut in curia sua, ut scriptum est, aut in feudo, quod tenet à domino.]

Cap. XXXV.

De reprobata sententia, ubi debeat terminari & quando.

1. Si sententia fuerit reprobata super feudo, quod est domino proprium, ejus discussio defertur ad regem, quia ipse est judex constitutus super vitam cujuslibet, & proprium & feudum: imo omne jus tam provinciale quam feudale ab ipso sumit exordium, quoniam ipse scutum bellicum primum obtinet inter omnes.

2. Idem etiam servitium tenetur vasallus domino, si proprium ab eo habeat in feudo, quod exhibere tenetur de bonis imperij.

3. Si coram rege non posset vasallus in proprio feudum distinguere, tunc non licet eidem sententiam invenire, quoniam cum propriis est infeudatus, nec ei à quo bonis imperij utitur infeudatus, nec ille contra istum.

4. Si fuerit sententia reprobata super causa hominis ad judicium feudale citati, & feudum habuerit duplex vel triplex, ad quemcunque dominum altiorem major pars feudi ejus noscitur pertinere, coram illo debet dicta sententia terminari.

5. Si dies celebres, vel tempus feriatum impediant, quod sententia non valeat in præfinito termino terminari, his expletis infra sex hebdomadas terminetur.

6. Qui sententiam reprobat post assensum, & in executione defecerit, oportet emendam solvere inventori, & omnibus qui in sententiam consenserunt, nisi intet locutorium perierit ante assensum.

7. Dominus autem solam pœnam acquirit in hac causa, quia justum non est, quod quis in una causa pœna duplici vel triplici puniatur.

8. Qui vero in alio pacem infregerit in die festo, oportebit ipsum pœnæ duplici subjacere in causa una, unam solvet spiritualem, & aliam judici secularem: quia oportebit ipsum, antequam emendam recipiat, cavere, quod amodo causam non renovet sic sopitam.

9. Si duæ villæ super suis terminis seu limitibus invicem contendant, villæ circumjacentes convocentur, & suo testimonio faciant æquitatem, & quæ villa testes plures habuerit, & potiores terminos obtinebit. Si vero propter controversiam & discordiam vicinorum non valeat enodari, De judicio commendetur, ut præscriptum est.

Cap. XXXVI.

De triplici & speciali infeudatione.

1. Quicquid superius dictum est, totum ad commune jus pertinet feudale. Ad huc restat distinguere triplicem infeudationem, & in quo discrepent à communi.

2. Qui judicium à Rege recepit in feudum, illud inde inferius descendere non potest in manum quartam, excepto officio sculteti, quia nullus comes generali judicio poterit præsidere sine sculteto.

3. Nemo potest alteri judicium conferre, quod sibi ab alio in feudum collatum est, nisi sit speciale judicium, quod ad suam pertinet comitiam, quæ ad marchiam pertinet, vel ad feudi vexillum, hoc licet sibi conferre, & non licet sibi non collocatum in manu sua tenere per annum & diem, sicut nec Regi feudi vexillum.

4. Duo non possunt jus feudale in uno judicio possidere, potest autem dominus uni conferre de futuro in judicio, sicut in aliis bonis.

Cap. XXXVII.

De impotentia judicandi illegalium, & de sequela.

1. De jure non poterit judicare, quem Rex fecerit illegalem, nec etiam ille, cui judicium per sententiam est ablatum, dum ipse judicium sibi abjudicatum per justitiam non extraxit, nec quisquam super dictum judicium moritur, dum illud non recepit in feudum.

2. Qui proprium tenet in feudo, in illo non est sequela, illa tamen infeudatio extenditur ad manum septimam, sicut aliud feudum, quod est in bonis imperij, in quibus nemo potest alteri sequelam contradicere, nec jus feudi denegare, excepto domino altiore, cujus est feudum, licet eidem domino, qui feudum contulit ipsum recipere, dummodo vasallo restituant æquipollens, exceptis bonis imperij.

3. Si bona imperij ad ipsum redeant per decessum, an collata fuerint dominæ religiosæ, à sequela non poterit amoveri, qui dicta bona possidet infeudatus.

4. In feudo castri est feudum de futuro & pœnæ solutio sicut in aliis.

5. Feudum castri non potest castrensis alteri conferre. si autem hoc fecerit, hoc percepto dominus potest ei per sententiam imperare, quod infra sex hebdomadas castri feudum revocet sic collatum. Quod si non fecerit, castri feudo privari valebit.

6. Si moritur castrensis ante feudi revocationem, talis feudi possessor feudum sequatur ad castri dominum infra annum & diem, dummodo probare valeat suum jus in jure feudali. Jurare autem oportebit ipsum, quod nescivit castri feudum in feudo sibi collato contineri.

7. Dominus etiam non potest feudum suorum vasallorum altiori domino assignare, ita quod illud denuo recipiat ab eo in castri feudum. Quod si contra jus fecerit, ipsi à domino superiori suis foedis postulent investiri, vel assignationem ad illum, qui ipsos valeat investire.

Cap.

CAP. XXXVIII.

De feudo & judicio castrensi, & de vexilli feudo.

1. Si moriatur vir uxore prægnante, & si feudum de futuro alteri sit collatum, ille cum feudo resideat, donec mulier pariat filium, qui nulli poterit infringere feudum de futuro, nisi fuerit unicus natus, & vivat post mortem patris.

2. Si castrum integrum dominus conferat alteri, aut illud resignet suo imperio Castrenses non tenentur castri feudum sequi ad illum, sed ipsum obtinebunt pro recto feudo ab illo, à quo primitus habuerunt, aut sequi debent illud pro recto feudo ad illum, cui castrum dominus resignavit. Ædificia vero eorum ipsis debent persolvi, si in castro noluerint residere.

3. Castri feudum potest per descensum ad dominum redire, & ipse in eo obtinet jus prænæ, sicut in alia solutione vel feudo.

4. Si Castrensis sui castri feudum confert alteri, ipse jure feudali hoc non valet infringere, ille autem carebit sequela, nisi taliter accidat, ut est præscriptum. Castrensis sequitur castri feudum & ipsum hæredat in filiū licet castrum & feudū fuit proprium domino, qui sibi feudum contulit jam prædictum.

5. Licet castri feudum de bonis imperij conferre, quamvis ipsum castrum sit proprium.

6. Castrensis vero non tenetur cum domino curiam superioris adire de castri feudo, nec etiam ipsi in expeditione servire, sed in castro tantummodo residere, & ipsum defendere, ne perdatur, & in jure castrensi domino suo sententias invenire. Judicio castrensi nusquam debet dominus præsidere, nisi tantum in castris, ubi non potest testis fieri aliquis aut sententiam invenire, nisi sit castri feudo investitus. Similiter etiam non potest contra castrensem testari, nec sententiam invenire justo feudo infeudatus, nec is contra illum in alio quolibet feudo, excepto castrensi, potest quisque in scuto bellico perfectus testari & sententias invenire, præterquam contra feudi vexillum.

7. Princeps autem bene potest testari & sententias invenire contra quemlibet hominum imperij.

8. Princeps tali nomine censetur, eo quod habet feudi vexillum, de quo ipse Princeps dicitur & habetur.

9. Nullus ab eo debet recipere, cum illud alius ab eo receperit, qui confert. taliter investitus non est primus in feudo, & ideo non debet princeps appellari.

10. Qui possider feudi vexillū, & est Princeps, nullū laicum debet habere dominum præter regem.

11. In feudo cujuslibet Principis, excepto vexilli feudo, potest quilibet à suo domino infeudatus, & in scuto bellico perfectus invenire sententias & testari.

12. Nemo potest in feudali judicio negare sententias invenire, testem fieri, & advocatum dominus contra vasallum, nec vasallus contra dominum, nec cognatus contra cognatum.

CAP. XXXIX.

De judicio in Castrensi feudo & justo feudo.

1. Rex potest citare principem suum, literis sigillatis ad sex hebdomadas in locum certum ad jus feudale. Nullam curiam oportet ipsum in literis assignare, quia ubi rex judicat in aperto, ibi est curia sua.

2. Potest etiam infra tempus feriatum in omni loco, exceptis Ecclesia & cæmiterio, feudali judicio præsidere.

3. Portæ castri aperte debent esse, ubi dominus judicat in jure castrensi.

4. Nemo cogitur infra parietes obseratos, & sub tecto sententiam invenire.

5. Pro tribus causis tantum potest dominus citare castrensem ad judicium: si erga ipsum exciterit infidelis, aut castro, in quo residet jure debito non assistit, aut si castrensis adversus illum conquiratur super castri feudo.

6. Si pro prædictis citet dominus castrensem, ipse sibi loquatur vel ejus nuncius ore ad os, vel in curia sua citetur coram duobus castrensibus, tunc ipsum prosequatur judicio castrensi absque curia determinata, sicut instruit jus feudale.

7. Si abjudicet dominus castrensi suo castri feudum, hoc debet extrahere infra sex hebdomadas, aut omnis actio reperendi sibi per judicium denegatur.

8. Si cum familia recedat castrensis à castro, & si dominus præcipiat aut in curia sua coram duobus castrensibus, ut redeat ad præsidium infra sex hebdomadas, quod si non redeat infra dictum terminum, castri feudum abjudicatur eidem, nisi impedimento legitimo excusetur.

9. Si rediens infra sex hebdomadas sola nocte moretur in castro, castri feudum sibi non potest familia sine licentia domini.

10. Justum feudum & castri feudum potest quis simul recipere, dummodo super hoc uterque testes habeat speciales.

11. Si per violentiam destruatur castrum, aut per sententiam propter pacis violentiam, in quo facto innocens sit castrensis, propter hoc castri feudo non carebit, donec rædificatur muro vel plancis, aut etiam sæpe & donec porta seretur. Tamen rædificare non licet castrum, quod per sententiam destruitur.

12. Si castrum vel castri feudum eidem non pertineant potestari, & postea domino vacaverint sigillatim, ita quod castri feudum sequeretur ab ipso, castrenses castri feudum sequantur ad illum, cui pertinet, quia in feudum justum eis vertitur, postquam à residentia in castro carcere liberantur.

13. Si castrensi dominus contradicat castri feudum, sit ei justum feudum, cui ejus custodia in castro, & illud sequatur ad dominum altiorem, sicut prædictum est, & sibi hoc debitum persolvatur.

14. Nemo potest justum feudum obtinere, in quo dominus janitorem & vigiles propriis procurat expensis.

Cap. XL.

De bonis per dominum hospiti locatis in feudum.

1. Si conferat dominus feudum, cui sunt innati homines censuales, aut suis expensis bona invexit censualia, ita quod annualem sibi debent pensionem, illa poterit sibi dominus retinere, ut ipsa capiat feudum conferendo.

2. Si bona fuerint libera, ad quæ nullus est innatus, & hæc dominus locaverit hospiti. Si quis ab illo servitium exigat, aut petitionem, aut exactionem, aut expeditionem, aut hospitium injustum: ejus eidem, quia nihil aliis de bonis illis tenetur impendere, quam quod domino suo promisit in pacto. Judicio autem & synodo tenebitur interesse.

3. Qui bona tenet in possessione absque infeudatione nomine tutelæ uxoris aut pueri, aut si dimittat frater fratri, bona taliter possidere absque scitu domini & consensu, & infeudatus interim non natur & talis possessor suum dicit esse feudum, hoc non poterit ipse juramento obtinere, sed oportebit testibus hoc probare.

4. Si is qui hoc feudum habuit de futuro, aut ille cui vacat dictum feudum probare offerat, quod qui decessit, illud usque ad mortem possidebat.

5. Possessionem feudi debet actor probare cum domini sex vasallis: nudam vero possessionem probet actor, adjunctis sibi sex testibus irreprehensibilibus, quicunque sint.

6. Bonum est, quod aliquus amicus mulieris feudum recipiat, cum ipsa ad hoc si dominus moratur & mulier sequi feudum non valeat ad alium eo quod scuto caret bellico. Sic infeudatus feudum sequatur, cum sit in dicto scuto perfectus.

7. Inter hos duos, qui alium supervixerit, jus feudale retinet. in illis bonis erga dominum, qui sibi contulit hoc feudum. Si ad manum mulieris, id est, nomine ejus hoc feudum receperit amicus, ipse post mortem illius nullum jus poterit obtinere in feudo sic recepto.

8. Si hoc feudum ad alium dominum devoluatur, & ipsum his ambobus conferat, sicut de jure tenetur, & ambo in eodem jus obtinent feudale, dum illud ita tenebunt a secundo, sicut tenuerunt a primo.

9. Si contradicat dominus sequelam mulieri, & hoc conferat soli viro, ipse plenum jus obtinebit in illo ad conferendum vel resignandum ex mulieris consensu, qua ipsa cum eo residet in possessione. & hoc feudum potest idem amicus in filium hæredare. Si bona quæ mulier possidet, aut alius scuto carens bellico dominus sibi indicat vacare post mortem vasalli, & mulier se asserat hoc ab alio tenere adhuc vivente. Si vivens edicta bona tutetur secundum jus feudale, mulier eadem bona obtinebit.

Cap. XLI.

De vasalli debito, & de spolio vasalli per dominum facto.

1. Licet dominum vasallo invadere pro debito, & de ipso coram judicio conqueri super causa, in qua sibi coram vasallis justitiam denegavit, si hoc valeat per testes probare.

2. Si spoliet dominus vasallum super hoc potest, & pro qualibet violentia vasallus de domino conqueri in judicio provinciali. Licet etiam ei a domino se defendere, & ad hoc non oportet ipsum feudum resignare, si coram vasallis de domino tantum fuerit conquestus, quod ei dominus justitiam denegaverit.

3. Si vasallus domino contradicat feudum, quod ab ipso tenuit, hoc vacat domino. Si etiam vasallum dominus diffidat inimicitias ei denunciando, dominus feudum perdidit, quod ille tenebat ab ipso, nisi sit proprium domino, & ille sequatur ad dominum altiorem feudum, sicut liber dicit.

4. Si sic domino proprium, ut Ecclesiæ pertineat, ubi non valeat pervenire, vasallus teneat feudum absque servitio usque ad finem vitæ suæ, & hæredat in filium, & alium potest infeudare, si dominus eum diffidat & non ipse eum. Qui resignat domino feudum, aut contradicit eidem, aut sibi feudum adjudicetur quod a domino tenet, carebit quolibet de feudo futuro, quo fuerat investitus simul cum feudo, quod a domino recepit seu tenebat.

5. Dominus non debet vasallo contradicere, nec vasallus domino, nisi ore ad os, & postea neuter debet alteri nocere infra diem & noctem.

6. Si petit vasallus a domino conductum venienti & recedenti, ut sibi contradicat, dominus tenetur sibi conductum procurare securum. Si dominus injuste sibi denegat conductum, tunc licet vasallo sibi contradicere in domo domini proxima vel curia, ita quod hoc audiant curiam inhabitantes, aut sibi contradicat, ubi prælati seu magnates terræ conveniunt ad judicium, & in eodem loco habet feudum suum resigner. Super hoc facto habeat duos vasallos in testes, si fuerit necesse, & non debet domino nocere infra sex hebdomadas, nec dominus vasallo, si sibi taliter contradicit. Si negare velit vasallus, quia domino contradixerit, in hoc se potius expurgabit, quam dominus ipsum convincere possit, nisi sibi hoc fecerit in facie, & nisi dominus feudum quod ab ipso tenuit, concessit alteri præsentia ipsius.

7. Si feudum abjudicatum extrahat vasallus erga dominum, ipse per consequens extraxit omne feudum de futuro, quod sibi fuerat a domino collatum.

S. Si

8. Si denuo investiret dominus vasallum feudo, quo jure fuerat abjudicatus, ipse nihil habet in feudo de futuro, quod prius à domino tenuit, nisi illud iterum recipiat secundum jus talis feudi.

6 Feudum in villa ad Sculteriam collatum haeredat Sculetus in suum filium quamvis careat scuto bellico, & sequitur ipsum ad alium dominum, & non potest illud alteri conferre, & potest cum eodem feudo assignari domino inferiori, & non potest sibi recusare aliquem dominum assignatum, utrum fuerit vir vel mulier, de hoc feudo non potest idem testis esse aut sententiam invenire contra honunem in scuto bellico perfectum.

Cap. XLII.

De termino & cessatione feudi.

1. Omne jus feudale jam ad finem deduxi. Quidam tamen dicunt, quod plures sint infeudationes, quae in certo termino finiuntur, sicut feudum scuti, quod cum scuto cessabit, & feudum aedificii, quod cessat, cum possessor amplius non habitat in eodem. Istud totum est justum: Quia feudum à domino collatum debet stabiliter manere usque ad obitum investiti, nisi hoc sponte relinquat, aut per sententiam privetur eodem.

2. Justitia de facili posset omnibus exhiberi, si tot non essent & tanti qui eam injuriis opprimunt & pervertunt pro sua privata utilitate, & quod tunc pro jure offerunt. sed si ab alio illis hoc fieret pro summa injuria reputarent, quia nullus est ita injustus, nisi sibi incongruum videatur, si per injuriam condemnatur. & ideo pluribus oportet uti rationibus, antequam injuria per justitiam deprimatur.

3. Qui ad omnes causas quod justum est & verum loquitur, multos sibi cumulat inimicos. hoc probus quilibet parvipendat propter Deum, & proprium honorem. Liber iste non paucos habebit aemulos, quia omnes qui contra Deum & justitiam eriguntur, super manifestationem injuriae erubescunt confundi, & injustitiam palam venire quantum in eis est, minime patiuntur.

Cap. XLIII.

De eo quod dominus vasallum ad alios terminos evocare non poterit.

1. Infra terminum, quem constituit dominus vasallo sibi ad respondendum in judicio feudali, non potest eidem alium assignare super alia causa. Nec potest alius dominus ipsos vasallos infra terminum memoratum ad suum judicium evocare, quia ipsi in obsequio sunt regis, dum domino suo ex parte imperii assistunt ad judicium feudale celebrandum sicut ad eorum feuda pertinet. Hoc autem oportebit ipsos aut eorum nuncios jurejurando probare. Si autem regis expeditio vel curia ad judicium feudale citato per sententiam fuerit tempore debito nunciata, libet erit à judicio domini sui. quia oportunitas imperii ipsum compellit, si illud impedimentum fuerit in judicio feudali secundum jus probatum.

2. Judicium provinciale non potest quis evadere per obsequium imperii, quia oportebit ipsum ejus sententias adversum se sustinere, & in regis obsequio constitutum.

Cap. XLIV.

De eo qui à superiori domino postulat infeudationem.

1. Qui à domino superiore infeudationem postulat aut ostensionem, si eum ostenderit ad parem vicinum primi domini sui, ex quo vasallus haec primo percepetit infra annum & diem tali allignationi coram domino contradicat. & si dominus velit, oportet eum statim causam contradictionis ostendere. & si velit dominus, poterit ei terminum assignare coram suis vasallis semel & non saepius, nisi sententia ibi fuerit reprobata, aut dilatio per sententiam acquisita. Tunc enim oportebit vasallum fateri, utrum pro humili ortu aut pro homine inferiore, quod ipse fecerit aut pater ipsius aut avus, tunc quaerat dominus in sententia, utrum exceptionem fecerat, quae sibi valeat in jure prodesse. Si inventum fuerit, quod non oportebit eum ad alium dominum sequi feudum vel sententiam reprobare.

2. Si dicatur quod prodesse potest exceptio, dummodo testibus approbetur & ortus humilis sit in causa, hoc oportebit ipsum probare, adjunctis sibi sex testibus in jure suo perfectis, quicunque sint. si homagium factum sit inferiori ab eo vel à parte ejus aut avo, oportebit probare adjunctis sibi duobus testibus in scuto bellico perfectis, si sint vasalli ejusdem domini vel non. Si testes sint vasalli domini, tunc eos dominus adjurabit per fidem, quam sibi tenentur. quod si vasalli ejus non sint, tunc tactis sacrosanctis juraount, quomodo ipsum dominus alteri assignavit, qui est inferior primo domino in scuto bellico. Si accedens ille, contra quem juratur per sententiam, velit innocentiam declarare sui exceptione testimonium privatum dirimere, non valebit, si etiam offerat testibus hoc probare. quod sit par primo domino tam in ortu quam in scuto bellico, hoc non praejudicat ejus dominum declinandi, qua potius licet vasallo se & sua bona per testimonium eximere, quam domino licet testibus ipsum suo servitio mancipare. Qui sine testibus sententiam suam easser ostensione, licet domino illum secundo ostendere. Qui autem per testes cassaverit eandem hunc non licet domino assignare, sed oportet ipsum manu propria investire, quod vasallus non tenetur nisi semel tantum suum feudum erga dominum testibus obtinere.

IVS CAMERALE,

sive

Anno Christi 1604.

NOVISSIMI JVRIS COMPENDIVM, EX IMPERATORVM NOSTRORVM, CAROLI IV. FRIDERICI III. MAXIMILIANI I. CAROLI V. FERDINANDI, MAXIMILIANI II. & RVDOLPHI II. Augustorum, Novellis Constitutionibus, Ordinationibus, Recessibus Comitiorum, Deputationum & Visitationum, Memorialibus Visitationum, Decretis Visitatorum, Taxatis per Visitatores adprobatis, Bescheidis Communibus, à V. C. PETRO DENAISIO IC. & Adsessore Imperialis Cameræ Spirensis.

TIT. I.

De actorum confectione.

Imp. CAROLVS V. & FERDINANDVS Cæs. in Ordinatione Cameræ part. 2. tit. 31.

IN judiciis inferioribus vel agitor in scriptis, vel Acta omnia literarum monumentis sedulo consignantor.

TIT. II.

De actorum editione.

Imp. CAROLVS V. Aug. & FERDINANDVS Cæsar in Ordinat. Cameræ. part. 2. tit. 31.

1. Acta à judice vel scriba intra triginta dies ab interposita appellatione, instanter & oblata cautione solvendæ mercedis, petuntor : pretio justo citra moram communicantor.

2. Acta ne manca sed insertis procuratorum mandatis eduntor : alioqui sumptu Edentis, sine appellantis dispendio, supplentor.

3. Dies & hora latæ sententiæ, aliorumque gestorum non festis aut dominicis, sed numero cuique mensis designantor.

4. In charta non membrana scribuntor : vel non pluris quam in charta æstimantor.

5. Acta Gallicana primum Latine vertuntor, tum deinde sic versa eduntor.

IDEM Aug. & Cæs. in Ordinat. Cam. part. 2. tit. 8.

6. In spoliorum causis ex capite denegatæ vel protractæ justitiæ, à delegatis Ordinatione Judicibus ad Cameram devolutis, sumptu spoliatoris eduntor intra sex hebdomadas : vel eo nomine compulsorrales decernuntor

Imp. MAXIMILIANVS II. Aug. in Recessu Comitiorum Spirensium 1570.

7. Actorum editione omnia, quæ vel ante sententiam vel simul, posteave exhibita, decreta, gesta fuerint, plene continentor.

Imp. RVDOLPHVS II. Aug. in recessu Deputationis Spirensis 1603.

8. Actorum consuetæ alicubi extensiones, & insertiones inanium verborum, deinceps omittuntor : necessaria & ad rem pertinentia bono brevique ordine conscribuntor.

TIT

TIT. III.

De Actorum æstimatione.

Imp. CAROLVS V. Aug. FERDINANDVS Cæsar. in Ordin. Cameræ part. 2. tit. 31.

1. Acta ne supra quam par est, æstimantor, in calce pretium ad scriptum habento.

Imp. RVDOLPHVS II. Aug. in Taxatis Cameræ 1585.

2. Actorum singula folia binis ternisve cruciatis: Sigillatio floreno uno: Ligatura semissi: Latine conversorum actorum singula folia floreni quadrantibus æstimantor.
3. Rotvvilensia suæ ordinationis præscripto relinquuntor.

IDEM Aug. in Consultis Cameræ 1583.

4. Actorum taxationem, petentibus partibus Judice etiam inaudito Camera moderator: eoque nomine monitoria decernito.
5. A moderatione facta ne excipiente quidem contra eam Judice recedito: quod supra extortum fuerit, restituitor.

TIT. IV.

De actorum sumptibus.

Imp. MAXIMILIANVS II. Aug. in Recessu Comitiorum Augustanorum 1566.

1. Appellatus si appellationis beneficio communi & actis ab appellante redemtis peræque cum illo uti volet, de pretio expenso cum eo transigito: ni possit, Judicis æstimatio intercedito.

TIT. V.

De actorum exhibitione & publicatione.

Imp. CAROLVS V. Aug. & FERDINANDVS Cæs. in Ordinat. part. 3. tit. 31.

1. Acta obsignata edita, ab inferiore recta ad Cameræ Judicem perferuntor: ejusque jussu, Prothonotario præsente, illæsisque sigillis aperta, recipiuntor.
2. Cum aliis agendis simul, non seorsim sola producuntor.

TIT. VI.

De actorum completione.

Imp. FERDINANDVS Aug. in Recessu Deputationis Spirensis 1557.

1. Lectores aliis occupationibus vacuis Notariis in complendis actis adsunto, ne qua nisi complenda Tabulario inferantur providento.

Imp. RVDOLPHVS II. Aug. in Memoriali Judicis Cameræ & Adsessorum 1585.

2. Cancellariæ subinde ut conclusum fuerit, non ex intervallo demum cumulata confertimque redduntor.

IDEM Aug. in Consultis Cam. 1585.

3. In mensa decretis faciundis dicata mature collocantor: quæ referenda tradentur, in protocollorum marginibus producta omnia numeris designata habento.

IDEM Aug. in Mem. Jud. & Adss. 1586.

4. Dies & annus completionis, protocolli etiam margini adscribuntor.

TIT. VII.

De actorum copia seu communicatione.

Imp. CAROLVS V. Aug. & FERDINANDVS Cæs. in Ordinat. part. 1. tit. 59.

1. Protonotarii etiam citra judiciale decretum jussu tamen Judicis, omnium actorum copiam faciundi petentibus, facultatem habento.

Imp. FERDINANDVS Aug. in Præfecti Cancellariæ Memoriali 1562.

2. Acta fiscalia Adsessores inscio fisci notario, describenda ne sumunto.

Imp. MAXIMILIANVS II. Aug. in Procuratorum Memoriali 1575.

3. Procuratoribus Acta, Productave non nisi se præsentibus inspicienda, inque hus loca duntaxat necessaria [extra tamen ea quibus aliquid Referentium manu fuerit adnotatum,] legenda Lectores exhibento.

Imp.


image
not
available

23. Reo vel Appellato cessante aut renuente, pars altera sumptus facito, & taxatis postmodum expensis reciperato.

24. Hoc tam in concluſis jam causis quam porro concludendis fachitator: Ni fiat, Acta ex Archivo referendi causa ne promuntor.

25. Acta pauperum, quibus id casibus necessarium judicibus videbitur, in Cancellaria describi, cum vacabit, sumptu ærarii pauperum, jubentor: sic expensa ad memoriam consignantor, & à victoribus restituuntor.

TIT. IX.

De Actorum indicibus.

Imp. CAROLVS V. Aug. & FERDINANDVS Cæs. in Ordinat. part. 1. tit. 10.

1. Distributorum actorum duo Indices seu repertoria conficiuntor: alterum Judex, Lectores alterum habento. In his concluſionis distributionisque tempus & articuli submissi continentor.

TIT. X.

De Actorum custodia.

IDEM Aug. & Cæs. in Ord. part. 1. tit. 30.

1. Acta Cameræ judicialia in duas fornices seu conditoria reponuntor: uno causæ omnes quovis modo, extra viam Appellationis ad Cameram delatæ: altero causæ appellationum, quæque inde pendent, iisve accidunt, conduntor.

IDEM Aug. & Cæs. in Ord. part. 1. tit 24.

2. Eo procuratores, Substituti, Partes, alieni omnes ingrediendi jus ne habento: cum Lectoribus foris transigunto.

IDEM Aug. & Cæs. in Ordin. part. 1. tit. 15.

3. Acta Adsessores domi suæ diligenter à famulis & familiaribus custodiunto: ne Referentium nomina vel sententiæ necdum publicatæ vulgentur, cavento.

IDEM Aug. & Cæs. in Recess. Visitat. 1550.

4. Acta ad referendum accepta, ne quis hinc inde in Curia sparsa relinquito, sed penes se custodito: secus facientes Lectores ad Judicem deferunto, isque animadvertito.

Imp. FERDINANDVS Aug. in Mem 1556.

5. Confestim à distributione domum deportantor.

IDEM Aug. in Recess. Vis. 1556.

6. Domi secreta habentor: allegationes juris describi ex iis ne permittuntor.

IDEM Aug. in Recess. Dep. Spirens. 1557.

7. Famuli, si quid casu rescierint, silentio per jusjurandum adstringuntor.

IDEM Aug. in Cameral. Mem. 1557.

8. Acta colligata, ne soluta dilabantur, servantor.

9. Acta procuratorum superstitibus liberis impuberibus defunctorum, ne cui alii procuratori vel advocato in manus pervenire sinuntor.

IDEM Aug. in Præs. Mem. 1562.

10. Actorum fiscalium scrinia diligenter, ut clausa sint, præfectus tabulario curato.

TIT. XI.

De Actorum restitutione.

Imp. CAROLVS V. Aug. & FERDINANDVS, Cæs. in Ordinat. part. 1. tit. 13.

1. Acta nec dum relata, Archys nec inferuntor nec efferuntor Judice inconsulto.

Imp. FERDINANDVS Aug. in Mem. 1556,

2. Post relationem sine mora Lectoribus integra restituuntor.

IDEM Aug. in Mem. 1559.

3. Relatione finita acta Notario quam eorum expeditioni interfuerit, integra, simulque consilia ad ea pertinentia redduntor.

IDEM Aug. in Jud. & Cameral. Mem. 1560.

4. Obtenta à Lectoribus & inspecta acta, visis quæ scire intererat, confestim ad eos referuntor.

Imp. MAXIMILIANVS II. Aug. in Recessu Visitat. 1564.

5. Concepta citationum, mandatorum, processuum, Consilia item Adsessoribus adeunda, inspiciendaque data, suo quæque loco redduntor.

IDEM Aug. in Recessu Comit. Augustanor. 1566.

6. Lectores acta necdum expedita à Referentibus injussu Judicis ne recipiunto, neve petentibus, auctoritate propria adscribunto.

IDEM Aug. in Mem. 1569.

7. Acta sine detrimento, defectuque, uti quisque acceperit, ita restituito.

IDEM

IDEM Aug. & RUDOLPHUS Cæſ in Jud. & Adſ. Mem. 1576.

8. Ut correferentibus ſuperſit tempus legendis actis idoneum, Referentes ita ſe mature abſolvunto.

Imp. RVDOLPHVS V. Aug. in Jud. & Adſ. Mem. 1577.

9. Cui ob cauſæ patrocinium, vel partium propinquitatem, referendorum actorum jus non erit: acta ne recipito, neve ex intervallo, cauſæ meritis perveſtigatis, ſed confeſtim à ſe abdicato.

Imp. MAXIMILIANVS II. Aug. in Jud. & Adſ. Mem. 1574.

10. Heredibus procuratorum acta obtentu Salarii debiti detentantibus, Judex & Aſſeſſores operam danto, ne partibus plus æquo extorqueatur: ſed competenti laborum æſtimatione facta, ipſis vicißim acta reſtituantur.

TIT. XII.

De Adſeſſorum nominatione.

Imp. CAROLVS V. Aug. & FERDINANDVS Cæſar. in Ordinat. part. 1. tit. 1.

1. Adſeſſores Cameræ Cæſar ex Comitum vel Baronum ordine duos, duos ex Juriſconſultis & contemplatione provinciarum hereditariarum rotidem Nobiles: Electores, ſingulos; ſex circuli, binos æquato Nobilium & Doctorum numero nominanto

Imp. MAXIMILIANVS II. Aug. in Receſ. Comit. Spirenſ. 1566.

2. Adhæc Electores, duos; circuli, ſex inſuper alios nominandi jus habento.

IDEM Aug. in Receſ. Comit. Spirenſ. 1570.

3. His præterea Cæſar ex Comitibus vel Baronibus unum: Electores, duos: ſex circuli ſingulos, ſed admiſſis per vices Auſtria & Burgundia provinciis, adjungunto.

Imp. CAROLVS V. & FERDINANDVS Cæſ. in Ordin. part. 1. tit. 4.

4. Si quis Aſſeſſorium ſuo ſe munere abdicarit, deceſſerit ve, Judex id ei, ad quem tum nominatio pertinebit, denunciato: is intra ſextum menſem à die requiſitionis duos, vel tres alios nominato, citra ambitionem aut gratiam.

Imp. FERDINANDVS Aug. in Receſ. Viſitat. 1556.

5. Si ejuſdem circuli nulli extabunt idonei, ex proximo petuntor.

IDEM Aug. in Cam. Mem. 1557.

6. Denunciatio per tabellarium certum tranſmittitor: reſponſumque urgetor.

IDEM Aug. in Receſ. Dep. Spirenſ. 1557.

7. Electoribus ſuo commodo vel nobiles vel IC. nominare libertum eſto.

Imp. MAXIMILIANVS II. Aug. in Receſſu Viſitat. 1573.

8. Plures duobus aut tribus ſimul ne nominantor, neve ad examen admittuntor.

Imp. RVDOLPHVS II. Aug. in Receſſu Deputation. Spirenſis 1600.

9. Adſeſſores Cameræ nominantor homines idonei, iiſque ornamentis, quæ Ordinatio exigit, ita cumulati, ut primo ſtatim aditu operam utibilem conferre poſſint.

TIT. XIII.

De Adſeſſorum electione.

Imp. CAROLVS V. Aug. & FERDINANDVS Cæſ. in Ord. part. 1. tit. 4.

1. Ex his qui nominabuntur, Judex & Aſſeſſores maxime idoneum cooptanto: ſi videbuntur omnes inhabiles, alios intra tempus conſtitutũ depoſcunto; quo citra idoneam nominationem tranſacto, ipſi ejuſdem circuli quo de agitur origioarium, eve vicinia, quem videbitur, adſciſcunto: Hæc ſic citra, ſtrictè ſervantor.

2. Si unicus præſentabitur ſed idoneus: ejus eligendi jus poteſtaſque eſto.

IDEM Aug. & Cæſ. Ord. part. 1. tit. 3.

3. Si idonei Nobiles nec extabunt, Juriſconſultos in eorum locum ſufficere liceto.

Imp. FERDINANDVS Aug. in Receſſu Comit. Auguſtan. 1555.

4. Judex & Aſſeſſores omneſque adeo Camerales nulla Veteris Religionis, Confeſſioniſve Auguſtanæ facta diſtinctione promiſcue nominantor, deliguntorque.

IDEM Aug. in Receſ. Deputat. Spirenſ. 1557.

5. In his etiam qui adſumentur ex officio Adſeſſoribus, eadem utriuſque Religionis ratio habetor.

6. Duo Fratres alter in Adſeſſorum numerum, in Procuratorum alter, ne recipiuntor.

IDEM Aug. in Jud. & Adſ. Mem. 1557.

7. Oriundi ex eodem vel proximo Circulo, remotionibus anteponuntor.

IDEM Aug. in Jud & Adſ. Mem. 1562.

8. In Adſeſſorum electione nulla habita conſideratione vel ordinis vel Elogii in nominatione adhibiti, is qui digniſſimus habebitur, præferto.

Imp. MAXIMILIANVS II. Aug. in Receſſu Comit. Spirenſ. 1570.

9. De nominatis diligens inquiſitio præcedito: niſi explorata per relationem cauſæ concluſæ induſtria cujuſque in ſuffragium ne itor.

IDEM

IDEM Aug. in Recessii Comit. Ratisponens. 1576.

10. Si plures duobus vel tribus nominabuntur: qui primi se sistent, examinantor: ex his si quis idoneus erit, cooptator.

11. Alieni à prisca Religione vel Augustana Confessione, ne adsciscuntor.

Imp. RVDOLPHVS II. Aug. in Jud. & Adf. Mem. 1600.

12. Nominati Acta ad industriæ specimen referenda sibi tradita, solos, sine ope vel conscientia aliena perlecturos, relaturosque, fidem ante omnia, dextramque danto. Ab his qui examini interierunt, de causæ meritis, actorumve contentis quæ videbuntur, interrogantor. Relationes apud Acta conservantor, iisdemquoiterum vel tertio Adsessorum ambientibus, adeuntor: & cum Relationibus novorum competitorum conferuntor. Volentibus ex integro referre jus esto.

13. In creatione Adsessorum suffragia pure, non in eventum feruntor: si quid restabit scrupuli, iterato perquiruntor.

TIT. XIV.

De Adsessorum qualitatibus.

Imp. CAROLVS V. Aug. & FERDINANDVS Cæs. in Ordinat. part. 1. tit. 3.

1. Adsessores omnes honestæ vitæ & natalium sunto: in his comites maxime & Barones obeundis absentis vel impediti Judicis vicibus apti: reliqui è Jurisconsultis. Adsessores egregii, docti, periti, industrii, prudentes, Germani, Germanicarumque consuetudinum & referendarum causarum gnari sunto, quique vel jura docuerint publice, vel post quinquennii saltem Legum studium in praxi probe sint versati.

2. Nobilibus etsi Doctoratus titulo careant, at reliqua tamen eadem insunto.

3. Omnes vel vetustiorem Religionem vel Confessionem Augustanam profitentor: sectæ nulli adhærento: alioqui à Judice de consilio Adsessorum removentor.

4. A dissidiis utrumque contumeliisque abstinento: paci & concordiæ mutuæ studento.

TIT. XV.

De Adsessorum cultu.

Imp. CAROLVS V. Aug. & FERDINANDVS Cæs. in Ordin. part. 1. tit. 8.

1. Habitu honesto & decoro, reliquisque actionibus præ cæteris conspicui sunto: Memores tum suæ sortis, tum Imperii majestatis, cujus & locum tenent, & justitiæ præsunt.

Imp. FERDINANDVS Aug. in Mem. 1556.

2. In judicio cumprimis & Senatu, vestibus honestis decentibusque comparento.

Imp. MAXIMILIANVS II. Aug. in Jud. & Adf. Mem. 1570.

3. Adsessores, quandoquidem cum Judice una Cæsaris ordinumque in Imperio vicem gerunt, suntque perpetui & togati Imperii Senatores, cultu decenti & honoro utuntor: id quo magis hat Judex curato: contumaces eo usque dum Ordinationi satisfaciant, & Senatu & Stipendio arcentor.

Imp. RVDOLPHVS II. Aug. in Jud. & Adf. Mem. 1577.

4. Incomitati famulis in publicum ne progrediuntor.

TIT. XVI.

De Adsessorum munere.

Imp. CAROLVS V. Aug. & FERDINANDVS Cæs. in Ordinat. part. 1. tit. 6.

1. Soli judicio Cameræ vacanto, ab aliis negotiis, mercimoniis, advocationibus, consultationibus judiciorum litumque alienarum, penitus abstinento: à Cæsareis atque aliis commissionibus immunes sunto: à jure dicundo & recta officii ratione, nullo jurejurando, nulla obligatione avertuntor.

IDEM Aug. & Cæs. in Ord. part. 1. tit. 13.

2. Non ex proprio nudoque arbitrio, sive conscientia, sed legibus, constitutionibusque publicis & probatis consuetudinibus jus dicunto: idque æqualiter inter omnes, sine adfectu, vel fordibus dispertiuntor.

3. Nullis negotiis causarum Cameralium progressum remoraturis, in Senatu vel alibi occupantor: ut litigantium studio consulatur, summa ope nituntor.

4. Relationes attente audiunto: Sententias ne interrumpunto, aliud ne agunto.

5. In puncto horæ Senatus adsunto: nisi necessitate impediti, ceteris moram ne injiciunto.

6. Litigantibus vel liti ad fines, & rejectanei consensu collegii, causa facessunto: siu minus; conjunctionem procuratores Judici clanculum & opportune deteguntо.

IDEM Aug. & Cæs. in Ordin. part. 1. tit. 22.

7. Idem procuratores ex quavis justa suspicionis causa faciunto.

IDEM Aug. & Cæs. in Ord. part. 1. tit. 13.

8. Quas ante Adsessoratum causas alienas egerunt, deserunto: sin partibus cognatione vel arcta adfinitate juncti sint, consulendi porro facultatem habento.

9. In Senatu gesta, dicta, judicata æterno silentio teguntо: nulli injussu Cæsaris revelanto.

Imp. CAROLVS V. Aug. in Recessu Visitat. 1553.

10. Res proprias extra Senatus Judicive tempus curanto.

Imp. FERDINANDVS Aug. in Mem. 1556.

11. Suspicionis amoliendæ causa procuratorum familiaritatem nimiam, domesticamque consuetudinem vitanto.

12. Præmia emerita & honoraria à nemine capiunto: aut durante officio saltem resignanto.

13. Processus judicialis peritiam ipsi habento, non ab aliis mutuantor.

Imp. MAXIMILIANVS II. Aug. in Jud. & Adf. Mem. 1575.

14. Partes in Camera litigantes, domum inve familiam ne admittunto.

15. De literis contumeliosis vel minacibus ad collegium scriptis, querelam vel ad Cæsarem, vel scribentis magistratum deferunto: vel ipsi contra auctorem defensionem publice edunto.

TIT. XVII.

De Adsessorum resignatione.

Imp. CAROLVS V. Aug. & FERDINANDVS Cæs. in Ordinat. part. 1. tit. 4.

1. Officio abituri non nisi post sex menses à die resignationis abscedunto: sin præsto sit successor: suo arbitratu utuntor.

Imp. FERDINANDVS Aug. in Recessu Visitat. 1559.

2. Ea res officium ineuntibus, statim ab initio per Judicem, palam significator.

Imp. MAXIMILIANVS II. Aug. in Recess. Comit. Augustan. 1566.

3. Adsessores munere se suo ante sena expleta stipendia sine justis causis ne abdicanto: De causis Commissarii Cæs. & visitatores cognoscunto.

TIT. XVIII.

De Adsessorum remotione.

Imp. CAROLVS V. Aug. & FERDINANDVS Cæsar. in Ordinat. part. 1. tit. 5.

1. In relationibus & sententiis dicendis, atque alibi inepti, judicio collegii removentor, sed prius à Judice pauciſque Adsessoribus, post & frequenti Senatu muneris serio admonentor.

IDEM Aug. & Cæs. in Ordin. part. 1. tit. 13.

2. Male judicantes & pertinaces, singularitatisque studiosi, à ceterorum consertio excluduntor.

TIT. XIX.

De Adsessorum pœna.

Imp. CAROLVS V. Aug. & FERDINANDVS Cæs. in Ordinat. part. 1. tit. 7.

1. Præter licentiam absentibus stipendium pro temporis rata decedito, & adcrescito reliquis, quibus adcrevit & labor: contra hæc nullius gratia intercessiove valeto.

Imp. FERDINANDVS Aug. in Mem. 1556.

2. Serius in Senatum adventantium multa, bacius, vel bacio etiam major esto.

Imp. MAXIMILIANVS II. Aug. in Mem. 1571.

3. Ante mediam primam ad audientias non convenientes, bacio similiter puniuntor.

IDEM Aug. in Mem. 1572. 17. Maij.

4. Sententias suas dictare solitos Judex de Adsessorum consilio, ne visitatoribus consulendi durius ansa detur, arbitratie punito.

IDEM Aug. in Recess. Comit. Ratisponens. 1576.

5. Si quis Judici vicariove, in his quæ eorum sunt muneris adversabitur; litesve & jurgia serere conabitur; aliave designabit præter fas decusque: in eum nedum Cæs. Commissarii & visitatores, sed ipse etiam Judex adhibitis duobus aut tribus Adsessoribus, prout quæque res erit, animadvertito.

Imp. RVDOLPHVS II. Aug. in Jud. Mem. 1577.

6. Commissæ Adsessorum multæ Notariis in quovis Senatu, sub horæ ipsius relationisque principium præsentibus, à Judice vel Præsidibus significantor: conscriptæque sub exitum trimestrium traduntor Quæstori, inter obedientes dividendæ.

IDEM Aug. in Jud. & Adf. Mem. 1586.

7. Ab his qui tardius Senatui intervenient, multa baciaria rigide exigitor, exactores ei rei per Senatus constituuntor.

IDEM Aug. in Consult. Cam. 1587.

8. Abeuntes citra veniam per absentiæ tempus & salario & altero tanto plectuntor.

9. Kali. Maij. absentes, exinde nulla obstante venia, stipendio quoad redierint, fraudantor.

TIT. XX.

De Adsessorum stipendio.

Imp. MAXIMILIANVS II. Aug. in Recess. Comit. Spirens. 1570.

1. Adsessoribus illustribus annui florent octingenti octonum denum, ceteris septingenti quindenum bacium præbentor.

TIT.

TIT. XXI.

De Advocatorum munere.

Imp. FERDINANDVS Aug. in Camer. Mem. 1557.

1. Advocati Cameræ etsi productis se non subscribant, eam tamen in iis fidem diligentiamque adhibento, ne quid clientibus inde nascatur præjudicii.

Imp. MAXIMILIANVS II. Aug. in Proc. Mem. 1574.

2. In Judicii honorem, publicationibus sententiarum interveniunto, suisque sedes solitas occupanto.

3. Ipsi Procuratoresque & utrorumque amanuenses Cancellariam ne ingrediuntor, neve transeunto: desideria sua foris & extra cancellos promunto.

Imp. RVDOLPHVS II. Aug. in Proc. Mem. 1578.

4. Producta diligenter conficiunto, subscribuntoque: locos ex actis prius exhibitis, sine designatione paginæ ne alleganto.

IDEM Aug. in Jud. & Adf. Mem. 1586.

5. In executionis articulo, causarum merita ne repetunto: si fiat libelli cum pœna rejiciuntor.

TIT. XXII.

De Albo Camera.

Imp. FERDINANDVS Aug. in Beschedis Cameræ 1563. 18. Iun.

1. Cunctiqui Spiræ degunt Rei forensis studiosi, sollicitatores, Partes, apud Judicem & Adsessores nomina sua profitentor, professi in album inscribuntor.

Imp. MAXIMILIANVS II. Aug. in Recess. Comit. Augustan. 1566.

2. Praxin Spiræ visuri Judici nomina danto: is utrum recipiendi albo videantur, statuito.

3. Admissi, inscriptique pedello semiflorenum pendunto.

IDEM Aug. in Mem. 1570. 23. Maij.

4. Partes litigantes aliique qui falsa sub specie addiscendi usus forensis, re ipsa immunitatis, rerumque privatarum causa, domicilium perpetuum Spiræ constituunt, in Cameræ Albo ne tolerantor; sed Senatui Municipali indicantor.

TIT. XXIII.

De Anabaptistis.

Imp. CAROLVS V. Aug. in Recess. Comit. Augustanorum 1551.

1. Anabaptistæ jusjurandum subjectionis abnuentes magistratumve nullum adgnoscentes, igni, gladio, supplicijs è medio tolluntor.

2. Doctoribus, antesignanis, concitatoribus seditionum, pertendentibus, ad vomitum reversis gratiæ veniæve spes ne esto.

3. Adgnoscentibus errorem & deprecantibus, pro ætate, conditione, gradu, pœna remittitor.

4. Infantes quisque suos sacro baptismate initiandos curato: contemptores pro Anabaptistis habentor & puniuntor.

5. Subditi alieni ex hac causa profugi ne receptantor; sed pœnis jam dictis subjiciuntor.

6. Criminalium causarum Judices, cognitoresque, de hac hæresi, ubique ex Jure & constitutionibus judicanto, citra exceptionem; Segniores à potestatibus superioribus pœnis ad officium adiguntor.

TIT. XXIV.

De Appellationis interpositione.

Imp. CAROLVS V. Aug. & FERDINANDVS Cæs. in Ordin. part. 2. tit. 28.

1. Non solum ab ordinariis Judiciis proxime sub Camera constitutis, sed etiam à Judicibus ordinatione delegatis [salvis quidem privilegijs] Cameræ appellator.

IDEM Aug. & Cæs. in Ord. part. 2. tit 1.

2. Idem in specie in delegatis inter Principes obtineto.

IDEM Aug. & Cæs. in Ord. part. 2. tit 8.

3. Et in causis spoliorum coram iisdem ventilatis.

IDEM Aug. & Cæs. in Ord. part. 2. tit. 29.

4. Appellationes intra decendium præcise interponuntor: tempus nullius Judicis auctoritate immutator.

TIT. XXV.

De Appellatione definitiva.

Imp. CAROLVS V. Aug. & FERDINANDVS Cæs. in Ordinat. part. 2. tit. 29.

1. Ab interlocutoriis vim definitivarum habentibus, haud secus quam ipsis definitivis, viva voce in continenti, vel ex intervallo in scriptis provocator.

TIT. XXVI.

De Appellatione ab interlocutoria.

Imp. CAROLVS V. Aug. & FERDINANDVS Cæſ. in Ord. part. 2. tit. 28.

1. Ab interlocutoris niſi ob gravamen, quod in appellatione à definitiva reparari poſſit, non poſſit, ne appellator.

IDEM Aug. & Cæſ. in Ord. part. 2. tit. 29.

2. Ac tum quoque in ſcriptis ſolummodo & cum expreſſione gravaminum appellatio interponitor: nec aliis quam expreſſis cauſis juſta eſſe docetor.

Imp. RVDOLPHVS II. Aug. in Receſſu Comitior. Ratiſponenſ. 1594.

3. A ſententia competentiæ, præterquam ubi ſtatuto, conſuetudine, privilegio diverſum obtinuerit, in ſcriptis appellator.

TIT. XXVII.

De Appellatione extrajudiciali.

Imp. RVDOLPHVS II. Aug. in Receſſu Comitior. Ratiſponenſ. 1594.

1. Gravati extra judicium Decretis, Mandatis, interdictiſve, vel multis ſuperiorum, appellare permittuntor.

2. Subditis tamen à Magiſtratu extrajudicialiter appellantibus, niſi gravamen veriſimiliter prius proberur, & ab eo tanquam Judice illarum eſſe demonſtretur, proceſſus nulli decernuntor: Quæ veluti à parte parti contigerint, ad Judicem inferiorem remittuntor.

TIT. XXVIII.

De Appellatione coram Notario.

Imp. CAROLVS V. Aug. & FERDINANDVS Cæſar. in Ordinat. part. 2. tit. 29.

1. Appellatio non ſolum coram Judice inferiore, ſed eo etiam abſente coram Notario & teſtibus facta, rata eſto: ſive Judici inſinuetur, ſive non.

2. Sed hoc caſu, ante inhibitionem à Judice attentata ne revocator, verum his ſuo Marte porro decurrito.

Imp. RVDOLPHVS II. Aug. in Receſſu Comit. Ratiſponenſ. 1594.

3. Appellatione coram Notario in ſcriptis interjecta, ſcriptum ſeu ſcheda inſtrumento inſeritor.

TIT. XXIX.

De Appellationis ſumma.

Imp. CAROLVS V. Aug. & FERDINANDVS Cæſ. in Ordinat. part. 2. tit. 28.

1. Infra ſortem 150. florenorum, appellatio ad Cameram ne valeto: ſed cauſæ injuriarum, quibus vel Pallinodia, vel Pecunia numerata (dum eam tamen ipſe Actor non minoris quam 50. florenis in libello æſtimaverit) petitur, jurisdictionum itidem, jurium, ſervitutum, penſionum, & reditumm perpetuorum, denique quarum rerum incerta eſt æſtimatio, excipiuntor.

Imp. MAXIMILIANVS II. Aug. in Receſ. Comit. Spirenſ. 1570.

2. In actionibus quæ minus quam 150. florenorum ſortem perſequuntur, appellationes demum in Camera ne recipiuntor. In reditibus autem reluitionem non obnoxiis, annui ſeu florenſ ſuſtentatio. Sin reditus jurisdictioni adhæreant, ipſave proprietas, vel quaſi, ex cauſa committi petita, ſit, quanta ſupra dicta ſumma: his aliisque caſibus Ordinatio rata maneto.

3. Eadem æſtimationis ratio etiam cum de Nullitate ſeorſim & principaliter agetur, vel ſi adverſus rem judicatam in integrum Reſtitutio poſtulabitur, initor.

Imp. CAROLVS V. Aug. & FERDINANDVS Cæſ. in Ordin. part. 2. tit. 28.

4. In dubio, ni appellans juret, æquiore ſe animo tanta pecunia cariturum, quam deſiturum de lite: nec inferior Judex appellationi deferre nec Camera recipere tenetor.

5. Majoris ſummæ privilegius nihilo ſecius ſuo robori relictis.

Imp. RVDOLPHVS II. Aug. in Deputat. Spirenſi 1600.

6. Summa appellationibus ad Cameram anno 1570. præſtituta, auctior de hinc altero tanto, adeoque trecentorum florenorum eſto. Redituum quoque modus ad hanc eandem proportionis normam exigitor.

7. Hæc auctio ſtatuum privilegius ſine fraude eſto.

IDEM Aug. & in Conſult. Cam. 1603.

8. In ineunda ratione ſummæ appellabilis, non quid Actor in prima inſtantia petierit, ſed in quo ſeſe Appellans per ſententiam læſum gravarumque dicat, perpenditor.

9. In cauſis ſupra ſortem ad ſolam pecuniariam æſtimationem, eamque certam & definitam ſententiæ, computatio eadem adhibenda eſto.

10. Secus ſi Actor ſummam nullam expreſſerit, ſed judicis arbitrio reliquerit infligendam.

TIT. XXX.

De Appellationis privilegiis.

Imp. CAROLVS V. Aug. & FERDINANDVS Cæſ. in Ordinat. part. 2. tit. 29.

1. Judiciorum privilegia atque inſtituta velut de auri argentive exhibitione aliſque appellandi ſolennibus à ſcientibus obſervantor; ignaris præjudicium nullum generanto.

Imp. MAXIMILIANVS II. Aug. in Mem. 1570. 23. Maij.

2. Contra privilegia ſtatibus indulta, appellationes ne recipiuntor.

IDEM Aug. in Receſſu Comit. Spirenſ. 1570.

3. Privilegia Cameræ originalia inſinuantor: à Lectoribus deſcribuntor: ſummæ & qualitates eorum tabella in Curia ſuſpenſa proponuntor.

Imp. RUDOLPHUS II. Aug. in Mem. 1595.

4. Adverſus inſinuata Cameræ privilegia de non appellando, proceſſus penitus nulli decernuntor: decreti ſubrepentium precibus, quanto primum abolentor.

IDEM Aug. in Deputat. Spirenſ. 1600.

5. Inſinuatorum Cameræ privilegiorum major impoſterum, quam hactenus factum videatur, reſpectus ratioque habetor.

IDEM Aug. in Conſult. Cam. 1603.

6. Privilegia ne appellationes niſi apud ipſum Judicem factæ valeant, ita attenduntor, ſi non copia judicis defuiſſe, metuſve aut ignoratio obſtitiſſe dicatur.

TIT. XXXI.

De Appellationis delatione.

Imp. CAROLVS V. Aug. & FERDINANDVS Cæſ. in Ordin. part. 2. tit. 30.

1. Apoſtolos petere vel non petere liberum eſto.

Imp. FERDINANDVS Aug. in Receſſu Viſitat. 1568.

2. A Commiſſariis teſtibus ad memoriam examinandis, velut ſuſpectis, ad Cameram interpoſita appellatione, examen nihilo minus ad finem perducitor.

3. Idem in cauſis litigioſæ poſſeſſionis & Teſtibus ad informationem duntaxat Judicis interrogandis jus eſto.

TIT. XXXII.

De Appellationis receptione, ſeu devolutione.

Imp. CAROLVS V. Aug. & FERDINANDVS Cæſ. in Ordinat. part. 2. tit. 28.

1. In criminalibus cauſis unde pœna corpori impendet, appellationes ex vetere inſtituto ne admittuntor.

2. Attamen à judiciis immediate Cameræ ſubjectis, nullitatis naturali rationi repugnantis querela ad eam defertor: qua deprehenſa, cauſa eodem legitime procedendi pronunciandique gratia remittitor.

IDEM Aug. & Cæſ. in Ord. part. 2. tit. 29.

3. Appellationes non niſi gradatim, nulloque interjecto Judice medio, extra quam ſi is juſtitiam notorie negaverit, vel cauſæ adfinis, aut alitunde inhabilis ſit, recipiuntor.

TIT. XXXIII.

De Appellationis introductione.

Imp. CAROLVS V. Aug. & FERDINANDVS Cæſ. in. Ordinat. part. 2. tit. 30.

1. Appellatione intra tempus duorum, trium, vel ſex ad ſummum menſium, Judicis inferioris, arbitrio præfinitorum, citationis tum impetratione, tum inſinuatione ac reproductione judiciali introducitor.

2. Si tempus nullum datum fuerit, ſex menſes juſti ſunto.

3. Sed eos Camera ob locorum nimiam diſtantiam perennibus prorogandi licentiam habeto.

4. Idem his qui coram Notariis provocaverint, competito.

5. Singuli menſes dierum triginta ſunto.

IDEM Aug. & Cæſ. in Ord. part. 2. tit. 8.

6. Appellatio à delegatis ordinatione in ſpoliorum cauſis, trimeſtri in Camera introducitor.

Imp. FERDINANDVS Aug. in Beſcheidis Cameræ 1568. 2. Febr.

7. Mora prolatarum ex cauſa audientiarum, partibus quoad lapſum fatalium, citra fraudem eſto.

Imp. MAXIMILIANVS II. Aug. in Receſ. Spirenſ. 1476.

8. Termino in ferias incidente, fatalibuſque poſtea expirantibus, reproductio adhuc ſalva appellanti eſto.

IDEM Aug. & RVDOLPHVS Cæſ. in Conſult. Cam. 1576.

9. Mora vel culpa Judicis parti circa fatalia ne præjudicato: ſed nec factum Cancelliariæ, ſi extra fatalia terminus projectus, atque à parte ſervatus ſit.

Imp. RVDOLPHVS II. Aug. in Receſſu Ratiſponenſi 1594.

10. Appellato in termino comparenti, etſi appellans poſt terminum demum proceſſus reproduxerit, adhuc tamen appellationem perſequi integrum eſto.

11. Sex menſes fatales ſine probatione juſtu impedimenti, in decernendis proceſſibus ne prorogantor: quos vero Judex inferior pauciores præfinierit, vel citra probationem prorogandi jus eſto.

12. Prorogandi cauſæ neutro caſu proceſſibus exprimuntor.

13. Procuratores ultimo die fatali inſtante, ejus in tempore prorogationem petunto: cauſas juſtas poſtea in proceſſuum reproductione ſcriptas exhibento, auditoque adverſario, in hoc articulo ſubmittunto, id ni ante litis conteſtationem fecerint, appellatio deſerta eſto.

TIT. XXXIV.

De Appellationis deſertione.

Imp. CAROLVS V. Aug. & FERDINANDVS Cæſ. in Ordin. part. 2. tit. 30.

1. Si intra fatalia vel Judicis, vel legis, citatio in Camera obtenta non reproducatur: appellatio deſerta eſto, appellatuſque ſuper deſertione ſi volet, procedito.

2. Sed ſententia nec confirmator in Camera, & executio remittitor ad inferiorem, ſi jus habeat exequendi: ſin minus, à Camera implorata executioni mandator.

3. Adverſus hæc nec ignorantiæ partium, nec locorum conſuetudini quidquam indulgetor.

Imp. MAXIMILIANVS II. & RVDOLPHVS Cæſ. in Conſult. Camer. 1576.

4. Reproductio ni non verbalis, ſed realis ſit, cauſam à deſertione ne vindicato.

5. Appellatione deſerta ſententiæ confirmatio permiſſa eſto.

Imp. RVDOLPHVS II. Aug. in Conſult. 1583.

6. Fatalibus per culpam Nuncii ante inſinuationem proceſſuum effluxis, appellatio deſerta eſto. Sed appellans in integrum reſtituitor, vel illico & ex officio, ſi in termino citatus comparuerit, vel ſi emaneat, prævia citatione ad eam repetita.

7. Idem eſto, ſi non culpa ſed caſu executio ſub fatalium exitum facta, prorogatioque petita, ac proceſſus poſtea intra eam reproducti fuerint: ſed citatus tamen non comparuerit.

TIT. XXXV.

De Appellationis renunciatione.

Imp. CAROLVS V. Aug. & FERDINANDVS Cæſ. in Ord. part. 2. tit. 28.

1. Subditos ab appellando nemo carcere, jurejurando, minis, abſtineto; Si fiat, geſta irrita ſunto appellationis proſecutio ſalva maneto. Si quis appellationi ſponte renunciaverit, ſive ex privilegio, vel alia cauſa illicita ſit appellatio; jus commune & ordinatio locum habento.

TIT. XXXVI.

De Appellationis juſtificatione.

Imp. CAROLVS V. Aug. & FERDINANDVS Cæſ. in Ordin. part. 3. tit. 31.

1. Appellationis formem recte eſſe ſervatam, exhibitione actorum, vel inſtrumenti appellationis primo termino docetor.

Imp. FERDINANDVS Aug. in Viſitat. 1560.

2. Ni fiat, procuratores parti in id quod intereſt & præterea in pœnam arbitrariam condemnantor.

IDEM Aug. in Proc. Mem. 1561.

3. Diem ſententiæ, aliaque ſolemnia ſupplicationi inſerunto, vel in inſtrumentis appellationum perſpicue deſignanto.

IDEM Aug. & MAXIMILIANVS Cæſ. in Viſitat. 1564.

4. Formalia ab utroque procuratore vel adſtruuntor, vel infirmantor, ſub pœna arbitraria, & ejus quod intererit partium læſarum.

Imp. RVDOLPHVS II. Aug. in Beſcheidis Camer. 1583.

5. Ad rationem Kalendarii veteris, donec aliter à Cæſare, & Imperii ordinibus ſtatuatur, ſub ordinationis pœna exguntor.

TIT. XXXVII.

De Appellationis proſecutione.

Imp. CAROLVS V. Aug. & FERDINANDVS Cæſ. in Ord. part. 2. tit. 6.

1. In appellationis à delegatis Ordinatione niſi quod ante vel latuiſſe, vel proferri non potuiſſe, & ad cauſam tamen pertinere jurabitur, nihil novi admittitor.

IDEM

IDEM Aug. & Cæſ. in Ord. part. 2. tit. 8.

2. Idemque multo magis in ſpoliorum cauſis obtineto.

IDEM Aug. & Cæſ. in Ord. part. 3. tit. 31.

3. In cauſis appellationum à ſimplici interlocutoria, inſtrumentum appellationis loco libelli repetitor, pauciſque ut bene appellatum, male judicatum eſſe pronuncietur, poſtulator.

4. Sin à definitiva, ejusve vim habente appellatum erit; libellus vel ſimplex, vel articulatus exhubetor.

IDEM Aug. & Cæſ. in Ord. part. 3. tit. 35.

5. Si appellans ſtatim poſt litem conteſtatam libellum appellationis, vel acta priora loco gravaminum repetierit, concluſeritque; termino proximo appellatus reſpondere, omniaque producere, ac ſcripto concludere, vel verbo confeſtim ſubmittere tenetor.

6. Sin alteruter amplius quid proferre & probare, aut priora liquidius confirmare voler; eodem id termino proponere neceſſe habeto.

7. In appellationibus à Definitivis, aut earum vim habentibus, etiam ex novis cauſis, ſed à prima tamen actione non alienis, victoria propoſita eſto.

8. Quod ſi novi nihil vel narrabitur, vel probabitur; ante acta ne articulantor, ſed uterque propediem viva voce concludere jubetor.

TIT. XXXVIII.

De Appellatione à Camera.

Imp. CAROLVS V. Aug. & FERDINANDVS Cæſ. in Ordin. part. 3. tit. 51.

1. A ſententiis Cameræ nec appellare, nec ſupplicare, ſed ſyndicatum tantummodo, aut actorum reviſionem petere liceto.

TIT. XXXIX.

De Appellatione temeraria.

Imp. CAROLVS V. Aug. & FERDINANDVS Cæſ. in Ord. part 2. tit 28.

1. Temere appellantes non ſolum in expenſas condemnantor; ſed aliis etiam jure proditis pœnis plectuntor.

Imp. MAXIMILIANVS II. Aug. in Jud. & Adſ. Mem. 1574.

2. Fruſtratoriæ appellationis pœna dehinc arbitraria, & minimum decem marcarum argentieſto.

Imp. RVDOLPHVS II. Aug. in Jud. & Adſ. Mem. 1581.

3. Pœnas temere appellantibus dictas, Deputati fiſci, in præjudicium Cæſaris, deprecantibus ne remittunto, neve minuunto: ſed fiſcalem partes ſuas officiumque exequi ſinunto.

IDEM Aug. in Deputat. Spirenſ. 1600.

4. Temere appellantibus pœnæ dehinc ne minores ſingulis, at majores cenſente Camera ad uſque denas auri marcas irrogantor.

TIT. XL.

De Arcanis collegii.

Imp. CAROLVS V. Aug. & FERDINANDVS Cæſ. in Ord. part. 1. tit. 24.

1. Ne quid in partium perniciem retegant, neu ſcribis impedimento ſint, quibus negotium eſt in Tabulario, intra Cancellos ne irrumpunto.

Imp. FERDINANDVS Aug. in Cameral. Mem. 1557.

2. Qui arcana judicii efferre putabuntur, in eos judex conſilio Adſeſſorum, diligenti inquiſitione habita, animadvertito.

IDEM Aug. Jud. & Adſ. Mem. 1561.

3. Si teſtium dicta nondum publicata, à Procuratoribus veluti cognita diſputabuntur: quæſtione habita Commiſſarii vel Adjuncti in quos vindicari à Camera nequierit, ad viſitatores deferuntor.

IDEM Aug. & MAXIMILIANVS Cæſ. in Jud. Adſ. Mem. 1564.

4. Rerum fiſcalium Referentes ne Rationali innoteſcant, apud eum, ſcitu neceſſaria non per ſe, ſed per Judicem percunctantor.

MAXIMILIANVS II. Aug. in Receſſu Auguſtano. 1566.

5. Procuratores ſuos ſubſtitutos jurejurando aſtringunto, quæ apud ſe comperierit arcana, ne tum quidem, cum alio migrarint, eliminaturos: ſi fraudem fecerint, in Camera eos conveniunto.

Imp. RVDOLPHVS II. Aug. in Mem. 1595.

6. De arcanis proditis Judex & Adſeſſores quæſtionem acrem inſtituunto: penes quem tale quippiam deprehenſum fuerit, inde initio facto continua perueſtigatione, ad primum auctorem deveniunto.

Imp. CAROLVS V. Aug. & FERDINANDVS Cæſ. in Ord. part. 1. tit. 13.

7. Omnes Cameales ne Referentium nomina vulgentur, neve ſententiæ ante publicationem enuncientur, curanto: conſilia cuncta inter arcana habento.

Imp. RVDOLPHVS II. Aug. in Jud. & Adſ. Mem. 1600.

8. Protocolla ſua Adſeſſores in Tabularium non niſi obſignata famulis deportanda committunto.

TIT. XLI.

De Argento.

Imp. CAROLVS V. Aug. in Reformat. Politiæ 1548. cap. 35.

1. Argenti facti libra uncias argenti puri ſeptem contineto; à magiſtratu explorator, ejusque & aurificis annulo ſignator; alioqui pro fraudis modo punitor.

TIT. XLII.

De Articulis.

Imp. CAROLVS V. Aug. & FERDINANDVS Cæſ. in Ord. part. 3. tit. 40.

1. Facta non jura niſi quatenus ex illis oriuntur, articulis comprehenduntor.

IDEM Aug. & Cæſ. in Ord. part. 3. tit. 27.

2. Articuli peremptoriales uno termino ſimul & ſemel, niſi quid de novo cognitum eſſe juramento partis adfirmabitur, eduntor.

IDEM Aug. & Cæſ. in Ord. part. 3. tit 14.

3. Articuli additionales actioni inſtitutæ conformes ſunto: omnes ſuis numeris diſtinguuntor.

4. Quantum res feret, cuncti ſimul proferuntor: non aucti ſubinde, & per intervalla plures exhibentor.

Imp. MAXIMILIANVS II. Aug. in Receſ. Spirenſ. 1570.

5. Libelli vel gravamina articulis primo ſtatim termino proponuntor: ſin libellus edetur ſummarius, ab articulis poſtea abſtinetor.

Imp. RVDOLPHVS II. Aug. in Beſcheidis Cam. 1593. 13. Dec.

6. Cum gravaminibus ſemper, qua quis in ſe gravatum putet, quid ve amplius & quibus modis ex integro probare velit, ſigillatim & in ſcriptis exprimitor; ceteroqui gravamina ne admittuntor.

IDEM Aug. in Deputat. Spirenſ. 1600.

7. In gravaminibus appellationum, quibus novi nihil continebitur, Ordinatio, utpote juri communi & judicii ſtylo conformis, antiquato generali Decreto anno 1593. 13. Decemb. latoimmutata ſervator.

8. Additionales additionalium ne jurato paſſim admittuntor: ac ne hi, nec alij articuli, poſt adverſarii probatorias dilationes, Rotulive publicationem, ultra recipiuntor.

TIT. XLIII.

De Attentatis.

Imp. CAROLVS V. Aug. & FERDINANDVS Cæſ. in Ord. part. 3. tit. 31.

1. Si contra inhibitionem attentabitur, ad pœnam agitor: Si inhibitum non erit revocatio ſa ſcriptis poſtulator.

2. Attentatorum cauſa cum principali junctim decurito: neutra alteram præpedito: Notoria vel in continenti probata, ante omnia revocantor, vel inhibitionis pœna vindicantor.

Imp. MAXIMILIANVS II. Aug. in Receſ. Spirenſ. 1570.

3. In attentatorum, inhibitionumque cauſis, litis conteſtationi ſeparatove proceſſum locus neeſto: ſed implorato Judicis officio, factum in articulos digeritor, vel ad probationes concluſionemque properator.

IDEM Aug. & RVDOLPHVS Cæſ. in Conſult. Cam. 1576.

4. In Cauſa Citationis ex conſtitutione pignerationum, attentata jure communi cenſentor.

5. Ad cauſam principalem & continuandam poſſeſſionē ſpectantia, pro attentatis nehabentor.

TIT. XLIV.

De Atteſtationibus.

Imp. CAROLVS V. Aug. & FERDINANDVS Cæſ. in Ord. part. 1. tit. 24.

1. Atteſtationum aliarumque rerum exempla redimuntor ex Cancellaria: non per litigantes pauperes, quibus gratis dantur, nec diverſæ partis procuratores deſcribuntor.

Imp. MAXIMILIANVS II. Aug. in Receſ. Auguſtano 1566.

2. Publicatis ad plures cauſas pertinentibus Atteſtationibus, Rotulus originalis unius cauſæ actis, ceteris ſingula exempla collata partium ſumptu adjunguntor, hiſque qua in cauſa authenticus extet inſcribitor.

Imp. RVDOLPHVS II. Aug. in Proc. Mem. 1580.

3. Commiſſionum ad perpetuam memoriam extrajudicialiter obtentarum Rotuli judicialiter ne producuntor: ſed Lectoribus [ſcripto eam rem profeſſis] adſervandi traduntor.

IDEM Aug. in Deput. Spir. 1600.

4. Nec niſi fide facta de adverſarii conſenſu, vel neceſſario in lite uſu, repetuntor.

IDEM Aug. in Deput. 1600.

5. Procuratores factam ſibi Atteſtationum copiam in judicio ne commemoranto: ſed flagitatarum perſcriptarumque & redemptarum dies, ipſis in Cancellaria Rotulis, præfecto accurate inſcribitor.

TIT

TIT. XLV.

De Audientia judiciali.

Imp. CAROLVS V. Aug. & FERDINANDVS Cæſ. in Ord. part. 3. tit. 1.

1. Judicia in Camera horis pomeridianis, foribuſque apertis, ſedente Judice ejusve Vicario & Adſeſſoribus exercentor: publicatiſque ſententiis & decretis, audientia mox deinde publice præberor.

2. Dies honori Dei, hominumve neceſſitatibus dicati, exempti, nefaſtique ſunto.

IDEM Aug. & Cæſ. in Ord. part. 1. tit 14.

3. Aſſidendi in audientiis onere, omnes æqualiter Adſeſſores, & per vices funguntor.

Imp. MAXIMILIANVS II. Aug. in Receſ. Spirenſ. 1570.

4. Audientia ab hora prima uſque ad quintam æſtate: hyeme ad quartam ferius excluſis, quotidiana eſto.

5. Sententiarum publicationi pars Adſeſſorum dimidia, vicibus alternis, Referentes potiſſimum quique relationibus interfuerint, adſiſtunto: pars interim altera cauſarum domi Acta pervolvunto.

6. Sententiis recitatis in audientia quaterni duntaxat Adſeſſores remanento, Præſides alternatim ſibi ſuccedunto.

7. Judex & Adſeſſorum pars dimidia in puncto primæ in judicio conſidento: ante mediam primam in curia conveniunto: publicandas mox ſententias recitari audiunto: quæ ante primam perlectæ non fuerint, ad proximam rejiciuntor.

IDEM Aug. in Jud. & Adſ. Mem. 1570.

8. Audientiis Protonotarii Notariive adſiunto: quando quæque cœperit deſieritve adnotanto, & cum viſitatoribus ſi petent, communicanto.

IDEM Aug. in Beſ. 72. 18. Jun.

9. Audientiæ quotidianæ citra cauſarum ſimplicis querelæ, appellationumve diſcrimen; tam in ordinariis quam extraordinariis cauſis peraguntor.

IDEM Aug. in Jud. & Adſ. Mem. 75.

10. Si quando exequis uterelſe totum collegium contin_et, ſaltem ad horam quartam audientia extrahitor.

Imp. RVDOLPHVS II. Aug. in Jud. & Adſ. Mem. 1600.

11. Poſt. Kal. Febr. quinta veſpertina ſolve occaſus Audientiarum finis eſto.

IDEM Aug. in *D*eputat. Spir. 1600.

12. Audientiæ hebdomatim tres, diebus Lunæ, Mercurij & Veneris, ab hora nona ad decimam, cauſis Præfixarum præbentor.

TIT. XLVI.

De Audientiarum viciſſitudine.

Imp. CAROLVS V. Aug. & FERDINANDVS Cæſ. in Ord. part. 3. tit. 2.

1. Ordinariarum & extraordinariarum cauſarum audientiæ alternis diebus variantо.

2. Protonotarii uttæ quoquo die cauſæ agende ſint, notanto, & à Judice facta Rogatione, palam nuncupanto.

3. Hæc viciſſitudo ſolum in præfixis & ordinariis contumaciisque, non primis duabus Rogationibus locum habeto.

Imp. MAXIMILIANVS II. Aug. in Beſ. 1571.

4. Cauſæ extraordinariæ binis diebus continuis, tertus ordinariæ ventilantor.

TIT. XLVII.

De Audientiis Fiſcalibus.

Imp. CAROLVS V. Aug. & FERDINANDVS Cæſ. in Ord. part. 1. tit. 17. & part. 3. tit. 1.

1. Cauſis contributionum, binæ hebdomatim, vel ſingulæ ſaltem audientiæ diebus Sabbathi ante vel poſt meridiem, arbitrio deputatorum & Rationalis tribuuntor.

2. Fiſcales audientiæ diebus Sabbathi, æſtate à ſeptima, hyeme ab octava ad decimam horam exerceantor.

Imp. RVDOLPHVS II. Aug. in Jud. Mem. 1580.

3. Octava demum hora, ſed continuo inchoantor.

TIT. XLVIII.

De Banni declaratione.

Imp. MAXIMILIANVS II. & RVDOLPHVS Cæſ. in Receſ. Ratiſpon. 1576.

1. Declaratio banni, præſentibus omnibus tum Præſidibus, tum Adſeſſoribus, more majorum ſub dio celebrator.

Imp. RVDOLPHVS II. Aug. in Jud. & Adſ. Mem. 1577.

2. Et procuratores cunctu honoris officique & auctoritatis gratia adſiſtunto.

TIT.

TIT. XLIX.

De Banni effectu.

Imp. CAROLVS V. Aug. & FERDINANDVS Cæs. in Ord. part 1. tit. 9.

1. Per sententiam proscribit, ipsi cum bonis omnibus prædæ sunto: iuribus, nominibus, & actionibus excidunto.

2. Feuda Dominus committuntor, nec quoad vivent, ipsis heredibusve eorum feudalibus concedentur: fructus tamen Actori, deductis impensis arburio Cameræ, tantisper, dum proscriptione exsolvantur, permittuntor.

IDEM Aug. & Cæs. in Ord. parr. 2. tit. 10.

3. In bannum declaratos nemo recipito toleratove, neu cibum vel potum submunistrato: omnes aversantor, detestantor, velut hostem persequuntor.

Imp. CAROLVS V. Aug. in Pace publ. 1584. cap. 25.

4. In proscriptione supra annum & diem persistentes, censura etiam Ecclesiastica notantor.

IDEM Aug. & FERDINANDVS Cæs. in Ord. part. 3. tit. 48.

5. Si Circulo uni, pluribusve, aut Deputatorum Ordinum conventui Cæsarve consultum parte petente videbitur; proscripti sacris etiam interdicuntor: id quo magis per Judicem & Assessores Ecclesiasticos ex Bulla Raymundi fieri possit, Cæsar apud Papam elaborato.

TIT. L.

De Banni executione.

Imp. CAROLVS V. Aug. & FERDINANDVS Cæs. in Ordin. part. 2. tit. 19.

1. In res ex causa Debiti, Contumaciæ, aliisve extra pacem fractam proscriptorum [illegible] actores à Camera, causa cognita immittuntor: missioni magistratus non impedimento, sed auxilio sunto.

2. Feudorum fructus Dominus deductis expensis, toto proscriptionis tempore Actori permittituo.

IDEM Aug. in Pace publ. 1548. cap. 4.

3. Agnatis jus suum integrum esto: si in ipsum Dominum pacis fractæ crimen commissum fuerit; jura feudalia exercentor.

IDEM Aug. & FERDINANDVS Cæs. in Ord. part 3. tit. 48.

4. In bona proscripti designata victor à Camera immittitor: si cui Magistratui medio subsent, huic sententiæ, pœnarumque & banni executio mandator.

5. Ast ille proscripti bona sub se sita victori permittito, eumque in possessione tuetor.

6. Nihilo tamen secius Camera intra mensem an parere velit, certiorem facito.

7. Detrectandi causæ justæ admittuntor: actum Circuli, ejus Duces & Adjuncti à victore imploratî Executionem armata manu suscipiunto.

8. Executio adversus exteræ nationis Civem Locumve decreta, contra Imperii subditos ob ejus frequentationem commerciumque prius ne instituitor exercetorve, quam inde fuerint Edicto Cæsaris generali intra certum diem avocati. Hoc in sententiis olim latis obtineto.

IDEM Aug. & Cæs. in Ord. part. 3. tit. 49.

9. Contra proscriptos ex causa fractæ pacis violatæve Ordinationis mediatos eadem, quæ supra præmonstrata est via proceditor, extra tamen missionem in bona, qua hic nihil opus.

10. Istorum Magistratus, gravi multa sanciente Camera, executionem in personam, si præsto sit, inque bona faciunto, suo sumptu, sine impensa victoris.

11. Ni pareant: in ipsos, parte vel Fiscali instante, ad pœnam mandati Camera procedito: simulque Circuli illius Duci & Adjunctis executionem eandem ad modum Ordinatione & Mandato præfinitum faciendam imperato.

12. Si quid judicato facto, sumptibusque restitutis, & pœna depensa supererit ex proscripti bonis: id Executores tantisper sibi habento & tuuntorque, donec proscriptus restitutis executionis omne dispendium refundat.

13. Executato nisi eo casu, quo universitatis mediatæ, vel privati etiam banniti res validiores erunt, quam ut sine magno detrimento in ordinem cogi possint, nulla admittitor.

14. At veroſi de his talibus deve Imperij Statibus Civitatibusve subditisve extra Imperij fines domicilium habentibus agatur, executio victimi circuli Ducis imponitor.

15. Is enimque Adjuncti, duorum proxime adjacentium Circulorum Duces, eorumve consiliarios præterea duos deliberationi de auxilij modo adhibento.

16. Quo omnes si te tantæ moli impares judicaverint, rem ad Deputatorum ordines referunto.

17. Executione facta, occupatisque proscripti bonis, victori vigore sententiæ, cum expensis & pœnarum contingente parte satisfactor: executionis omnium pars nulla imputator.

18. Reliqua omnia proscripti bona Executores possidento, iisque libere fruuntor, donec banni solo sumptuum pœna restituatur.

19. Si nil vel nulla, vel parum post Executionem supererunt, aut pensa ab omnibus Circulorum aliquali contributione recuperator: in solvendo communes, Fiscalis in Camera [illegible]

20. [illegible]

20. Si Circulus unus, pluresve, omnesve Executionem detrectabunt: res ad Cæsarem per Cameram defertor: is cetera provideto.

IDEM Aug. in Pace publ. 1522. cap. 23. & seq.

21. Pacifragis proscriptis, si læsi eorum bona non feudalia ab alio præventi occupare ipsi [quod licet] nequiverint: possessionem per locorum Magistratus, Circulosve præcipuo nanciscuntor; ut propriis, ante alios cunctos fruuntor; nec nisi proscriptione cessante restituunto.

22. Eorundem in apprehendendis proscriptorum bonis, præ omnibus, ipsoque Magistratu potior causa esto.

TIT. LI.

De Banni absolutione.

Imp. CAROLVS V. Aug. & FERDINANDVS Cæs. in Ordin. part. 2. tit. 18.

1. Pacifragos proscriptos Camera, vel Cæsar Cameræ relatione audita, sed non sine voluntate adversariorum restitutio: vel ipsi restitutionem jure judicioque euincunto.

2. Ex quavis causa proscripti si transigere cum velint, nequeant: Cæsar vel Camera, uter proscripserit, de conditionibus placandæ partis, atque fisci cognoscunto: his si paruerint, tum demum nec ante, absolvuntor. De bonis feudisque jus commune & constitutio servator.

3. In causis majoris momenti & periculi, Camera Cæsare inscio ad absolutionem ne properato.

IDEM Aug. & Cæs. in Ord. part. 3. tit. 46.

4. Proscriptis ob contumaciam, cum adversario transigere paratis, si de legibus minus conveniat, Judex partes suas interponito; cujus cum arbitrio satisfecerint, restituti ablatas res omnes eo quo tum erunt statu, extra tamen fructus, recipiunto.

5. Cum fisco ita demum transigere necesse habento, si & illi fuerint peculiariter in pœnam condemnati.

TIT. LII.

De Bello.

Imp. CAROLVS IV. Aug. in Aurea Bull. cap. 17.

1. Denunciatio belli nisi ternis diebus coram domive publice testatoque facta, justa ne esto, nec quæ eam sequetur offensio: sed ignominia & pœnis proditorum vindicator.

Imp. FERDINANDVS III. Aug. in Reformat. 1442. cap. 1.

2. Ne quis alium quenquam, nisi in jus frustra provocatum, belloque rite indicto offendito.

Imp. MAXIMILIANVS I. Aug. in Pace publ. 1495. cap. 1. & seq.

3. Denunciationibus bellicis per universum imperium vetitis sublatisque. Pax inter omnes proscriptionis pœna sancita esto.

IDEM Aug. in Conservat. Pacis publ. 1495. cap. 5.

4. Neque Rex, neque Ordines sine Comitiali lege bellum faciunto; non fœdera Reip. detrimentosa ineunto.

Imp. RUDOLPHUS II. Aug. in Recessu Ratisponens. 1594.

5. Literarum belli denunciatorialium scriptores, eadem qua ipsi provocatores pœna tenentor.

TIT. LIII.

De Blasphemiis.

Imp. CAROLVS V. Aug. in Reformat. politiæ 1548. cap. 1. & seq.

1. In Deum Christive humanam naturam, vel Sacramenta maledici & blasphemi morte vel membris multantor.

2. Si qui interfuerint audierintque indicium non profiteantur, pœna arbitraria plectuntor.

3. Officiales in exigendis pœnis negligentes, a suis superioribus coercentor.

4. Si Magistratus blasphemias vel negligent, vel ipsi committent: eos Fiscalis in jure persequitor.

5. Quibus ad blasphemos coercendos deerunt vires: hi eos sub pœna decem marcarum auri ad Fiscalem deferunto: is dicam ipsis impingito.

6. Blasphemi infames uti sunt, ita audiunto: nec eo minus criminaliter, cum facultas feret, puniuntor.

7. Si quis eos ministerio, commercio, patrocinio suo à pœna tutabitur, sciens, in eum, quisquis erit Fiscalis in Camera actionem moveto.

8. Contra fugitivos eorumque bona, juris viæ insistitor.

9. Diræ & execrationes per Dei potentiam, corpus, membra, vulnera, mortem, cruciatus, Sacramenta jactæ reprehensione primum, mox multa arbitraria reprimuntor.

10. In divam Virginem Sanctosque contumeliosi, similiter verbis, ac tandem ex arbitrio castigantor: habita ratione rerum qualitatis, tum frequentiæ delicti, & delinquentium conditionis.

11. Sanctionibus severioribus nihil derogatum esto: pœnas exacerbandi magistratui jus fasque esto.

TIT.

C.

TIT. LIV.

De Cameræ institutione & auctoritate.

Imp. MAXIMILIANVS I. Aug. in Ord. Camer. 1495. cap. 1.

1. Pacem Imperij publicam, jusque & justitiam Cameræ Tribunal dehinc contineto: controvertentium lites dirimito.

Imp. CAROLVS V. Aug. & FERDINANDVS Cæs. in Ord. part. 2. tit. 35.

2. Cum Cæsari Ordinibusque Imperij convenerit, ne qua ratione Cameræ cursus turbetur, utque Electores, Principes, Status eidem obediant: quidquid porro adversus ea edicetur, elicieturve id irritum, cassum, nullumque esto; nec à Camera admittitor.

TIT. LV.

De Cameræ sede & translatione.

Imp. CAROLVS V. Aug. & FERDINANDVS Cæs. in Ordin. part. 2. tit. 34.

1. Camera Spiræ sedem fixam habeto, inde nisi volente Cæsare & Imperij Ordinibus ex magna causa ne transfertor.

2. Si tamen pestis bellive vis ingruat: Judex & Adsessores secedendi in locum tutiorem, quoad periculi causa cesset, licentiam habento; moxque ad locum solitum revertuntor.

Imp. FERDINANDVS Aug. in Mem. 1556.

3. In deliberanda Cameræ translatione, Collegium consilio Procuratorum Advocatorumque utitor.

Imp. MAXIMILIANVS II. Aug. in Recess. Spirens. 1570.

4. Cameræ translatio deliberata, Cæsari, eoque adprobante, Moguntino renunciator: hic actorum recte transvehendorum, impensis Ordinum, curam suscipito.

5. Si ob pestem secessio fiet: acta necessaria tantummodo transportantor, reliqua Spiræ in civitatis custodia relinquuntor.

6. Sin ob bellum; & itineris pericula suberunt: idem jus esto.

7. Si nihil impendebit in via discriminis: omnia acta Cameram quovis sequuntor.

TIT. LVI.

De Cameræ sustentatione.

Imp. CAROLVS V. Aug. & FERDINANDVS Cæs. in Ordin. part. 1. tit. 42.

1. Camera sumptu & contributione Ordinum Imperij sustentator: interea ipsi de aliis rationibus sibi vel Cæsari non onerosis dispiciunto.

2. Extra personarum salaria, ceteræ Cameræ necessitates ex fisci reditibus depromuntor.

IDEM Aug. & Cæs. Ord. part. 1. tit. 40.

3. Contributiones Camerales, duabus per Nundinas Francof. pensionibus, ibidem, vel Augustæ, vel Norimbergæ apud COSS. & senatum deponuntor, vel ipsi Spiræ Quæstori numerantor; atque apochæ eo nomine redduntor.

4. Acceptam pecuniam tres illæ civitates Quæstori renumeranto: simulque antapochas, ejus tum summas, tum & species exprimentes tradunto.

Imp. FERDINANDVS Aug. in Deputat. 1557.

5. Eædem quid à quo ad se perlatum sit, sexies in anno intervallis duorum mensium Fiscali significanto: si nihil significabitur, nihil acceptum censetor.

IDEM Aug. in Mem. 1559.

6. Procuratores missas ad se collationes, Quæstori illico renumeranto.

IDEM Aug. in Visitat. 1559.

7. Argentum à Quæstore arcæ illatum, vel inde captum, Lectores quorum in custodia est arca, diligenter conscribunto: & quantum, quale quibusque loculis formæ quæque contentæ, una cum anno, mense, die, tum illationis, tum ablationis, exprimunto.

IDEM Aug. in Mem. 1559.

8. Si quæstor quas formas, qua æstimatione acceperit indicare recuset, conditam promptamve pecuniam Lectores ne inscribunto, sed ad Judicem & Adsessores deferunto.

9. Antapochas solutarum contributionum, collegium donec cum ære simul arcæ indantur, penes se detineto: Quæstori petenti nuda exempla edito.

Imp. MAXIMILIANVS II. Aug. in Proc. Mem. 1572.

10. Procuratores etiam missa ad se æra Quæstori resignantes, locum literarum exscriptum & abs se subscriptum nummorum formas exprimentem, tradunto.

11. Hæ contributiones moneta æstimationeque in Imperio adprobatis penduntor.

IDEM Aug. in Fisc. & Quæst. Mem. 1572.

12. Contributiones Cameræ Fiscalis per Monitoria exigito, istque Status cujuslibet partes virilis inserito.

TIT.

TITULUS LVII.

De Cameræ immunitate.

Imp. CAROLVS V. Aug. & FERDINANDVS Cæs. in Ordin. part. 1. tit. 49.

1. Omnes Spiæ Camerales, familia, viduæque eorum, quamdiu sub aliam iurisdictionem non transierint à vectigalibus, cunctisque oneribus & iurisdictionibus reliquis immunes sunto: Cauponariam tamen mercaturamve ne exercento.

2. Suæ alienæve litis causa ibidem commorantes securitate eadem, & protectione gaudento.

3. Qui præceos addiscendæ causa eodem conveniunt, pari cum Cameralibus libertate fruuntor.

4. Nuncii & Notarii exequentes, ubique in Imperio tuti & inviolabiles sunto.

5. Camerales in universum omnes, fide clientelaque Cæsarea, & Statuum maxime vicinorum comprehenduntor.

Imp. MAXIMILIANUS II. Aug. in Præs. Mem. 1574.

6. Etsi vetere instituto Cameralibus, de laborum Cancellariæ pretio dimidium remittituri Nunciis tamen solida merces præstator.

Imp. RVDOLPHVS II. Aug. in Mem. 1585. 16. Jun.

7. Adsessores à tutelis aliisque occupationibus, functioni suæ & causarum expeditioni adversis arcentor.

IDEM Aug. in Præs. & Nunc. Mag. Mem 1600.

8. Qui sub iurisdictione sunt civitatis Nuncii ab ea eximuntor: abnuentes, suffectis aliis, protinus dimittuntor.

TITULUS LVIII.

De Cameralium conversatione.

Imp. CAROLVS V. Aug. & FERDINANDVS Cæs. in Ordin. part. 1. tit. 13.

1. Judex, Adsessores, Protonotarii, Notarii, Lectores, neminem litigantium, eorumve qui iis quovis modo adsunt, causasve instruunt, domi suæ, vel in convictu, familiave, vel frequenti consuetudine habento: nec eorum ipsi convictores domesticive sunto: hoc pacto suspiciones declinanto, nec sui recusandi occasionem præbento.

IDEM Aug. & Cæs. in Ord. part. 1. tit. 10.

2. Judex Cameræ Adsessorum in Senatu conviciis & injuriis intercedito: dissidiorum flabella de consilio reliquorum reprimito: pacem inter eos & concordiam quantum potest firmato.

Imp. FERDINANDVS Aug. in Mem. 1556.

3. Procuratores in judicio & alibi Judicem & Adsessores, utpote Dominos & superiores suos debita reverentia colunto.

IDEM Aug. in Cameral. Mem. 1557.

4. Iidem etiam substitutos suos ad honorem Judici Adsessoribusque, & aliis ad judicium pertinentibus personis deferendum hortantor.

5. Cum præfecto aliisque Cancellariæ officiis non iracunde, sed moderate agunto: si quid in quopiam desideraverint, eius Præfectum vel Protonotarios, modeste admonento.

6. Illi vicissim Procuratoribus benigne & comiter respondento.

Imp. MAXIMILIANVS II. Aug. in Vis. 1564.

7. Procuratores invicem partes sibi mala fraude ne ab alienanto, neve substrahunto, sub pœna amotionis ab officio.

Imp. FERDINANDVS Aug. in Mem. 1559.

8. Concertationes de Religione acres & acerbas inter Adsessores Judex inhibeto.

Imp. RVDOLPHVS II. Aug. in Jud. & Adsess. Mem. 1577.

9. Præsidibus cum Judice recte convenito; simulque in emendationem corruptelarum, & concordiæ communis conservationem incumbunto.

In MAXIMILIANVS II. Aug. in Best. 1564. 18. Aug.

10. Grassante peste adventantes è locis infectis à Cameralibus ne suscipiuntor.

TIT. LIX.

De Cameralium injuriis.

Imp. MAXIMILIANVS II. Aug. in Recessu Augustano 1566.

1. Iniurias inter Camerales ex inconsulto calore prolatas, vel etiam reales modicas Judex extrajudiciali cognitione, & inquisitione ex officio habita, decidito: contumeliosos pro rei qualitate coercento, vel multa coercito, illæsa partis utriusque existimatione: Atrociores iniurias si componi transigive nequeant, iuris ordini remittito.

TIT. LX.

De cameralium pœna.

Imp. *CAROLVS V.* Aug. & *FERDINANDVS* Cæs. in Ordin. part. 1. tit 47.

1. Nuncii si quid supra præscriptum cepterint, loco moventor, vel alia arbitraria pœna adjicitor.

IDEM Aug. & Cæs. in Ord. part. 1. tit. 54.

2. Commissa officialium Cancellariæ, Præfectus; vel si sint graviora, Camera punito.

IDEM Aug. & Cæs. in Ord. part. 1. tit. 55.

3. Nuncii nunciorumque Magister contra ordinationem delinquentes, à Judice, consilio Adsessorum: sin leviora sint commissa, per Deputatum suum, carcere, remotione, aliisve modis emendantor.

IDEM Aug. & Cæs. in Ord. part. 1. tit. 50.

4. Delicto seu crimine à Cameralium quopiam perpetrato, Magistratus loci noxium illico prehensum, semper & à vestigio Judici & Adsessoribus tradito: Hi traditum carcere detinento, aliove poltea crimini conveniente supplicio adficiunto: læsus justitiam non sit assecutus pœna in corpus exequenda sit, idque vel manifesto, vel legitimis in locis appareat, ea inquisitione a Judice & Adsessoribus instituta, tum Magistratui prædicto, ut lege agere jubeat, mandanto.

Imp. FERDINANDUS Aug. in Mem. 1556.

5. Nuncii male exequentes præter pœnam etiam propriis sumptibus executionem iterare renent.

IDEM Aug. in Dep. 1557.

6. Electoris Moguntini in Cancellariæ officio, punitio, remotio esto: Judicis tamen & Adsessorum in majorum noxarum animadversione jure illæso, citraque præjudicium Visitationum.

Imp. RUDOLPHUS II. Aug. in Jud. & Ads. Mem. 1577.

7. Quæstorem male gerentem, Judex cum selectis aliquot Adsessoribus, in officii gyrum redacito.

IDEM Aug. in Præf. Mem. 1585.

8. Nuncii delinquentes carcere quidem vel missione, à judice, duobusque vel pluribus Adsessoribus; capitaliter autem à toto Collegio puniuntor.

9. Leviores pœnas Præfectus suo arbitratu irrogato, vel ex causa, accedente consensu judicis exasperato.

TIT. LXI.

De Cancellariæ officiis.

Imp. CAROLUS V. Aug. & FERDINANDUS Cæs. in Ordin. part. 1. tit. 26.

1. Elector Moguntinus tanquam Archicancellarius, Præfectum tabulario, Protonotarios, Notarios & Lectores binos creato.

2. Ejusdemque consensu duo Secretarii & Scribæ, Amanuenses tres, & Cancellariæ minister à Præfecto recipiuntor, amoventorve.

3. Ex his nunciorum Magistri & Acceptores desumuntor, superioribus quibusque decedentibus, proximi ab iis idoneique sufficiuntor.

4. Omnes in Cæsaris & ejus vice collegii verba juranto, atque ei velut alii Camerales accenentor.

Imp. FERDINANDUS Aug. in Deputat. Spirens. 1557.

5. Cancellaria idoneis semper hominibus, quantum opus videbitur, instruitor.

6. Horum omnium abdicatio missive ex ante mensibus significator.

7. Ex consortibus ejusdem functionis, alter alterum officio excedentem intervallo non minus trium mensium subsequitor.

IDEM Aug. in Mem. 1559.

8. Ob negotiorum multitudinem, periculumve causarum, extra horas solitas, feriatis etiam diebus conveniunto, residua absolvunto.

Imp. MAXIMILIANUS II. Aug. in Recef. Spirens. 1570.

9. Ob duplicatos Cancellariæ labores, prioribus Protonotariis, Notariis, & Lectoribus unus terque pro officii cujusque usu & necessitate adjunguntor.

TIT. LXII.

De Cancellariæ præfecto.

Imp. *CAROLUS V.* Aug. & *FERDINANDUS* Cæs. in Ord. part. 1. tit. 27.

1. Ut in Cancellaria omnia bono ordine fiant, & recte suo quisque munere defungatur, Præfecti sollicitudo atque inspectio esto.

2. Inprimis ut quantocyus acta & protocolla perfecte compleantur, & sine mora referenda tradantur, provideto.

3. Nec minus ut Processus, monumentaque literarum celeriter expediantur, ellicitoque ipse ceu ante alios concipiendi peritus, rebus gravioribus operam navato.

a. Quod

4. Quidquid sub nomine, sigilloque Cæsareo emanabit, revideto & subscribito.

5. Demandatum sibi ab Electore Moguntino Cæsareum sigillum fideliter custodito: nec nisi his quæ à Camera decreta fuerint, imprimito.

6. Cancellariam omni mendo & labe rerum personarumque repurgato: quæ emendare non poterit, ad Moguntinum deferto, reformationi de consilio etiam si res poscet, Visitatorum manus admoturum.

Imp. FERDINANDUS Aug. in Mem. 1556.

7. Scribas negotiis Cancellariæ admoveto, non alienos amanuenses, sed peculiariter judicio & Cancellariæ jure jurando devinctos.

8. Cancellariæ munera capiendi facultatem adimito,

IDEM Aug. in Præf. Mem. 1557.

9. Processibus expeditis sacrum sigillum sine mora adponito.

IDEM Aug. in Dep. 1557.

10. Præfecto in obeundo munere nemo molestus esto: in Senatum inque Actorum fortificè quoties volet ingredietor: à Notariis Lectoribus, aliis Cancellariæ ministeriis officii rationem reposcito, & ad justa prœbenda compellito.

IDEM Aug. in Præf. Mem. 1560.

11. Ut emendare Sententiæ & Attestationes describantur, curato.

IDEM Aug. in Proc. Mem. 1560.

12. Informes supplicationes & producta in correcta, vel ultro observata vel suggesta à partibus Præfectus & Protonotarii Collegio punitionis gratia indicanto.

Imp. MAXIMILIANUS II. Aug. in Mem 1571.

13. Si quid in pleno Senatu deliberabitur, quod Præfectum scripto complecti oporteat, in senatum ipse quoque advocator.

TIT. LXIII.

De Cancellariæ scribis.

Imp. CAROLUS V. Aug. & FERDINANDUS Cæsar. in Ordinat. part. 1. tit. 31.

1. Scribenda pr Præfectum, Protonotarios, Notarios tradita, diligenter exaranto: aliaq; Præfecti jussa capessunto: muneri recte inserviunto.

Imp. FERDINANDUS Aug. in Vis. 1559.

2. In Cancellaria tempori semper adsunto: muneri suo sollicitius invigilanto.

TIT. LXIV.

De Cancellariæ ministro.

Imp. CAROLUS X. Aug. & FERDINANDUS Cæs. in Ord. part. 1. tit. 32.

1. Horis solitis Cancellariam tempestive aperito, claudique, rectèque custodito, ante fores consistito, mandata perficito.

Imp. FERDINANDUS Aug. in Mem. 1559.

2. Scribam adcersiturus, causam vel in aurem, vel nullam exprimito.

TIT. LXV.

De cancellariæ sustentatione.

Imp. CAROLUS V. Aug. & FERDINANDUS Cæs. in Ordin. part. 1. tit. 44.

1. Præfectus aliaque Cancellariæ officia, Electoris Moguntini ceu Archicancellarii sumptu exhibentor.

2. At Præfecto tamen tanquam Deputato centeni: Magistro nunciorum triceni floreni baciorum sedecim, ex fisco Cameræ insuper à Quæstore numerantor.

Imp. *FERDINANDUS* Aug. in Decr. Dep. 1557. 14. Aug.

3. Lectorum circa Arcam Quæstoriam cura & custodia annuis duodenis florenis remunerator.

TIT. LXVI.

De cancellaria taxatione.

Imp. *CAROLUS V.* Aug. & *FERDINANDUS* Cæs. in Ordin. part. 1. tit 33.

1. Citatio simplex floreno uno cum quadrante: cum Inhibitione inserta, duobus & quadrante: Compulsoriales, duobus itidem cum quadrante: Mandatum, tribus cum quadrante; cum Citatione inserta, quatuor & quadrante; Commissio examinandis testibus, sex cum quadrante florenis æstimantor.

2. Reliquis mandatoriis aliisque litteris Præfectus pretium ex bono & æquo statuito: nemini gravis esto.

Imp. *FERDINANDVS* Aug. in Mem. 1556.

3. *Rescripta* processuum quinis in folia cruciatis, neu pluris redimuntor.
4. Edictorum publicorum exempla ne tanti, quanti originalia licento.
5. Sententiarum decretorumque publicatorum exempla gratis dictantor.
6. Articuli commissionibus inserti, seorsim ab illis ne taxantor.
7. Documentis sententiarum acceptis, laborum nomine aliud nihil pensitator.

IDEM Aug. in Proc. Mem. 1561.

8. Exactæ à Cancellaria iniquæ meredis querela, in Camera alibive loco opportuno proponitor.

In p. MAXIMILIANUS II. Aug. in Recess. Augustano 1566.

9. Pro collatione in singula folia, quaterni cruciati: pro depolito centum florenorum numeratorum à Lectoribus sendi florenus: pro conquisitione actorum quamdiu lis pependerit, annui cruciati quaterni; pro privilegiorum insinuationibus floreni aurei singuli penduntor.
10. Notario causarum fiscalium, in singula folia pro collatione quaterni cruciati solvuntor.

IDEM Aug. in Recess. Spirens. 1570.

11. Auctis dehinc Cancellariæ tum laboribus, tum & personis, etiam taxatio auctior quadrante esto.

TIT. LXVII.

De Cancellariæ debitis.

Imp. *CAROLVS V.* Aug & *FERDINANDVS* Cæs. in Ordin. part. 1. tit. 33.

1. Victor expensis adjudicatis (si sententiæ documentum non peter) solus; expensis vero compensatis, cum adversario simul, pro Cancellariæ laboribus, arbitrio Præfecti ut viri boni, idque ante quam expensæ taxandæ designentur, vel executoriales communicentur, satisfacito: Controversiam hinc ortam Camera æqua lance perpensam, decidito.

IDEM Aug. & Cæs. in Ord. part. 1. tit. 24.

2. Debita Cancellariæ *Procuratoribus* soluta protinus sub pœna arbitraria renumerantor.

Imp. FERDINANDUS II. Aug. in Mem. 1556.

3. Eo nomine Procuratores plus æquo ne accipiunto, neu expensum partibus ferunto.

IDEM Aug. in Dep. 1557.

4. Hæc apud partes debita instanter flagitanto: diligentiæ in eo præstitæ testimonium petenti Præfecto porrigunto: vel Judicis & Adsessorum arbitrio puniuntor.
5. Monitoriis à Procuratoribus contra partes impetratis, Cancellariæ debita inseruntor, simulque recipiuntor.
6. Vel etiam pro his solis Fiscalis monitoria in Camera obtineto.

IDEM Aug. in Mem. 1559.

7. Missam à *Partibus* pecuniam *Procuratores* illiere moneta ne mutanto.

IDEM Aug. in Dep. 1557.

8. Debita *Partium* pro quibus *Procuratores* erga Cancellariam interceserint, exsolvunto; nec ad *Principales* suos remittunto.

TIT. LXVIII.

De Causis ordinariis.

Imp. CAROLUS V. Aug. & FERDINANDUS Cæs. in Ordin. part. 3. tit. 4.

1. Omnes causæ, quæ inter extraordinarias non recensentur nominatim, ordinariæ sunto, & in audientia ordinariarum proponuntor.

IDEM Aug. & Cæs. in Ord. part. 1. tit. 23.

2. Ordinariis causis ne quis extraordinarias immisceto, sed suo ordini reservato.

IDEM Aug. & Cæs. in Ord. part. 3. tit. 41.

3. Nec stationis suæ nec causarum ordinariarum & extraordinariarum *Rogationum* ve ordinem quisquam turbato, vel prævertito.

TIT. LXIX.

De Causis extraordinariis.

Imp. *CAROLVS V.* Aug. & *FERDINANDVS* Cæs. in Ord. part. 3. tit. 3.

1. Extraordinariæ causæ hæ sunto: Incompetentiæ, Devolutionis, Editionis actorum, vel pœnæ compulsorialium, Attentatorum & Inhibitionum, Fractæ pacis, Spolii, Periculi rei interitus lite pendente, Periculi moræ, Publicationis Rotulorum, secundæ vel tertiæ dilationis probatoriæ, Taxationis expensarum, alimentorum, Executionum, Mandatorum pœnalium, Litigiosæ possessionis, Legis Diffamati, Relaxationis juramenti ad effectum agendi, Nullitatum, Petitionis Administrationis vel tutorum vel curatorum, lequestrationis rei in Camera non litigiosæ, Interpositionis decreti, Infinuationis donationum, Confirmationis dotium, Exemplationis privilegiorum, Missionis ex primo decreto, vel ex edicto D Hadriani, Itemque ventris nomine, Nunciationis novi operis, Cautionis damni infecti, Appellationis ex hisdem omnibus causis. IDEM.

IDEM Aug. & Cæs. in Ordin. part. 3. tit. 31.

2. Super pœna Compulsorialium, etsi ipsa Appellationis causa sit ordinaria extraordinariarum more proceditor.

Imp. *FERDINANDVS* Aug. in Cameral. Mem. 1557.

3. Procuratores non minus in extraordinariis causis, quam ordinariis proponendis æqualitatem & temporis ordinem servanto.

Imp. MAXIMILIANVS II. Aug. in Bes. 1573. 8. Maij.

4. Ad conclusionem ex una parte factam, ut alter procedat, tam in ordinariis, quam extraordinariis petere liceto: submissiones eo nomine facere ne licento.

Imp. *CAROLVS V.* Aug. & *FERDINANDVS* Cæs. in Ordin. part. 3. tit. 22.

5. Conclusiones scriptæ servato discrimine ordinariarum & extraordinariarum verbales indistincte audiuntor.

TIT. LXX.

De Causis summariis.

Imp. *RVDOLPHVS II.* Aug. in Beschcidis Cam. 1579. 6. Jul.

1. In causis summariis & extraordinariis, maximeque Executionum, ex singularum natura, usuq; & stylo judicii brevitatis cura præcipua habetor.

TIT. LXXI.

De Cautione.

Imp. CAROLUS V. Aug. & FERDINANDUS Cæs. in Ordin. part. 3 tit. 49.

1. Extraneus subditum Imperii in Camera conventurus, idoneæ satisdationi, ne foris quærenda sit executio, subiicitor.

Imp. *RVDOLPHVS II.* Aug. in Deput. Spirens. 1600.

2. Ex Ordinationis part. II. tit. XII. relaxandus captivus, non eodem loci restitui in casum victoriæ, sed judicio tantum sisti cavere tenetor.

3. In restitutione ex causa pignerationis facienda, Cautio non exacta nec debetor: exacta, nuda repromissione præstator.

4. In causis Arrestorum, an per hypothecam omnium bonorum idonee cautum videatur, judicantis arbitrio relinquitor.

TIT. LXXII.

De Circulis seu regionibus Imperii.

Imp. *MAXIMILIANVS I.* Aug. in Ordinat. Regimenti 1500. cap. 4. in f. cum seqq.

1. Supplendo Senatui Reip. administrandæ, legendisque senis præter ceteros Imperii senatoribus, Circuli constituti hi sex sunto: Francicus, Bavaricus, Suevicus, Rhenanus superior, Westphalicus, Saxonicus.

IDEM Aug. & Ord. Cam. 1507. cap. 19. in f. & seqq.

2. Ex hisdem Cameræ Adsessores juxta ordinationem nominantor.

IDEM Aug. in *Recess.* Colonienst 1512.

3. Circulis sex superioribus, quatuor alii, puta: * Austriacus, Burgundicus, Electorius Rhenanus, & superior Saxonicus adjunguntor; atque ita decem deinceps Circuli, conservandæ paci publicæ sunto.

4. Nullius Jurisdictioni, eminentiæ, juri, ea divisione præjudicator.

Imp. CAROLUS V. Aug. in Declar. Pacis publ. 1522. cap. 1.

5. Justitiæ Imperio, pacique publicæ, sanctionibusque tuendis, atq; sententiis, mandatis, aliisque rebus exequendis, decem Circulorum ratio institutioque rata esto.

* *Addi postea sunt etiam Bohemicus cum Silesia & Moravia Borussicus cum Massovia & Samogitia: Livonicus, &c. de quib. nihil constitutum reperitur.*

TIT. LXXIII.

De citatione ad reassumendum.

Imp. MAXIMILIANVS II. Aug. in Proc. Mem 1575.

1. Procuratore Parteve altera ante, vel illo etiam post litis contestationem defunctis; Procurator alter citationem ad reassumendum ante omnia, si volet, postulato, implorationibus submissionibusque illegitimis sub pœna arbitraria temperato.

Imp. *RVDOLPHVS II.* Aug. in Jud. & Adss. Mem. 1578.

2. Alterutra parte vel Procuratore post conclusionem decedentibus etiam sine citatione ad reassumendam causam, vel audiendum pronunciatum, sententia in superstitem, sive Dominum, seu Procuratorem concipitor.

3. In executione tamen ipsæ Partes heredesve citantor: contra emanentes in contumaciam proceditor.

IDEN Aug. in Deputat. Spirens. 1600.

4. Litigantium altero post conclusionem causæ defuncto, sententia in Procuratorem cæsim dominum profertur: ceteris omnibus calibus Citatio ad reassumendum præcedito.

5. Neutrius partis existente apud Acta Procuratore, nihil pronunciator.

TIT. LXXIV.

De clausulis salutaribus.

Imp. FERDINANDUS Aug. in Dep. Spirens. 1557.

1. Clausula salutaris in libello supplici nullum de hinc effectum sortitor.

TIT. LXXV.

De commeatu Judicis & Adsessorum.

Imp. CAROLUS V. Aug. & FERDINANDUS Cæs. in Ord. part. 1. tit. 7.

1. Sex septimanæ Adsessorum absentiæ quotannis supra ferias concessæ, de hinc sublatæ sunto.

2. Judex & Adsessores à Cameræ judicio, sine licentia speciali ultro citroque sumpta datagite, & hi quidem causis in consilio probatis, ne recedunto: Eorum qui per ferias coram sententiis operam dabunt, causa præcipua esto.

3. Tempus commeatus, diesque obtentæ veniæ & reditus à Protonotario præsente consignator, & ad Quæstorem defertor; is quod ultra commeatus tempus absenti interea stipendii decidet, per trimestria ceteros distribuito.

4. Commeatus paucis simul, nec suprà quam duobus, tribusve aut summum quatuor Adsessoribus dator.

5. Judex tanquam caput moderatorque collegii eodem jure esto. attamen præter vacationes solemnes sive majores, quatuor quotannis absentiæ hebdomadas ex justa & Adsessoribus probata causa, liberas præcipuasque habeto.

Imp. FERDINANDUS Aug. in Mem. 1559.

6. In ratione ineunda sex hebdomadarum, anni ab ingressu cujusque Adsessoris computantor,

Imp. RUDOLPHUS II. Aug. in Jud. & Adf. Mem. 1579.

7. Commeatum petiturus Judici primum, ejusve vices gerenti, post etiam in pleno Senatu, Ubi, Quamdiu, Quibusque ex causis abfuturus sit exponito: nemini præter ordinationem necessarii simul dator.

8. Ultra veniam emanentes illico ad functiones revocantor: supra tres, quatuor, quinque vel ad summum menses abesse nulli permittitor.

9. Hos qui excedent; Cæsari quidem & Imperii ordinibus ejus rei rationes reddunto: Interim alii sine cunctatione in eorum locum rite sufficiuntor.

IDEM Aug. in Jud. Mem. 1586.

10. Abeundi potestas per Præsides, non nisi ad biduum, triduumve, & bis in anno, idque de consilio duorum Adsessorum præsentium, petentibus conceditor.

Imp. *MAXIMILIANVS II.* Aug. in Jud. & Adf. Mem. 1575.

11. Biduanæ triduanæve absentiæ, sex septimanis annuis imputantor. Supra veniæ tam absentes, mature revocantor.

Imp. *RVDOLPHVS II.* Aug. in Jud. Mem. 1586.

12. Dies abitus reditusque è vestigio Deputatis neglectorum, & Protonotario coram significator: vel ejus temporis salarium, velut neglectum inter ceteros distribuitor.

IDEM Aug. in Consult. Mem. 1587.

13. Venia impetrata dies abitus reditusq; Deputatis scripto manus propriæ significator; id dum fiat, inve Senatum redeatur, inde à die veniæ stipendium negligitor.

14. A Præside solo absque duobus Adsessoribus obtenta venia justis ex causis valeto.

15. Tempora absentiæ de monento ad momentum computantor.

16. Tres absentiæ dies hactenus sex septimanis adnumerantor, si fuerint juridicæ.

17. Octiduo post impetratum commeatum abeuntes, (extra quam si certum in petendo tempus designarint) stipendii jacturam faciunto.

18. Venia à Visitatoribus impetrata à collegio quoque petitor: post tempus ordinationis vel commeatus indistincte negligitor.

TIT. LXXVI.

De Commeatu reliquorum Cameralium.

Imp. FERDINANDUS Aug. in Dep. 1557.

1. Judici, Præsidibus, Adsessoribus, Præfecto, Advocatis, Procuratoribus, Cameralibus aliis, supra sex quotannis hebdomadas peregre abeundi licentia, absq; causis necessariis Collegio adprobatis, ne dator: Reliqui temporis stipendium absenti detrahitor: & si sine venia absit, multa etiam dicitor.

2. Advocati & Procuratores, commeatum à Judice, si peregre proficiscantur, coram: sin in urbe maneant, etiam per alios, si volent, petunto.

3. Operis Cancellariæ Judex præscitu Præfecti veniam largitor.

Imp.

Imp. MAXINILIANUS II. Aug. in Visit. 1564.

4. Fiscalis sine licentia Judicis & Deputatorum duorum ne discedito.

TIT. LXXVII.

De Commercus.

Imp. MAXIMILIANUS I. Aug. in Ordinat. de vinis 1497.

1. Ne qui's vina medicamentis inficito, nec vala nisi sulphure, idque semel & modice fumigato. Qui secus fecit, effusis utrobique vinis, ille centenos, hi in amphoras singulos aureos pœnæ nomine pendito.

2. Helenio, Salvia, Absyntho, herbisq; similibus condita, aliave arte confecta, innoxia tamen, sed & exotica vina, dummodo pura, extra prohibitionem sunto.

IDEM Aug. in Recess. Augustano 1500 cap 57.

3. Vini infectores Fiscalis Magistratu eorum frustra prius officii admonito, ad pœnam legi dictam deposcito.

Imp. *CAROLUS V.* Aug. in Reformat Politiæ 1548. cap. 16.

4. Corruptores vini aqua, calce, aliisve mixturis, infamia, corpore, bonis multantor.

5. Pharmacopolia Magistratus quotannis minimum semel inspiciunto: species ut synceræ, & justo pretio distrahantur, providento.

6. Zingiber tinctum ne vænito: venale, publicum esto.

Imp. *RUDOLPHUS II.* Aug. in ordinat. Politiæ 1577. cap. 22.

7. Lanarum exportationi justo quo pretio ipsi Circuli modum legesque in omnes ferunto, & pœnis arbitrariis sanciunto, easque Ordines Magistratusque tuentor.

Imp. *CAROLUS V.* Aug. in Recess. Augustano 1551.

8. Crocum corruptum in Imperio promercale ne habetor: eive qui jurisdictioni præest, committitor.

IDEM Aug. in Reformat. Politiæ 1548 cap. 21.

9. Ne quis pannos nisi tinctos tonsosque minutatim, neve per aversionem tonsos, vel infectos vendito: si secus fiat: panni Magistratui cujus eo loco simplex est jurisdictio, vel ejus cessante, judici, accusatorive committuntor.

10. Tabernis quibus panni prostant, vela diem intercipientia dissimulandis pannorum vitiis, ne prætenduntor.

IDEM Aug. in Recess. Augustano 1551.

11. Prohibitio Anni 48. de pannis non extendendis, in Anglicanis aliisque pretiosioribus duntaxat, indistincte in Germanicis vero post tinctionem tonsionemque demum locum habeto: Privilegiis & immunitatibus contrariis eunctis abrogatis.

Imp. *MAXIMILIANUS II.* Aug. in Recess. Spirens. 1570.

12. Fraudes in pannorum distractione commissas, locorum Magistratus, confiscatione etiam bonorum omnium venditoris, ubicunque sita sint, damno tamen emptori prius inde refecto puniunto.

Imp. *RUDOLPHUS II.* Aug. in Ordinat. Politiæ 1577. cap. 21.

13. Omnes Magistratus ne suis in ditionibus invecta noviter tinctura, quam edacitate noxiam cacodæmonis vocitant colorem usurpetur curanto.

14. Si contra fiat: Tinctores bonis honoribusque plectunto: venditores etiam scientes, præter confiscationem panni, dignitatis aliarumque pœnarum diferimen subeunto.

15. Magistratibus hanc legem spernentibus, accusatio publici juris esto: accusatoribus merces delatæ, à quibusvis Judicibus competentibus, præmii loco adjudicantor.

16. Coria pellesque sale conditas ad exteros exportare nemini permittitor.

17. Saccharum, Piper, Crocum, aliæque species mixtionibus alienis ne corrumpuntor, vel fisco vindicantor.

18. Ei rei inspectores qui comperta ad Magistratus deferant per Circulos & provincias constituuntor.

TIT. LXXVIII.

De Comminationibus.

Imp. *MAXIMILIANUS II.* Aug. in Recess. Augustano 1566.

1. Litis contestandæ decreto Comminatio fore, ni eadem vel proxima sequente audientia obtemperetur, ut in contumaciam lis pro contestata habeatur, adnectitor.

IDEM Aug. & *RUDOLPHUS* Cæs. in Consult. Cam. 1576.

2. Partitione in mandatis sine clausula, primo termino non demonstrato, nec prolatis exceptionibus, comminatio eventualis termini ulterioris concessioni subjungitor.

Imp. *RUDOLPHUS II.* Aug. in Jud. & Adst. Mem. 1578.

3. Responsiones ulteriores nunquam circa commination em confessorum injunguntor.

IDEM Aug.in Conſ.1583.

4. Negata per ſententiam prorogatione ulteriore, ſine nova comminatione, quæ priori vel expreſſe adnexa, vel innexa tacite fuerat, repetita intelligitor.

5. Excepturo contra reſponſiones, ſola concluſionis in puncto comminatio proponitor.

6. Atteſtationibus publicatis, termino oppugnandi ſcripta probatoria vel exceptoria, non concluſionis in cauſa, ſed præcluſionis viæ comminatio adiicitor.

TIT. LXXIX.

De commiſſionibus pro teſtibus examinandis.

Imp. FERDINANDVS Aug.in Vil.1562.

1. Commiſſionem petentes, quo in puncto, & ſuper quibus articulis teſtes producturi ſint ſimul exprimunto.

Imp. MAXIMILIANVS II. Aug.in Receſſu Spirenſ.1570.

2. Commiſſariorum & quæ inde pendent, tum nominatio petitioque, tunc adprobatio recuſatione, vel in ſcriptis cum articulis ſimul reſponſionibusque vel viva voce coram Deputatis, eduntor: ibidemque in articulo concluditor.

IDEM Aug.in Proc.Mem.1575.

3. Commiſſariorum nominatio, dilationumve petitio viva voce non ſub audientiis, ſed coram Deputatis proponitor. Secus ſi fiat, Receſſus cum pœna reiicitor.

TIT. LXXX.

De commiſſione in meliore forma.

Imp. MAXIMILIANUS II.. Aug. & RUDOLPHUS Cæſ.in Receſſ. Ratisponenſi,1576.

1. Quibus caſibus itineris maximeque longinqui periculum verſabitur, vel Codices librive feudales, documentave ex archivis eruenda, aut ſigilla vel manus non agnitæ teſtibus probandæ erunt; ſimilibusque aliis, commiſſiones petentibus in optima forma decernuntur.

Imp. *RVDOLPHVS II.* Aug.in Jud.& Adſ.Mem.1578.

2. Commiſſiones in pleniore forma petentes cauſas juſtas alleganto, aliter ne obtinento.

3. Probatoriorum tranſſumptione permiſſa, eoruudem deſignatio apud acta deponenda Cancellariæ exhibetor.

IDEM Aug.in Deputat.Spirenſ.1600.

4. Poteſtas tranſſumendi inſtrumenta non de commiſſionum communi forma ſed meliore intelligitor.

TIT. LXXXI.

De commiſſionibus ad memoriam.

Imp. *RVDOLPHVS II.* Aug.in Proc.Mem.1579.

1. In petenda commiſſione ad futuram rei memoriam, an qui nominantur petenti jurejurando, ſubjectione, aliove conjunctionis nexu devincti ſint, nec ne, diſerte narrator.

IDEM Aug.in Jud.& Adſ.Mem.1585.

2. Commiſſiones ad memoriam pendente lite coram Deputatis in ſcriptis poſtulantor: auditoque intra XIV. diem, vel ut longiſſime, alterum tantum adverſario, propter moræ periculum celerrime decernuntor

IDEM Aug.in Conſ.1590.

3. Commiſſiones ad memoriam nullo habito diſcrimine nata ſit, an naſcitura actio, petentibus decernuntor.

IDEM Aug.in Dep.Spirenſ.1600.

4. Idque etiam lite pendente, ſi ſic Judex cenſuerit.

TIT. LXXXII.

De commiſſariorum recuſatione.

Imp. FERDINANDUS Aug.in Camer.Mem.1557.

1. Contra nominatos, in ſcriptis, non verbo excipitor.

IDEM Aug.in Jud.& Adſ.Mem.1562.

2. Exceptionibus contra Commiſſarios oppoſitis minus firmis, non temere nominatis præteritis remotiores ex officio ſubrogantor.

Imp. RUDOLPHUS II. Aug. in Beſcheid.1583.3. Octob.

3. Adverſus Commiſſarios ne in genere duntaxat, Quod ſint conjuncti, niſi in continenti probetur, excipitor ſub pœna Ordinationis.

IDEM Aug.in Beſcheid,1583.23.Aug.

4. Commiſſione coram Deputatis viva voce petita, nomina commiſſariorum ſimul deſignata in charta exhibentor: ibidemque contra eos in ſcriptis excipitor.

IDEM.

IDEM Aug.in Dep.Spirens.1600.

5. Commissariorum facta rejectione,si unus exceptione major videbitur, is solus creator.
6. Sin plurium nominandorum tempus vel à Judice ex causa dabitur,vel à Patre petetur:comminatio tamen non præclusionis vix,sed unius illius delegandi subnectitor.

TIT. LXXXIII.

De Commissariorum ordinatione.

Imp. CAROLVS V.Aug & FERDINANDUS Cæsar.in Ordinat.part.3.tit.16.

1. Commissarius nemo nisi idoneus & industrius creator.
2. Cameræ Procuratores,præsertim occupatiores, Commissariorum vicem ne funguntor.

Imp. FERDINANDUS Aug.in Visitat.1559.

3. Procuratores,Protonotarii,Notarii,Lectores, aliique his similes Commissionem nullam nisi permissu Cameræ, atque unde neque causis suis impedimentum, neque ipsis suspicio impendeat, subeunto.

Imp. RUDOLPHUS II.Aug.in Jud.& Adf.Mem.1578.

4. Commissarii qui petenti subjectione,ministerio,vel alio modo,qui suspicionem inducat conjuncti sunt,ne ordinantor.

IDEM Aug.in Quæst. Mens 1660.

5. quæstor à Commissionibus,dum supra unum alterumve vel tertium mensem continuum non absit,nominatus ne arcetor.

TIT. LXXXIV.

De Commissariorum officio.

Imp. RUDOLPHUS II.Aug.in Jud.& Adf.mem.1579.

1. Commissariis ut adversæ partis tempus conveniens præstituant, testium nomina mittant, eos super articulis & interrogatoriis diligenter examinent, omnia ad publicationem usque secreta esse elaborent,ipsa Commissione præcipitor.
2. Examine ad memoriam peracto utriusque Notarii protocollum, iis præsentibus cum Rotulo obsignatum,ad Cameram transmittunto.

TIT. LXXXV.

De commissariorum adjunctis.

Imp. RUDOLPHUS II. Aug.in Deput.Spirens.1600.

1. Commissionibus in contumaciam decretis, Notarii adjunctio contumaci in sententia ne reservator.
2. Sed tam ipse Contumax,à Commissario ad Productionis actum citator,quam ultro adhibitus Adjunctus admittitor.

TIT. LXXXVI.

De commissariorum salario.

Imp. *RVDOLPHVS II.* Aug.in Taxat.Cam.1585.tit.4.

1. Commissariis dum absunt,dumque Rotulos conferunt, diurni; & præterea in singulos testes singuli floreni;tum pro Denunciatione,Certificatione,Testium citatione Rotulique subscriptione simul sigilloque,florenus ubique unus.
2. Instrumento transsumpto semiflorenus.
3. Aliis rebus transsumptis,in singula folia octoni; descriptis, quaterni; denique pro diei ad memoriam consignatione quini cruciati præbentor.
4. Examine in mundum redacto pro foliorum ratione cruciati bini vel terni, pro collatione nihil taxator.
5. Notario adjuncto,æstimationis istius dimidium: ceteris qui ultro adhibiti fuerint, & scribis, nihil adjudicator.

TIT. LXXXVII.

De Compotationibus.

Imp. MAXIMILIANUS I. Aug.in Recess. Trevirens.1512.

1. Compotationes & poculorum certamina Magistratus prohibento.
2. Nobiles existimatione,plebei corpore,si fraudem faxint,luunto.
3. Si Magistratus cessabunt: delinquentes Fiscalis in Camera pœnæ nomine convenito.

Imp. CAROLUS V.Aug.in reformat.Politiæ 1548.cap.8.

4. Provocationes ad potandum toto Imperio Principis Magistratusque vitanto, subditisque interdicunto ac coercento.

TIT.

TIT. LXXXVIII.

De compromissis.

Imp. *MAXIMILIANVS II.* Aug in Mem.1562.

1. Compromissis, aliisque extraordinariis causis is modus adhibetor, ut ne ordinariis fiat impedimento.

Imp. *RVDOLPHVS II.* Aug. in Jud.& Adf.Mem.1577.

2. Causæ compromissæ, extra tempus ordinariarum horis pomeridianis vel in feriis referuntor: sportulæ non nisi sententia definitiva concepta, dividuntor.

IDEM Aug. in Recef. Ratisponenf.1594.

3. Causas compromissas Camera non nisi ab immediatis, vel principaliter ad suam jurisdictionem pertinentibus, ubi commodum erit, recipito: Processus alibi ad finem perducitor.

4. Post conclusionem causæ, acta ab Auditore & Partibus obsignata Cameræ transmittuntor: ejusque arbitrio lis deciditor.

5. Revisio nisi ex enormissima læsione & injustitia manifesta ne admittitor. Hæc in futuris locum habento.

TIT. LXXXIX.

De compulsorialibus.

Imp. *CAROLVS V.* Aug.& *FERDINANDVS* Cæs.in Ordin. part.2.tit.31.

1. Compulsoriales contra Judicem, eumve penes quos erunt acta, cum citatione simul, petenti decernuntor.

2. Ni fiat: Patres Procuratorum monitu, intra saltim citationis terminum, à Judice priore, vel acta, vel documentum, quam cito ea editurus sit obtinento.

3. Quibus prætermissis, in primo termino præcise impetrantor, vel appellatus petens à citatione absolvitor.

4. Compulsorialibus non parentes pœnæ nomine à Parte atque Fiscali in Camera conveniuntor, condemnantorque.

5. Sed & damna sumptusque inde natos appellantibus sarcire, arbitrio Cameræ coguntur.

IDEM Aug.& Cæs.in Ordin part.3.tit.31.

6. Si requisitione compulsorialibusque spretis Judex acta non ediderit: pœnas compulsorialium persequi Appellanti liceto.

TIT. XC.

De conclusione causa.

Imp. *CAROLVS V.* Aug. & *FERDINANDVS* Cæs.in Ordin.part.3.tit.23.

1. Ad conclusionem Rei verbalem, Actor confestim, ad scriptam vel illico vel proximo termino viva voce concludito.

2. Reus etiam Actore verbaliter concludente, idem vel vestigio vel proxima præfixarum audientia præstato: terminum longiorem nec petito, nec capito.

3. Per decretum verbo concludere jussi in continenti parento: aut pro concluſa causa habetor.

4. Conclusiones verbis, iisque paucis, & sine repetitione priorum perficiuntor.

5. Quoties alter novi nihil protulerit: alteri viva voce concludere, & adversarium nisi causas novas jurejurando probet, eidem necessitati innectere fas esto.

6. Extra hunc casum nemini alterum obruere præcipiti conclusione liceto.

7. Neuter Procuratorum sine mandato utrimque sufficienti, concludere in causa præsumito.

8. Post conclusionem aliquid in medium allaturus, conclusionem factam ne dissimulato.

IDEM Aug & Cæs.in Ord.par.3.tit.33.

9. In appellationum causis eodem modo iisdemque verbis, quibus & in simplicis querelæ causis concluditor.

Imp. *RVDOLPHVS II.* Aug.in Jud.& Adf.Mem.1578.

10. Procuratores si quid ad causam pertinens habeant proferre: id in scriptis præstanto, data altrinsecus oppugnandi facultate; nec nisi meritis causæ recte discussis viva voce concludunto.

IDEM Aug.in Bef.1593.13 Dec.

11. Cui nullum ultra scriptum competet; is per generalia verba, nequaquam autem scripto concludito.

TIT. XCI.

De conclusione in scriptis.

Imp. *CAROLVS V.* Aug. & *FERDINANDVS* Cæs.in Ordinat.part.3.tit.21.

1. Conclusionibus scriptis novi nihil, nisi quod antea latuisse, & nunc primum perveniſſe in notitiam jurabitur, adspergitor.

IDEM.

IDEM Aug.& Cæs.in Ord.part.3.tit.22.

2. Eadem Reo nisi viva voce concludere malit, dicta lex esto.

Imp.RVDOLPHVS II. Aug.in Deputat.Spirens.1600.

3. Conclusiones scriptæ ubi verbis fieri debuerant, pœna solito graviore atque extraordinaria coercentor.

TIT. XCII.

De Conclusione in puncto.

Imp. CAROLVS V. Aug. & FERDINANDVS Cæs.in Ordin.

part.3.tit.15.

1. In puncto exceptionum contra articulos ne duplicator: sed ad replicas utrimque concludendi ex tempore necessitas esto.

2. Contra Responsiones in specie, & incontinenti vel proxima aut sequenti juridica excipitor; ac sine replicatione submittitor.

IDEM Aug.& Cæs.in Ord.par.3. tit.26.

3. In puncto dilatoriarum alia utrumque id genus exceptionum, ultra duplicas ne proceditor: sed vel eodem, vel proximo termino concluditor.

IDEM Aug.& Cæs.in Ord.part.3.tit.29.

4. In articulo exceptionum peremptoriarum cum triplicatione simul, in scriptis concluditor: mox sine ulteriore scripto viva voce utrumque submittitor.

IDEM Aug.& Cæs.in Ord.par.3 tit.48.

5. Contra executoriales arctiores si excipiatur, replicationi tempus ad proximam indulgetor: nec nisi magna causa ulterior procedenti terminus dator.

Imp. MAXIMILIANUS II. Aug.in Jud.& Adl.Mem.

1572.

6. Executorialibus oppositæ exceptiones, etiam atq; etiam an admittendæ videantur, perpenduntor: nec temere tempus ad replicandum in specie præfigitor.

IDEM Aug.in Recef.Spirens.1570.

7. Publicatis attestationibus bina utrimque scripta, neu plura producuntor; & sic in hoc puncto concluditor.

Imp. RVDOLPHVS II. Aug. in Mem.1586. Ad dub.Colleg.

8. In mandatis sine clausula contra exceptiones replicandi quidem terminus, isque brevis quoad fieri potest, conceditur: sed postea nullum amplius scripterm admittitor.

IDEM Aug.in Dep.Spirens.1600.

9. Publicatis testium dictis, neutri parti plus duo in universum scripta proferendi fas esto.

TIT. XCIII.

De Conclusione ipso jure.

Imp.MAXIMILIANUS II. Aug. in Proc. Mem. 1575.

1. Procuratorum altero verbis in causa concludente, ni alter etiam eadem vel proxima audientia simili modo concludat: causa pro concluſa habetor, complendaque Cancellariæ traditor.

Imp. RUDOLPHUS II. Aug.in Jud.& Adl.Mem.1577.

2. Causæ capita ipso jure concluſa, Adsessores nec ipsi retractanto, nec a Procuratoribus eludi sinunto, quin id conantes puniunto, & causas ad referendum distribuendas Lectoribus committunto.

Imp. MAXIMILIANVS II, Aug.in Proc. Mem.

1575.

3. In articulo responsionum, ni contra Exceptiones vestigio concludatur; pro submisso à Lectoribus adnotator.

Imp. RUDOLPHUS II. Aug.in Conf.1585.

4. Procuratores, si qui non paruerint, illico puniuntor.

TIT. XCIV.

De Conclusionis rescissione.

Imp. CAROLVS V. Aug. & FERDINANDVS Cæs. in Ordin.

part. 3. tit. 23.

1. Si quid post conclusionem incidisse novi, adserentis jurejurando probabitur, ejus rescisso in scriptis postulator, & quod æquum erit, statuitor.

TIT. XCV.

De Consortibus.

Imp.MAXIMILIANVS II. Aug.in Visitat.1568.

1. Consortes pauperum, eorundem immunitatis privilegio ne fruuntor, sed omnium sumptuum viriles suas partes sustineto.

TIT.

TIT. XCVI.

De Contestatione litis.

Imp. CAROLVS V. Aug. & FERDINANDUS Cæsar. in Ordinat. part. 3. tit. 13.

1. Litis contestatio etsi nomine non designetur, sola libelli negatione, & petitione absolutionis ab actione cum expensis & damnis, perficitor.

2. Ad adfirmativam similiter repetitio libelli, vel articulari loco articulorum, vel simplicis nuda, sufficito: cum petitione, hic admissionis ad ulteriora, illic, prout in libello.

IDEM Aug. & Cæs. in Ord. par. 3. tit. 26.

3. Ante litis contestationem merita causæ frustra ne disputantor: ad rem pertinentia allegantor.

4. Exceptionibus dilatoriis per sententiam reprobatis, lis illico contestator vel pro contestata acceptator.

IDEM Aug. & Cæs. in Ord. part. 3. tit. 32.

5. In appellationum pariter causis, verbis perpaucis & usitatis, litis contestatio comprehenditor: cique appellans conclusionem si velit, loco petitionis termini subjicito.

TIT. XCVII.

De Continentia causæ.

Imp. RUDOLPHUS II. Aug. in Conf. 1594.

1. Rebus controversis extra locum domicilii varie dissitis, resecandis frustrationum ambagibus actio velut ex causæ continentia recta in Camera proponitor.

IDEM Aug. in Dep. Spirens. 1600.

2. Adversus plures consortes, quorum sui quisque judicis nominandi jus habeat, si decernat tribunali convenire inter Partes nequierit; in Camera processus ex causæ continentia decernantor.

3. Si quis cui Judicis nominandi ex Ordinatione jus sit, cum ministris una subditisve conveniatur, Camera Judex esto: Sin hi ad eam rem solam operam ita contulerint, ut non ipsi ex proprio alio condemnari, sed gesta ministrorum præstare dominus possit velitq; , hoc casu domini forum non fortiuntor.

4. Jurisdictione, dandique tutoris jure inter immediatos Magistratus litigiosis, periculum avertendi gratia salvoque utriusque litiganris jure, Camera tutorem dato.

TIT. XCVIII.

De Contractibus usurariis & illicitis.

Imp. CAROLUS V. Aug. in reformat. Politiæ 1548. cap. 17.

1. Contractus usurarii, pactaque illicita omnia, irrita interdictaque sunto: à Judicibus quibus vis ad quos deferentur, invalida & nulla esse pronunciantor: à nemine executioni demandantor.

2. Usurarios ii qui simplici jurisdictioni præsunt, quarta sortis parte multanto.

3. Magistratus negligentes Fiscalis ad pœnam duarum, trium, vel quatuor marcarum auri convenito.

4. Emptiones redituum ad finem rationis quincuncis, soli venditori reluitione reservata celebrantor.

5. Hunc modum quidquid excedet, sicut & alia illicita pacta, usuraria & improba sunto: super iis nullus judicum cognitionem interponito, sed dicto jam modo punito.

6. Vsuris Judaicis quisque pro se Magistratus frænum injicito.

Imp. MAXIMILIANUS II. Aug. in Recef. Augustano 1570.

7. Quæ de contractibus usurariis semel sancita perlataque sunt, Judex & Adsessores citra scrupulum exequuntor.

Imp. RUDOLPHUS II. Aug. in Ordinat. Politiæ 1577. cap. 19.

8. Agricolis pro frugibus vel vino pecuniam mutuari, vel prorogare, atque etiam vini frumentique reditus ab iis emere jus esto.

9. Sed mutuum promutuumve ad æstimationem, quæ tempore contractus, proximisve post messem vel vindemiam quaternis denis diebus frequentabitur: Emptio ad rationem pecuniariam quincuncem refertor.

10. Qui fraudem fecerit, sorte atque etiam honoribus & bonis quantumvis nemine quiritante, ex officio multator.

11. Judæi commissoria lege in pignoribus ne utuntor: hypothecæ, ni suo tempore luantur, decreto Magistratus sub hasta venduntor, quod credito superierit, debitori restituitor.

12. Usuras quincuncibus majores Judæi ne exercento.

IDEM Aug. in Deputat. Spirens. 1600.

13. Pactum, ut cessante in pensionum solutione venditore, liceat emptori sortem cum reditibus repetere, ratum esto: eoque nomine si adsint clausulæ executivæ mandata decernuntor.

14. Ex mutuo id quod interest à die moræ debetor: & Creditori vel ad rationem quincuncem, vel quanti pluris liquidaverit, adjudicator.

TIT.

TIT. XCIX.

De Contributionibus Turcicis.

Imp. RUDOLPHUS II. Aug. in Recess. Ratisponens. 1594.

1. Subsidia bono Reipub. Christianæ publico in Turcas collata, Magistratui cuique à subditis suis, cujuscunque conditionis vel immunitatis sint, exigere à more prisco, non tamen supra Censûs sui modum, jus esto. Decretorum tributorum quantitate prius expressa, & ratione habita inopiæ egenorum.

2. Subditi partes suas viriles moniti ad diem inferunto, aut duplum præstare coguntor: ei rei mandata in Camera pœnalia decernuntor.

3. Ipsi Status si in solvendo moram fecerint, proscripti privative Imperii Regalibus, prisci, quique sunto: à Fiscali ad videndum se declarari in pœnam citantor: causa missis ambagibus celeriter ad finem producitor.

4. Citationi primæ, sequentium omnium pensionum termini, inferuntor: eaque pronunciatio: cujusque dies cesserit, repetita, porro proceditor.

5. Proscriptionem privationemve Camera se videbitur, in pecuniariam pœnam convertito.

6. A Pensitationis cujusque die intra tertiam vel quartam septimanam quid à quibusvis illatum sit, ad Rationalem defertor.

7. Exemptiab aliis qui non sunt in quasi possessione libertatis, vel ipsi, vel pro iis eximentes; citra juris sui præjudicium solvunto.

8. Possessiones novi dition um contribuere solitarum, earum onera sustinento.

Imp. MAXIMILIANUS II. Aug. & RUDOLPHUS Cæs. in Recess. Ratisponens. 1576.

9. Territorii inter plures communis onera possessor domus gentilitiæ præstato, à consortibus partes viriles per actionem in Camera reposcito.

Imp. CAROLUS V. Aug. in Recess. Augustano 1548.

10. Eximentibus cessantibus, exempti salvo in illos regressu & indemnitate, tributorum nomine excutiuntor.

11. Actione in exemptos intentata, eximentes, ut intervenient citantor: Camera summatim & de plano cognoscito, litem intra biennium finito.

12. Condemnatis petitio moderationis ex causis integra esto.

13. Probatio quasi possessionis, quatuor vel summum quinque mensium spacio perficienda, ante litis contestationem admittitor, contra quam si pronuncietur, tamen postilla nihilominus causæ principalis jus & prosecutio salva moneto.

14. Qui tabulis publicis censi, neque eximi sese consentiunt, & onera ultro adgnoscunt: sua voluntate sine fraude utuntor: contra eximentes in eo sese turbantes ipsi vel Fiscalis in Camera experiuntor.

15. Exempti qui prius onera subierint, eximentibus cum onere adcrescunto: secus se nihil antea solvissent. Quos tamen memoria exciterit semel iterumque contribuisse hi porro conferunto.

16. Quibus exempti sine onere adcesserint, iis census quoque justo minor augetor.

17. Comitum Baronumque recens dignitate aucti si nec ipsi, nec eorum bona Imperio directe subsint, nihil Imperio conferunto: ceteri censentor salva exemptione, si quam superior jure judicioque evicisset.

18. Provinciæ Burgundicæ & Belgicæ, Imperii protectione continentor: Geldria, Ultrajectum, Zutphanium, Circulo Burgundico adcensentor: omnes Imperio contribuunto.

19. Vicissim Imperii omnes subditi, eadem illis locis, qua indigenæ securitate fruuntur. Salvis Burgundicis Belgicisque exemptionibus, jurisdictionibus, legibus institutis, juxta transactionem hoc nomine celebratam.

20. Episcopatus Tridentinus & Brixinensis, cœnobiumque Murbacense, ad Cameræ duntaxat sustentationem contribuunto: ac principali dignitate, suffragio, sessione, juribus privilegiisque suis fruuntor.

21. Contributiones reliquæ ab Austriacis, quorum sunt in fide & clientela, eorum nomine expediuntor.

22. Circulo Rhenano suum jus quoad Murbacense cœnobium intactum relinquitor.

23. Comitatus Kirchenbergicus, Comites Schaumburgenses, sub Austriacis contributionibus comprehenduntor.

24. Comites Thubingici eorum quæ ab Imperio, non quæ ab Austriacis immediate tenent, nomine conferunto.

25. Burggravius Misnensis perinde, ut Anhaltini Princeps, contribuito.

Imp. FERDINANDUS Aug. an Recess. Ratisponens. 1557.

26. Nobiles in Imperio liberi, Civitatesque Hanseaticæ, quæ nec superiorem alium adgnoscunt, nec Imperii tabulis publicis censi sunt, in contributionis societatem alliciuntor.

Imp. MAXIMILIANUS II. Aug. & RUDOLPHUS Cæs. in Recess. Ratisponens. 1576.

27. Electorum tamen, Principumque & Statuum jure integro & illibato.

28. Sed & Helvetii ceterique Principes Christiani, de jungendis in communem necessitatem piis promtisque auxiliis, à Cæsare appellantor.

TIT. C.

De Contumacio actoris vel appellantis.

Imp. CAROLVS V. Aug. & FERDINANDVS Cæs. in Ordin. part. 3. tit. 12.

1. Actore in primo termino non comparante, Reus proclama petito, & in contumaciam procedito.

IDEM Aug. & Cæs. in Ord. part 3. tit. 42.

2. Proclamate decreto & lapsis (tribus) juridicis, ab instantia, seu citatione implorans absolvitor.

3. Si post comparitionem, libellique oblationem ante tamen litis contestationem actor emaneat: proclamate facto & (tribus) effluxis juridicis, Reo liberum esto, vel ab observatione judicii citationeve liberari, vel contestari litem & meritis causæ firmatis ab actione quoque absolvi.

4. Quod si post litem contestatam abfuerit actor: tum reo perurgente, lis suo Marte decurrito, dirimitorque.

IDEM Aug. & Cæs. in Ord. part 3. tit. 44.

5. Idem contra appellantem contumacem processus servator: si tamen appellatus velit, libello proposito appellationem prosequitor: sed prius fundandæ jurisdictioni appellationem legitimefactam esse doceto, atque acta priora proferto.

6. De hinc si quid supererit promendum, jure actoris in contumacem Reum proscripto uitor.

7. Sin minus, omnibus velut per saturam collectis terminis, simpliciter supra actis prioribus concludito: ni Judici visum fuerit, rem vel rejicere ad proximam, vel aliud decernere.

IDEM Aug. & Cæs. in Deputat. Spirens. 1600.

8. Appellato contra Appellantem absentem in termino, postea ve etiam infra feralia proclama absolutionemque petere jus esto.

TIT. CI.

De Contumacia rei, vel appellati.

Imp. CAROLVS V. Aug. & FERDINANDVS Cæs. in Ordin. part. 3. tit 12.

1. Citatus si primo termino non compareat: actor proclamare petito, in contumaciam procedito.

IDEM Aug. & Cæs. in Ord. par. 3. tit. 43.

2. Proclamare decreto post [tres] juridicas vel ad bannum, vel missionem ex primo decreto, secundum rei naturam procedito: vel causam principalem ad finem usq; uti magis volet, prosequitor.

3. Ad bannum acturus, contumacem denuo proscriptionis excutationisve causa citandum curato: quo emanente, juridicisque (tribus) effluxis, banni declaratio subsequitor.

4. Sin in causa principali actor procedere mavelit: lis eo petente pro contestata habetor, & vel articulis exhibendis terminus ad proximam indulgetor, ipseve libello in continenti loco articulorum si forte re petito, & accusata contumacia tempus probandi postulato. Ex causa tamen Judex ad proximam rejicito.

5. Si deliberatione habita articulos admonendos Judex decreverit, dilationem ad probandum arbitrariam dato: probatoria aliaque acta examinato, & sententiam demque præferto.

6. Actorem tamen ab impensis etsi succumbat liberato: ipsumque adeo contumacem hoc casu non nisi sub judicii finem iisdem condemnato.

IDEM Aug. & Cæs. in Ord. par. 3. tit. 45.

7. Contra appellatum contumacem appellans in eligenda una est tribus viis jure Actoris utitor: attamen causæ principalis processu electo, eadem quæ Appellato præscripta sunt impleto.

Imp. RUDOLPHUS II. Aug. in Deputat. Spirens. 1600.

8. Citato non comparente, proclama ipso Citationis termino postulator, atque intra proximos inde sex menses in contumaciam proceditor: vel juste causa curita non fiat, periculo ablolutionis à Citatione proferuntor.

9. In contumaciam tutorum curatorumve non in causa principali contra minores, sed adversum ipsos ad bannum vel immissionem proceditor.

TIT. CII.

De Contumaciis utriusque communibus.

Imp. MAXINILIANUS II. Aug. in Bescheid. 1574. 17. Aug.

1. A proclamate facto, post sedecim Juridicas in contumaciam proceditor.

Imp. RUDOLPHUS II. aug. in Deputat. Spirens. 1600.

2. Sex juridicæ non proclamati decernendo, sed eo decreto processui in contumaciam præscriptæ intelliguntor.

3. Eædemque à prima ad ultimam continuæ sunto.

TIT.

TIT. CIII.

De contumaciæ accuſatione.

Imp. *CAROLVS V.* Aug. & *FERDINANDVS* Cæſ. in Ordin. part. 2. tit. 10.

1. Alienam contumaciam inique accuſantes, pœna Ordinationis adficiuntor.

Imp. MAXIMILIANUS II. Aug. in Viſitat. 1576.

2. Contumatiam non agentium in termino accuſaturi, diem quo agi oportuit, in ſpecie nominanto.

Imp. RUDOLPHUS II. Aug. in Jud. & Adſ Mem. 1578.

3. Cujus accuſabitur contumacia, is per termini præfixionem ad agendum compellitor.

TIT. CIV.

De contumaciæ pœna.

Imp. FERDINANDUS Aug. in Viſitat. 1564.

1. Florenariæ multæ in Fiſcalibus cauſis ex contumacia debitæ, non ſegniter per pedellos exiguntor, Fiſcalique reſtituuntor.

Imp. RUDOLPHUS II. Aug. in Deputat. Spirenſ. 1600.

2. Contumaciæ pœnæ etiam contra Univerſitatem unius floreni eſto.

TIT. CV.

De contumaciæ excuſatione.

Imp. *CAROLUS* V. Aug. & *FERDINANDUS* Cæſ. in Ordinat. part. 3. tit. 10.

1. Excuſatio contumaciæ ſi longior erit, in ſcriptis ad proximam exhibetor: contraque viva voce concluditor.

Imp. *MAXIMILIANUS II.* Aug. in Bſcheid 1567. 14. Nov.

2. Accuſati contumaciæ Procuratores, ſi ſint parati, incontinenti loco excuſationis quæ ipſis incumbunt agenda, gemina proferunto, ejuſque copiam adverſario factunto, ſub pœna arbitraria.

TIT. CVI.

De contumacis admiſſione.

Imp. *CAROLUS* V. Aug. & *FERDINANDUS* Cæſ. in Ordinat. part. 3. tit. 46.

1. Contumaciter abſens, litem eo ſtatu, quo ante concluſionem repererit, reſumito, geſta eo uſque ne retexito: expenſas & damno arbitrio Judicis prius feficito: concluſionem reſcindi niſi ex juſta cauſa ne obtineto.

IDEM Aug. & Cæſ. in Ord. part 3. tit. 41.

2. Contumax in non agendo, ſimiliter præter pœnas juris communis non niſi refuſis damnis & expenſis, ad cauſam eo ſtatu proſequendam quo erit, admittitor: adverſario interim procedendi jus eſto. Si procuratorum in eo culpa vertetur, ipſi ſumptus de ſuo perſolvunto.

Imp. RUDOLPHUS *II.* Aug. in Deputat. Spirenſ. 1600.

3. Proclamatis recitato ſemel publice decreto, Procuratori nec incontinenti quidem citra contumaciæ purgationem, ad cauſam aditus, nec ſubmiſſio eo nomine facta impune eſto.

4. Procurator pro contumace compariturus, ultro contumaciam à ſe purgatam eſſe ſignificato, vel eam in judicio offerto.

TIT. CVII.

De copiis.

Imp. *CAROLUS* V. Aug. & *FERDINANDUS* Cæſar. in Ordinat. part. 1. tit. 24.

1. Exempla è Cancellaria petita, ſine cunctatione Procuratores redimunto, nec ad partes rejiciunto.

Imp. *FERDINANDUS* Aug. in Deputat. Spirenſ. 1557.

2. Exempla is redimito, qui è Cancellaria petierit, ſive pars ſit, ſive Procurator.

IDEM Aug. in Viſitat. 1564.

3. Exempla è Cancellaria petita, expeditaque Procuratores ultro.

Imp. *RUDOLPHUS II.* Aug. in Beſcheid. 1579. 11. Sept.

4. Idque intra tertiam hebdomadam ſub pœna arbitria.

Imp. MAXIMILIANUS II. Aug. in Viſitat. 1564.

5. Vel poſt Præfecti admonitionem intra dies ad ſummum quatuor: decim redimunto.

Proc. Mem. 61.

6. Utcunque Procuratores ea in re eſſe deſierint.

Proc. Mem. 1600.

7. Exempla è Tabulario luenda Procuratores per ſuos, ſive conductos Amanuenſes ne deſeriunto,

bunto, neu sibi eorum mutuo copiam faciunto. Quorum in hac re detecta collusio fuerit, ex arbitrio puniuntor.

TIT. CVIII.

De Criminalibus causis.

Imp. CAROLVS V. Aug. & FERDINANDVS Cæs. in Ordin. part. 2. tit. 10.

1. Omnes qui cum Imperio sunt Magistratus contra criminum reos de more locique consuetudine & jure, procedendi potestatem habento.

TIT. CIX.

De Debitoribus.

Imp. RUDOLPHUS II. Aug. in Ordinat. Politiæ 1577. cap. 35.

1. Debitorum, fidejussorumque traductiones, diffamationes, adfixiones publicas, pacta quoque quo quid eorum fieri liceat, deinceps prohibita, sublataque & cassa sunto.

2. Eam rem Magistratus sub quibus contigerit, acriter ulciscuntor.

TIT. CX.

De declaratione pœnæ.

Imp. RUDOLPHUS II. Aug. in Jud. & Adsm. 1579.

1. In mandatis sine clausula pœnæ declaratio non per libellum sed nudis verbis petitor: salvis justis contra mandatum exceptionibus.

IDEM Aug. in Dep. Spirens. 1600.

2. Paritione per sententiam Exceptionibus non obstantibus semel injuncta secutaque, si idem postea factum, eadem ex causa iterabitur, sine novo mandato protinus ad pœnæ declarationem veli ex re jam ante judicata decurritor.

3. Exceptionibus semel improbatis, si in alia causa, de eodem jure agi inter eosdem ex narratis constiterit: posteriori mandato pœna gravior additor, tempus autem brevius non ad excipiendum, sed parendum præcise conceditor. Et si non aliis quam antiquaris illis exceptionibus paritioni mora quæsita videbitur, declarationi pœnæ, arctiorique mandato locus illico esto.

4. Prolatis primo termino Exceptionibus quantumvis ineptis, non tamen evestigio pœna irrogator, sed in eundem non paritionis eventum, hic in pœnam condemnator, illi arctiores processus permittuntor.

5. Si paritio post sententiam causa cognita latam, non in solidum, sed pro parte doceatur, cum quid quantumcunque præstari oporteret, liquido constaret, declarationi pœnæ mora nulla esto.

IDEM Aug. in Consult. 1600.

6. In mandatis sine clausula absens per contumaciam in primo termino Reus confestim in pœnam declarator.

TIT. CXI.

De Decoctoribus.

Imp. CAROLUS V. Aug. in Reformat. Politiæ 1548. cap. 22.

1. Qui culpa non casu foro cesserint, furib. haud absimiles, citra voluntatem creditorum à nemine locum tutum receptumve impetranto, ubivis in jus trahuntor puniuntorque, ne quidem reversi domum ad ullos honores admittuntor. Qui in alia sunt causa, alio jure sunto.

Imp. RVDOLPHVS II. Aug. in Ordinat. Polit. 1577. cap. 13.

2. Magistratus quorum in ditiones decoctores confugerint, quidquid illi pecuniæ, auri, librorum, instrumentorum, bonorumque convaserint, secumque detulerint, id omne ablatum depositumque in rem creditorum adservanto.

TIT. CXII.

De decretis supplicationum.

Imp. FERDINANDUS Aug. in Jud. & Aug. Mem. 1557.

1. Negatorum ob ineptam supplicationis formam processum causa errorque decretis aliquo modo innuitor.

Imp. MAXIMILIANVS II. Aug. in Recessu Spirens. 1570.

2. Processibus ob vitium supplicationis sanabile denegatis, clausulæ solitæ Auff vorbrachte narrata, vel wie gebetten abgeschlagen/ aliæve consimiles decretis adjiciuntor.

TIT. CXIII.

De Decretorum inscriptione.

Imp. CAROLVS V. Aug. & FERDINANDVS Cæs. in Ordin. part. 1. tit. 10.

1. Decreta supplicationum per Notarios, non per Adsessores inscribuntor.

Imp

Imp. MAXIMILIANUS II. Aug. in Jud. & Adſ. Mem. 1562.

2. Supplicationum decretis, nec dum ut decet in ſcriptis, Referentes ne dilabuntor.

IDEM Aug. in Jud. & Adſ. Mem. 1563.

3. Interlocutiones Notariis non in Tabulario, ſed re præſenti, illico poſt relationem, *Adſeſſores* verbis apertis, ſenſuque plano & perſpicuo dictanto.

IDEM *Aug.* in Recеſſ. *Auguſtano* 1566.

4. Supplicationibus in cauſis dubiis, majorisve momenti expeditis, Protonatorii vel Notarii cum decretis una Referentium quoque nomina, decidendique rationes (ut æqualitas poſtea in cauſis ſimilibus ſervetur) præſcribunto.

IDEM Aug. in Jud. & *Adſ.* Mem. 1572.

5. Decreta Notariis extra Senatum ne dictantor: neve ab iis exeipiuntor.

IMP. RUDOLPHUS II. Aug. in Jud. & Adſ. Mem. 1579.

6. Sententiæ ſive decreta Notariis non niſi præſentibus *Adſeſſoribus*, qui relationi intetfuerint, dictantor: conſeltimque in protocolli margine expeditionis nota adponitor.

TIT. CXIV.

De decretis viſitationum.

Imp. MAXIMILIANUS II.. Aug. in Mem. 1570. 23 Maji.

1. Viſitationum omnium decreta, ſubinde collegio communicata, in codicem relata in curia ad-adſervantor: à nullo *Adſeſſorum* niſi ex Judicis eove abſente Præſidum permiſſu, Lectoribus adnotantibus, domum deferuntor, nullaque interpoſita mora reportantor.

IDEM *Aug.* in Jud. & *Adſ.* Mem. 1568.

2. In Senatu adſidue, requirentibus ad manum præſto ſunto.

Imp. RUDOLPHUS II. Aug. in Jud. & Adſ. Mem. 1577.

3. Eadem poſt annum CIↃ.IↃ.LXX. facta ſcitaque, auctore Judice in compendium conferuntor: & vel libro inſcribuntor, vel tabella in curia ſuſpenduntor.

IDEM Aug. in Recеſſ. Ratisponenſ. 1598.

4. Quæ poſt annum 1555. Ordinum univerſorum, Deputatorumve vel viſitatorum conſtitutionibus, Commentariisve vel Collegii generalibus decretis & conſulris ex Ordinatione Camerali demutata ſunt, ea in breviarum redacta parata ſemper atque obvia apud Curiam ſunto.

5. Ipſa ex iisdem Ordinatio per delectos à Collegio utriusque Religionis æquali numero refingitor, & in Tabellarium Moguntinum, Cæſaris atque Ordinum auctoritate publicanda deſtinator.

TIT. CXV.

De defenſione licita.

Imp. CAROLUS V. Aug. & FERDINANDUS Cæſ. in Ordin. part. 2. tit. 9.

1. Vim contra pacem publicam illatam, etiam ante ſententiam proſcriptionis, incontinenti, vel cum primum ſociorum & auxiliarium copia erit, repellere & referre integrum & impune eſto.

2. Scripto etiam publico factum tueri jus eſto.

TIT. CXVI.

De defenſionalibus.

Imp. CAROLUS V. Aug. & FERDINANDUS Cæſ. in Ordin. part. 3. tit. 15.

1. Defenſionales vel quarto termino vel ſaltem ante conceſſam actori primam probandi dilationem: nec ultra, ni juretur non fraude vel fruſtrandi cauſa fieri, ſed quod nunc demum in Rei notitiam venerint, exhibentor.

TIT. CXVII.

De depoſitis.

Imp. CAROLUS V. Aug. & FERDINANDUS Cæſar. in Ordinat. part. 1. tit. 30.

1. Depoſitæ pecuniæ ſervandæ arca ſeu capſa in actorum fornice conſtituitor, ad eam claves quatuor conficiuntor: unam Judex, Electoralium Adſeſſorum ſeniores unam, unam circulares, & unam Præfectus teneto.

TIT. CXVIII.

De Deputatis poſt audientias.

Imp. CAROLUS V. Aug. & FERDINANDUS Cæſ. in Ordin. part. 3. tit. 11.

1. Adſeſſores bini audiendis cauſis infra memorandis, ſubmiſſionibusque levioribus è veſtigio decidendis, vel in Senatu poſtea referendis, poſt judicialem quamvis audientiam deputantor.

2. Coram his ſigilla, manus, ſcripturæ adgnoſcuntor vel negantor: Commiſſarii petuntor, nominantorque: mortes partium, tractatusve concordiæ & tranſactiones ſignificantor, dilationes ſecundæ & tertiæ petuntor, & cauſæ impedimenti priorum indicantor.

Imp. FERDINANDUS Aug. in Visitat. 1561.

3. Apud Deputatos peragenda Rogationibus Audientiarum ne immiscentor factitante puniuntor.

Imp. MAXIMILIANUS II. Aug. in Recef. Spirenf. 1570.

4. Coram Deputatis, uti fuper Commiffariis, fic etiam in articulo tutorum curatorumve ad concluſionem proceditor, atque in his aliisque huc pertinentibus cauſis contumacia accuſantor.

Imp. *RUDOLPHUS II.* Aug. in Beſcheid. 1583. 3. Octob.

5. Coram Deputatis acturi, pedello in pendente audientia ſub pœna ordinationis ſignificanto.

IDEM Aug. in Conſult. 1603.

6. Terminorum prorogationes ne apud Deputatos ſub pœna arbitria, ſed in novis petuntor.

TIT. CXIX.

De *deputatis cauſis extraordinariis.*

Imp. FERDINANDUS Aug. in Viſitat. 1556.

1. Extraordinaria negotia, Judex cum aliquod Adſeſſoribus horis vacuis & ſubſecivis tractato citra præjudicium cauſarum aliarum.

Imp. *MAXIMILIANUS II.* Aug. in Jud. & Adſ. Mem. 1575.

2. Extraordinaria duobus Senatibus per ſemeſtria mutantis committuntor. In electionibus Adſeſſorum, novisque & gravibus Religionis, Reivepub. cauſis plures, omnesve adhibentor.

3. Leviores res politicæ de more à binis, quaternis, vel ſenis Adſeſſoribus abſolvuntor: Decreta memoriæ conſignantor.

IDEM Aug. & RUDOLPHUS Cæſ. in Jud. & Adſ. Mem. 1576.

4. Extraordinariis cauſis Judex ſeniores & peritiores Adſeſſores, quo cenſebit numero delegato, mutatoque ex arbitrio: Rebus gravioribus duos Senatus conſulito: conſulta rata ſunto.

5. Deputati extra Relationum vel audientiarum tempora ni qua neceſſitas urgeat, conveniunto: nullam ſibi præ ceteris eminentiæ prærogativam adroganto.

6. Ad Senatus pleni deliberationem pertinentia, ſuo ordini relinquunto.

Imp. RUDOLPHUS II. Aug. in Jud. & Adſ. Mem. 1577.

7. Si res exigat, Judex que cenſeat, etiam ſub audientiarum tempus Deputati coguntor: actum ſeſſionis onere reliquis relevantor.

IDEM Aug. in Mem. 1595.

8. Extraordinaria negotia, ne horis ordinariis, ſed pomeridianis, & diebus ſabbathi, autſi prorſus neceſſe ſit, una duntaxat ante meridiem hora, ſubinde etiam minores feriastractantor.

9. Eadem ratio creandorum Procuratorum, aliorumque Cameralium eſto.

TIT. CXX.

De *deputatis fiſci.*

Imp. *CAROLUS* V. Aug. & *FERDINANDUS* Cæſar. in Ordinat. part. 1. tit. 16.

1. Decreto Collegii duo Adſeſſores ceu Deputati Rationali adjunguntor: ſine horum auctoritate & conſilio, nemo ex Fiſcali cauſa convenitor: ipſi fide ſua, qua Camera devincti, rei commodiſque Fiſci conſulunto: temere non mutantor.

Imp. *FERDINANDUS* Aug. in Deputat. Spirenſ. 1557.

2. Iſtis duo alii adjiciuntor: Hi quatuor omnes interlocutorias in Fiſcalibus cauſis expediunto, extra ordinem & ſine diſpendio relationum ordinariarum.

3. Per ſemeſtria bini liberantor, totidemque his alii ſufficiuntor.

TIT. CXXI.

De *deputato nanciorum.*

Imp. CAROLUS V. Aug. & FERDINANDUS Cæſ. in Ord. part. 1. tit. 35.

1. Præfectus Tabulario, Nunciorum Magiſtrique eorum Deputatus eſto: controverſias inter ipſos, vel cum aliis ortas dijudicato: ut recte ex Ordinationis præſcripto munere defungantur provideto.

TIT. CXXII.

De *deputato nunciorum.*

Imp. *CAROLUS V.* Aug. & *FERDINANDUS* Cæſ. in Ordin. part. 2. tit. 17.

1. Si pacem publicam turbantes, vel præpotentes, vel ab Imperio extranei ſint: res per actorem vel Cameram ad Moguntinum defertor: is Deputatorum Comitia Francofurti habeto: Cæſari pro mittendis Commiſſariis denunciato: ibi de rei ſumma deliberator.

Imp. FERDINANDUS Aug. in Recef. Auguſtano 1555.

2. Ordines Deputati præter ſex Electores, ſex etiam Principes, atque Prælatorum unus, unus è Comitum ordine, Civitates duæ ſunto.

3. Com-

3. Commissariis Cæsareis, si qui mittentur, Electores Deputatique placita sua referunto: de quo his utrique more majorum inter sese comparanto.

IDEM Aug. in Recess. Augustan. 1559.

4. Dispositio anni CIↃ.ⅠↃ.LV. de Deputatis ob majores repentinosque motus ad petitionem circulorum convocandis, ad eorum successores heredesque pertineto: ita uteo casu eveniente Moguntinus Electores cæteros, cumque his una Archiducem Austriæ, Episcopos Wirciburgensem & Monasteriensem, Duces Bavariæ & Juliacensem, Hassiæque Landgravium, Abbatem Weingartensem, Comitem Furstenbergensem, Coloniam & Noribergam civitates convocet: hique compareant in medium consulturi.

Imp. MAXIMILIANUS II. Aug. in Recess. Spirens. 1570.

5. Istis jam dictis hi quatuor, Episcopus Constantiensis, Burgundiæ provincia, Duces Brunsuicensis & Pomeraniæ accedunto.

TIT. CXXIII.

De dilationibus probatoriis.

Imp. CAROLUS V. Aug. & FERDINANDUS Cæs. in Ordin. part. 3. tit. 11.

1. Dilationes probatoriæ coram Deputatis petuntor.

IDEM Aug. & Cæs. in Ord. part. 3. tit. 16.

2. Pro rerum personarumque qualitate statuuntor: secunda & tertia nisi causa cognita, & demonstrata diligentia ne decernuntor: in quarta jus commune locum habeto.

Imp. FERDINANDUS Aug. in Vis. 1559.

3. Dilationes ne frustra abeant, diligentiam Procuratores adhibento: nisi fecerint, puniuntor.

IDEM Aug. & MAXIMILIANUS Cæs. in Vis. 1564.

4. Secunda dilatione petita, Judex & Adsessores semper de tempore redacto in Cancellaria commissionis inquirunto.

Imp. MAXIMILIANUS *II.* Aug. & RUDOLPHUS Cæs. in Jud. Ads. Mem. 1576.

5. Dilatio una pro omni, non ad cujusvis nutum, sed lege, veterique consuetudine decernitor.

Imp. RUDOLPHUS II. Aug. in Jud. & Ads. Mem. 1577.

6. Si quis obtento semel post dilationem primam termino ad producendum Rotulum, deinde nihilominus secundam vel tertiam petat: ejus petitio denegator, calumnia arbitrariæ punitor.

Imp. Aug. in Best. 1577. 3. Jul.

7. Secunda vel tertia dilatio intra tempus prioris, ex causis solidis postulator: post tempus non nisi de facta adhibitæ diligentiæ, impetrator.

IDEM Aug. in Jud. & Ads. Mem. 1580.

8. Dilationem quartam petituri, simul peculiare mandatum, ni clausulam specialem mandato insertam habuerint, proferunto: aut recessus cum pœna Ordinationis rejicitor.

IDEM Aug. in Best. 1583. 3. Octobr.

9. Post tertiam dilationem probandi, tempus ad producendum vel Rotulum, vel mandatum præstandi juramenti quartæ dilationis, ne postulator alternative: sed vel illud solum peracto videlicet examine vel si opus, mandatumque præsto sit, dilatio quarta ejusque juramenti delatio petitor.

IDEM Aug. in Conf. 1590.

10. Dilatione prima vel secunda impetrata, iisque ac tanto insuper temporis intervallo, quantum dilationibus cæteris sufficerat, elapso: nulla ultetius dilatio probatoria, sed producendi duntaxat rotuli terminus indulgetor.

IDEM Aug. in Recess. Ratisponens. 1594.

11. Dilationem quartam petituri, ejus rei mandatum intra tertiam dilationem, vel suæ diligentiæ specimen aliquod exhibento: sin aliter, recessus cum pœna rejicitor.

IDEM Aug. in Dep. Spirens. 1600.

12. Dilatio secunda & deinceps, etiam mortuo adversæ patris procuratore petuntor decernuntorque: Eadem ratio primæ dilationis, sed illo vivo petitæ esto.

13. Dilatione secunda vel tertia intra tempus prioris, sine impedimenti expressione petita, probationis via ne præcluditor: Sed recessu utpote informi rejecto, Procuratori arbitria pœna irrogator.

14. Ex dilationibus probatoriis, solius quartæ prorogatio, ejusve rei petitio esto.

15. Testibus post dilationum denum, producendive Rotuli tempus sacramento rogatis, examen nullius momenti esto: Intra dilationem juratorum utcunque postea examinatorum testium dicta sustinentor.

TIT. CXXIV.

De Documentis.

Imp. CAROLUS V. Aug. & FERDINANDUS Cæs. in Ordin. part. 1. tit. 33.

1. Documenta sententiarum nemini invito, qui ante petierit, à Cancellaria obtruduntor: petita vel invita redimere compelluntor.

Imp. FERDINANDUS Aug. in Camer. Mem. 1559.

2. Documenta originalia in judicio producta, nec dum recognita, à Lectoribus ne reposcuntor, neve impetrantor.

Imp. MAXIMILIANUS II. Aug. in Recess. Augustan. 1566.

3. Documenta authentica cum exemplis exhibita, ut tempestive ab actis retrahantur Procuratores ultro partes commoneaciunto.

IDEM Aug. in Recess. Spirens. 1570.

4. Iisdem recipiendis, nullo existente eorum in judicio usu, terminus procuratoribus cum pœna præstituitor.

Imp. RUDOLPHUS II. Aug in Lect. Mem. 1577.

5. Procuratores qui sigilla manusve adgnitas non receperint, Judici à Lectoribus dicendæ causæ pœnæque sustinendæ nominantor.

TIT. CXXV.

De documento requisitionis.

Imp. RUDOLPHUS II. Aug. in Beschеid. 1585. 7. Jul.

1. Cum compulsorialibus insinuatis simul junctimque acta priora, horumve loco requisitionis documentum profertor, vel compulsoriales non præceptæ petuntor, sub præjudicio absolutionis à Citatione.

IDEM Aug. in Deputat. Spirens. 1600.

2. Requisitionis documentum primo statim termino, periculo damni litis exhibetor: & generale Collegii decretum anno c Iↄ Iↄ. XXCV. in visitatione ad probatum, per omnia ratum esto.

3. Documento requisitionis, si primo termino compulsoriales ante non obtentæ petantur, opus ne esto.

4. Appellante post compulsoriales impetratas documentum requisitionis non primo, sed secundo demum termino proferente. Appellatus licet tum primum compareat, absolutionem petens auditor.

5. Si exactis primove termino prolatis constiterit, judicem acta edere nolle, omissio documenti requisitionis appellanti fravor non esto.

6. Nuncii Cameræ, rogatu appellantium acta recte requisituros, eamque rem cum responso fideliter renunciaturos, peculiari jurejurando devinciuntor: tum deinde Relationes eorum vim documenti requisitionis fidemque merentor

7. Absolutio à citatione ex causa non factæ requisitionis: parte postulante, at non ex officio irrogator.

8. Multoque minus per contumaciam absenti officium in absolvendo impertitor.

9. Absolutio à Citatione ex capite non probatæ requisitionis, non nisi primo termino, vel ad proximam quoadve appellatus aliud egerit, postulator.

TIT. CXXVI.

De dubiis Cameræ.

Imp. CAROLVS V. Aug. & FERDINANDVS Cæs. in Ordin. part. 2. tit. 36.

1. Si qua in re ordinatio circa processum dubia, mancave videbitur: eam usu exigente Judex & Adsessores declarandi, corrigendi supplendi, & quod ita placuerit, usque ad Visitationes annuas observandi, jus potestatemque habento.

2. In Visitationibus postea annuis, hæc aliaque comprobanda aliterve ordinanda proponuntor.

Imp. FERDINANDVS Aug. in Dep. Spirens. 1557.

3. Dubia ex ordinatione, imperiive constitutionibus nata, nec communi Adsessorum consensu decisa, ad Cæsarem & Ordines Imperii per Moguntinum transmittuntor.

Imp. MAXIMILIANUS II. Aug. in Recess. Spirens. 1570.

4. Causæ potissimæ processuum decernendorum & fundandæ jurisdictionis Cameralis, per delegatos à judice colliguntor: in pleno Senatu referuntor: atque aliquid certi, instar styli futurum constituitor.

5. Controversæ Doctorum opiniones totius Senatus consensu adprobatæ conscribuntor, in Tabulario Moguntino deponuntor, publicis Imperii Comitiis promulgandæ.

6. Interea temporis jus faciunto & pro lege servantor.

Imp. RUDOLPHUS II. Aug. in Deputat. Spirens. 1600.

7. De octo novis propositis dubiis Camera certam quandam rationem inito, exhibetoque Electori Moguntino. Interea quoad processum saltem, æquato jure omnium, præjudiciorum contrarietas vitator.

E.

TIT. CXXVII.

De Exceptionum forma.

Imp. CAROLVS V. Aug. & FERDINANDVS Cæs. in Ordin. part. 3. tit. 15.

1. Contra

1. Contra articulos nec sine causis justis, nec verbò per generalia, sed in scriptis, distinctè & specifice sub pœna solita, excipitor.

IDEM ug. & Cæs. in Ord. part. 3. tit. 32.

2. Exceptio contra formalia appellationis clara & specifica, non generalis nec obscura esto: Procuratoribus si contra faciant Ordinationis pœna infligitor.

Imp. RUDOLPHUS II. Aug. in Consult. 1590.

3. Quæ gravamina, quibusque ex causis non admittenda sint, excipiens sigillatim ostendito.

IDEM Aug. in Dep. Spirens. 1600.

4. Exceptiones non devolutionis, desertionis, id genus aliæ, si aliunde vitio careant, obid quod nudis verbis propositæ sunt, ne rejiciuntor.

5. Petita remissione causæ Citationis ad litem de eodem jure inter eosdem pendente, Exceptiones diversitatem causæ utriusque speciatim exprimunto.

TIT. CXXVIII.

De Exceptionum productione.

Imp. *RVDOLPHVS II.* Aug. in Deput. Spirens. 1600.

1. Exceptiones dilatorias vel solas proponendi, vel simul causam principalem in eventum tractandi, suo quisque periculo facultatem liberam habeto.

2. Exceptionibus semel objectis, eventualia nec intra eum ipsum terminum, nec post locum ultra habento. Si tamen contra privilegia Statuum appellatio interposita dicatur: hoc casu de devolutione ante omnia cognoscitor, in eventum actione tantisper suspensa.

3. Si ante editum libellum, proximave post, vel secunda audientia exceptum fuerit: tum quò minus separatim in eventum procedatur, nihil impedito.

5 Tum exceptionum, tum & eventum adnexorum copia, simul adversario conceditor, nec hujus rei ergo sub pœna submittitor.

IDEM Aug. in Conf. 1600.

5. In mandatis cum clausula tum peremptorias, quam dilatorias exceptiones, eodem omnes termino, simulque proponere necesse esto.

TIT. CXXIX.

De Excusatione absentium Adsessorum.

Imp. MAXIMILIANVS II. Aug. in Proc. Mem. 1562.

1. Judex nec accusationes absentium à senatu, nisi justas accipito, nec digrediendi facile veniam largitor.

IDEM Aug. in Jud. & Adf. Mem. 1573.

2. Abfuturorum à Judicio vel Senatu, justæ excusationum causæ in scriptis ipsi Judici vel Vicario mittuntor.

IDEM Aug. in Jud. & Adf. Mem. 1570.

3. A Senatu mane sine idonea excusationis causa absenti, stipendium ejus diei dimidium vel quot horis floreni quadrantes deducuntor, atque intra neglecta distribuuntor.

IDEM Aug. in Jud. Adf. Mem. 1574.

4. Dierum sabbathi eadem ratio, idemque periculum esto.

5. Publicatis in judicio sententiis supplicationum distributioni sese subducentes; pœna neglectorum adficiuntor.

Imp. *RVDOLPHVS II.* Aug. in Consult. 1587.

6. Impediti morbo, Deputatis id scripto sub neglectorum pœna significanto. Interim tam ipsi, quam legitimo modo absentes vel emanentes, quoad vel convalescentiam coram vel redituum in scriptis, Deputatorum alteri indicarint, neglectorum partem nullam faciunto.

7. E Senatu judiciove emansuri, ne prius Judici Præsidive scripto manus suæ causam justam ita specie allegerint: pro temporis rata negligunto.

IDEM Aug. in Conf. 1592.

8. A judicio sese post meridiem scripto excusanies, causæ expressione in specie opus ne habento: sed ejus diei Neglecta ne participanto.

TIT. CXXX.

De Excusatione Procuratorum.

Imp. *FERDINANDVS* Aug. in Camer. Mem. 1557.

1. Procuratores citra licentiam à judicio ne absunto: si præter veniam absint, puniuntor.

Imp. *MAXIMILIANVS II.* Aug. in Proc. Mem. 1576.

2. Judicio abfuturi causas ipsi judici, vel Præsidibus inscriptis porrigunto: sine licentia ne emanento.

IDEM Aug. in Jud. & Adf. Mem. 1576.

3. Procuratores ad judicium vel non quomodo oportet, convenientes, vel citra excusationem emanentes, à Pedellis adnotantor: pœnamque Ordinationis dependere, verbis & ope judicis atque Adsessorum compelluntor.

Imp.

Imp. RUDOLPHUS II. Aug. in Proc. Mem. 1577.

4. Procuratores quotquot nec peregre absunt, nec morbo detinentur, citra exculationis admissionem publicationi sententiarum interveniunto: post excusationem si videbitur non nisi legitima utuntor.

IDEM Aug. in Bes. 1592. 11. Oct.

5. Ex justo impedimento serius adventuri in judicium, scripto se ante horam sub pœna arbitraria excusanto.

IDEM Aug. in Dep. Spirens. 1600.

6. Ne cui Procuratorum citra justam causam abfuisse à judicio impune sit, intentiore debinc cura cavetor.

TIT. CXXXI.

De Executione instrumentorum.

Imp. RUDOLPHUS II. Aug. in Dep. Spirens. 1600.

1. Ex pacto seu clausula instrumentorum, vt liceat bona seu hypothecam citra processum ordinarium per viam executionis in Camera recta persequi, non de soluendo, nec in personam, sed in rem duntaxat mandata decernuntor.

2. Ob instrumento insertas clausulas illicitas, non eo minus ex reliquis eiusdem non prohibitis pactis, mandata sine clausula suis casibus decernuntor.

TIT. CXXXII.

De expensis publicis.

Imp. CAROLUS V. Aug. & FERDINANDUS Cæs. in Ordin. part. 1. tit. 16.

1. Sumptus pro tuitione pacis & oppressorum facti, ab invasoribus vel exiguntor illico, vel in Camera sub banni pœna reposcuntor.

IDEM Aug. in Declarat. Pacis publ. 1522, cap. 36.

2. Sumptus in apparatum executionis bellicum, ii qui exequentur, proroganto: si quid ex bonis prædave, postquam satisfactum fuerit læsis, supererit, sibi servanto.

3. Si nihil occuparint; noxios ipsos eorumque res obligatas eo nomine habento.

4. Proscripti nisi iis refectis, ne absolvuntor.

5. Eorum bona Circulorum Duces, & adjuncti in subsidium (extra feuda) vendunto, ex redacto omnibus satisfaciunto.

6. Feudorum fructus vivo duntaxat vasallo capiunto, dominorum agnatorumque jure integro.

7. Hæc si non sufficient, reliqua contributione omnium ordinum farciuntor.

TIT. CXXXIII.

De expensis fiscalibus.

Imp. CAROLUS V. Aug. & FERDINANDUS Cæs. in Ordin. part. 3. tit. 16.

1. Ex fisci reditibus expensæ processuum Fiscalium, Inquisitionum, omnesque sumptus extraordinarii promuntor.

2. Eo nomine quotannis Commissariis Cæsariis & Visitatoribus, acceptorum expensorumque rationes redduntor: exempla Cæsari, si velit mittuntor.

3. Reliqua nisi quantum unius anni necessitas exigit, Cæsaris arbitrio impenduntor.

Imp. RUDOLPHUS II. Aug. in Fisc. Mem. 1577.

4. Erogationes Fiscali, præterquam in fisci necessitates, & alios usos consuetos, Cameræ decretis ne injungentor: sumptus in singulorum utilitatem impensos, singuli æqua contributione sustinento.

Imp. MAXIMILIANUS II. Aug. in Recess. Augustano 1566.

5. Executorialibus ad contribuendum compulsi, expensas etiam reficere, in Camera perurgentor.

TIT. CXXXIV.

De expensarum processu.

Imp. CAROLUS V. Aug. & FERDINANDUS Cæs. in Ordin. part. 3. tit. 50.

1. In articulo expensarum citatione nova opus ne esto.

2. Procurator esetsi mandata nullam expensarum executionisve mentionem continerit, in utroque tamen articulo admittuntor.

3. Sin expensæ juramento asserendæ eorumve nomine apocha conficiunda sit; his casibus nedum mandato, sed informatione etiam necessaria instructi sunto.

TIT. CXXXV.

De expensarum condemnatione.

Imp. CAROLUS V. Aug. FERDINANDUS Cæs. in Ordin. part. 3. tit. 50.

1. Omnes

1. Omnis qui interlocutoriis succumbent, in expensas ob dilatam litem condemnantor: si Procuratorum culpa intervenerit, ipsi luunto.

IDEM Aug. & Cæs. in Ord. part. 3. tit. 42.

2. Præsens contumaci, utcunque sententia cadat in expensis ne damnator.

Imp. RVDOLPHVS II. Aug. in Deputat. Spirens. 1600.

3. In mandatis sine clausul., si exceptiones deprehendantur ineptæ, maxime si non primo termino, neque ad proximam. sed ex intervallo demum prolatæ fuerint, expensarum in partionis sententia condemnatio, non in eventum, sed pure concipitor.

4. Etiam in pignorationum causis expensarum in puncto paritionis ratio habetor.

TIT. CXXXVI.

De Expensarum designatione.

Imp. CAROLUS V. Aug. & FERDINANDUS Cæs. in Ordin. part. 1. tit. 33.

1. Designationes expensarum per Lectores, sine mora, quo maturius ad executoriales deveniatur, expediendæ traduntor.

Imp. RUDOLPHUS II. Aug. in Bef. 1585. 23. Aug.

2. In novis exhibentor: ad tertiam florenorum Rhenensium & cruciatorum reducuntor.

IDEM Aug. in Deput. Spirens. 1600.

3. Petitiones æstimationesque numariæ omnes, vel revocantor ad monetam imperialem, vel expressarum specierum pretium, & ad illam justa proportio, judici per procuratores designator.

TIT. CXXXVII.

De Expensarum taxatione.

Imp. CAROLUS V. Aug. & FERDINANDUS Cæs. in Ordin. part 3. tit. 50.

1. Expensæ priorum instantiarum, in causis ad Cameram devolutis, ibidem una cum sumptibus appellationis taxantor.

2. Sin deserta vel non devoluta sit appellatio, appellationis solummodo expensarum taxatio executioque ad Cameram pertineto, reliquæ inferioribus judicibus relinquuntor.

3. Advocatorum procuratorumque labores in taxatione æstimati sententiæ inseruntor, ipsi quid in antecessum à partibus ceperint, sub pœna viginti florenorum exprimunto.

4. Taxationi tres vel quatuor judices, nisi plures causa gravitas expoſcat sufficiento.

Imp. MAXIMILIANUS II. Aug. in Jud. Mem. 1568.

5. Expensæ diebus sabbathi, quamdiu suppetent, per interlocutoriarum Senatus ordine æstimantor.

Imp. RUDOLPHUS II. Aug. in Jud. & Adf. Mem. 1578.

6. In sabbathinis cœptæ, nec finitæ taxationes, ad proximam pertexuntor.

IDEM Aug. in Consult. 1583.

7. Taxationibus referentes nomina sua subscribunto.

IDEM Aug. in Mem. 1595.

8. Expensæ nisi partibus flagitantibus ne taxantor.

9. Sed earum largior deinceps quam hactenus, æstimatio innitor: nec sine justa causa facile compensantor.

IDEM Aug. in Deputat. Spirens. 1600.

10. De damnis & expensis, ut ut infra xx. florenos æstimatis jurandi necessitas esto.

TIT. CXXXVIII.

De Expensarum solutione.

Imp. CAROLUS V. Aug. & FERDINANDUS Cæs. in Ordin. part. 3. tit. 50.

1. Expensæ taxatæ dissolvuntor in Camera, ejusque rei præstandæ certum in sententia sempet tempus determinator.

TIT. CXXXIX.

De Extrajudicialibus.

Imp. CAROLUS V. Aug. & FERDINANDUS Cæs. in Ordin. part. 3. tit. 6.

1. Sententiarum publicatarum documenta, processusve, judicialiter ne petuntor, sed è Cancellaria obtinentor.

IMP. RUDOLPHUS II. Aug. in Jud. & Adf. Mem. 1586.

2. Solitarum contributionum apochæ extra judicium Fiscali offeruntor: eoque non acceptante, tum demum judicialiter exhibentor.

TIT.

F.

TIT. CXL.

De Feriis.

Imp. CAROLUS V. Aug. & FERDINANDUS Cæs. in Ordin. part. 2. tit. 33.

1. Feriati dies sunto quotquot Dei Divorumque honori sunt dicati.
2. Tum à die XXIV. Decembris, usque ad diem sextam Januarii.
3. Rursusque ab VIII Julii ad XIV. Augusti.
4. Præterea à Dominica { Esto mihi / Palmarum / Vocem Jucunditatis / Pentecost, ejusq; pridie } ad Dominicam. { Invocavit. / Quasimodog. / Exaudi. / Trinitatis. }
5. Vacationes ceteræ omnes facessunto.
6. Extra dominicos festosque dies sanctiores, tum Relationibus sententiisque, tum supplicationibus etiam decernendisque processibus vacare per ferias jus esto.

Imp. RUDOLPHUS II. Aug. in Mem. 1579.

7. Clausula (exclusis feriis) duntaxat de integræ hebdomadis, atque ea majoribus judicium vacationibus intelligitor.

IDEM Aug in Mem. 1587.

8. Præter dies dominicos Feriæ à XXIV. Decembris ad II. Januarii, juxta Kalendarium utrumque celebrantor.
9. His demaccensentor dies Caniculares, XII. Apostolorum, Trium Regum, Purificationis, & Annunciationis, & Assumptionis, & Nativitatis B. Mariæ, Inventionis Crucis, Marci & Lucæ Evangelistarum, Ascensionis & Corporis Christi, Joannis Baptistæ, Laurentii, Michaelis, Omnium tum Sanctorum, tum Animarum, Martini, Catharinæ.
10. Reliquæ feriæ exeunto post Dominicam, { Esto mihi. / Paschatis. / Vocem Jucund. / Pentecostes. } cum proxima sequenti die. { Mercurii. / Mercurii. / Jovis. / Mercurii. }
11. Extra dicertis verbis expressas, ceteræ omnes feriæ Chori, Palatii, Vacantiarum cessanto.
12. Per quas ferias Judicia de more haberi solita sunt, in his porro exercentor.

TIT. CXLI.

De feudis.

1. Si de Ducatibus Comitatibusve Imperii feudis, alterutri parti abjudicandis agetur; Cæsar Judex esto: litem extra Imperii Germanici limites ne trahito.

Imp. CAROLUS V. Aug. & FERDINANDUS Cæs. in Ordin. part. 2. tit. 7.

TIT. CLXII.

De Fisci Procuratore & Advocato.

Imp. CAROLUS V. Aug. & FERDINANDUS Cæs. in Ordin. part. 1. tit. 15.

1. Fisci Procurator, vir bonus, doctus J. C. Fiscalium rerum peritus à Cæsare creator. Ei Advocatus eruditus & industrius adjungitor.
2. His solis Fiscalibus causis, nec aliis occupantor.
3. Procurator impeditus, præter proprium Advocatum in suum locum neminem adhibeto.

IDEM Aug. & Cæs. in Ord. part. 1. tit. 16.

4. Procurator fisci arbitrio Deputatorum pareto, alias à Collegio arbitrarie coercetor.
5. Si quem sine eorum voluntate convenerit; expensas de suo sarcito: cæterum fiscus ipse, si sic Camera pronunciaverit, refundito.
6. De pœnis Fiscalibus sine voluntate Deputatorum ne transigito.
7. Idem in Fisci reditus diligenter inquirito: pœnas ex causa fractæ pacis potissimum easque ultro exigito: pecuniam mulctatitiam undique contrahito: Cameræ hac in re utitor adjumento.

IDEM Aug. & Cæs. in Ordin. part. 1. tit. 17.

8. In scriptis agito: brevitati studeto; legibus reliquorum Procuratorum pareto.

Imp. FERDINANDUS Aug. in Dep. Spirens. 1557.

9. Vetustiores causas primas proponito, æqualitati adhæreto: nullius cujusquam præterquam Cæsaris & Ordinum è Comitiis mandato contrario inde dimovetor.

Imp. CAROLUS V. Aug. FERDINANDUS Cæs. in Ordin. part. 1. tit. 40.

10. Cameralium contributionum moratores delatos ad se per Quæstorem properet ad pensitationem ratæ partis compellito.

Imp.

Imp. *MAXIMILIANUS II.* Aug. in Recess. Spirens. 1570.

11. Stipendium Fiscalis Adsessorium septingenorum florenorum, quadringenorum Advocatus percipito.

Imp. RUDOLPHUS II. Aug. in Fisc. Mem. 1580.

12. In causis exemptionum summarie & citra moram procedito, conclusionemque accelerato.

TIT. CXLIII.

De Fiscalibus causis.

Imp. *CAROLUS* V. Aug. & *FERDINANDUS* Cæs. in Ordinat. part. 1. tit. 16.

1. Fiscales causæ si Ducatus, Comitatus, Territoria, Oppida, Arces concernant, sine auctoritate Cæsaris ne transiguntor.

IDEM Aug. & Cæs. in Ord. par. 2. tit. 20.

2. Causas omnes jure communi, Legibusque Imperii, ad Fisci notitiam pertinentes, Fiscalis ex auctoritate duorum Adsessorum Deputatorum ad Cameram deferto.

3. Si quid adversus Bullam auream, Pacem publicam, Mandata Cæsarea, factum fuerit: pecunia vel capite anquirito.

4. Contra eos qui contributionibus imperii inferendis moram facient, ibidem procedito.

5. Pœnas etiam in sanctiones Imperii politicas perpetratorum exigito.

6. Qui cum Turcis, vel aliis Christianorum, aut Imperii hostibus consilia ne fanda miscuerint: eorum ab Imperio exulum omnia bona fisco adplicato.

7. Qui alienos subditos ob Anabaptismum extorres, contra Imperii decreta receptarit, nec protinus Constitutiones in eos exercuerit sciens, ejus proscriptionem maturato.

8. Si quis infestatis per vagos milites opem non tulerit imploratus: ab eo pœnam quadraginta marcarum auri exigito.

9. Si quid adversus ea dolo malo committetur, quæ de arcanis judiciis & judicibus Westphalicis constituta sunt in Comitiis: multæ decem marcarum auri semissem suum fisco vindicato.

Imp. *MAXIMILIANUS* I. Aug. in Recess. Trevirens. 1512.

10. Alios ad Judices exteros trahentes, Magistratus vel Fiscalis ad pœnam depositio.

TIT. CXLIV.

De Indiciis.

Imp. *CAROLUS* V. Aug. & *FERDINANDUS* Cæs. in Ordinat. part. 1. tit. 10.

1. Præter actorum, indicem alium, sive repertorium rerum gerendarum Judex habeto: unde & suo quæque tempore, citra causarum partiumve detrimentum proponantur: nec res semel decisæ ne quicquam instaurentur, sed executioni dentur: utque semel cœpta, ac aliquo casu interrupta, ad finem prima quaque occasione perducantur.

TIT. CXLV.

De Induciis.

Imp. CAROLUS V. Aug. in Reform. Politiæ 1548. cap. 22.

1. Induciæ quinquennes à Cæsare nulli, nisi qui testimonio Magistratus sui, vel aliis documentis probabuntur, non vitio, sed fortuna & calamitate ad inopiam perveniisse, conceduntor: concessæ, nullæ & irritæ sunto.

TIT. CXLVI.

De Inhibitione.

Imp. RUDOLPHUS II. Aug. in Recess. Ratisponens. 1594.

1. In appellationibus à definitivis, vel earum instar habentibus, inhibetor indistincte: Excepto,
2. I. Si cum possessorio retinendæ agatur, appellatus se possidere contendat.
3. II. Vel si jurisdictio etiamnum dubia sit.
4. III. Vel si appellatio ipsa, jure communi reprobetur.
5. Post interlocutorium simplicem, extra evidens moræ periculum, damnumve irreparabile, jam tum probatum, ne inhibetor.
6. In appellationibus extrajudicialibus tum demum, cum de jurisdictione fundata, & appellatione rite interposita atque introducta, lite contestata, aut saltem audita altera parte constiterit, inhibendi jus esto.

TIT. CXLVII.

De Injuriis.

Imp. FERDINANDUS Aug. in Vis. 1562.

1. Scripta injuriosa cum pœna reiiciuntor.

TIT. CXLVIII.

De Instrumentis.

Imp. *MAXIMILLIANVS I.* Aug. in Ord. de Notar. 1512.

1. Instrumentis Notariorum hæc continentur. *Invocatio divini numinis, annus salutis, indictio, nomen Principis, Mensis, Dies, Hora, Locus, Locique locus, Res gesta Testium nomina, & Rogatio, signum notarii manusque: in aliter consuetudine obtinuerit: at saltim nomen Principis, annusq; Regni ne, omittuntor.*

2. *In membrana, non charta, verbis integris, non signis, numerorumve notis: litteris Latinis vel Germanicis perscribuntor.*

TIT. CXLIX.

De Instrumentis appellationum.

Imp. RUDOLPHUS II. Aug. in Deputat. Spirens. 1600.

1. Non prolati primo termino instrumenti appellationis pœna absolutio à citatione esto.

TIT. CL.

De Judæis.

Imp. CAROLVS V. Aug. in Reform. Politiæ 1530. cap. 22.

1. Judæi clavo sine annulo in veste flavo & conspicuo ab aliis discriminantor.

IDEM Aug. in Recess. Augustan. 1551.

2. Syngraphas non nisi coram Christiani illius qui cum contrahente Magistratu consticiunto.

3. Commerciis licitis in Mercatibus & Nundinis utuntor.

4. Obligationum scripturas coram loci Magistratu celebranto: aliter facta instrumenta, viribus carento, nec de iis cognoscitor.

5. *Actiones* suas contra Christianos homini Christiano nulla ex causa cedunto: cessas amittunto.

6. Cessiones nulli Magistratus, Notarii, Scribæ conscribunto: alioqui de officio & honoribus dejiciuntor, ceteri idem usuri carcere, & aliis modis puniuntor.

Imp. *RVDOLPHVS II.* Aug. in Ordinat. Politiæ 1577. cap. 20.

7. Judæos nemo ditione sua recipito, præterquam qui *Regalia* ab *Imperio* ejusve rei privilegium habebit.

8. Si recipiet: nec tutela Judæis, securusve commeatus, nec ipsi factum impune, ratumve esto.

9. Sub quibus degent: hi ne enormibus usuris, syngraphis vetitis, fidejussionibus, pignoribus, anatocismis menstruis, aliisve eorum fraudibus, proprii peræque alienive subditi opprimantur cavento.

10. Utque abstineant ab emptionibus rerum furtivarum, easve Dominis citra dispendium restituant, vel si dolo malo alienaverint, pretium renumerent curanto.

11. Si scientes emerint, insuper & pro delicti modo puniunto.

12. Mutuatam Christianis pecuniam, Judæi non sua, sed Germanica lingua conscribunto, & quid & quando crediderint, quodque & quale pignus acceperint, adsciunto.

13. Officialium cum Judæis collusiones contra hanc legem, Magistratus arcento.

14. Judæos Magistratus iis conditionibus toleranto, ut & à fœnore, illicitisque commerciis temperent: & victus tamen quærendi honestis rationibus non destituantur.

15. Hac lege Ordinum *Regalibus*, privilegiis, legumque condendarum juribus nihil derogatum esto.

TIT. CLI.

De Judicis Cameræ creatione.

Imp. CAROLUS V. Aug. FERDINANDUS Cæs. in Ordin.

part. 1. tit. 4.

1. Cameræ judice mortuo, vel munere abs se abdicato, Cæsar exemplo certior factus, alium subrogato.

2. *Interim si neminem defunctus Adsessorum consensu sibi destinasset successorem: Comitum vel Baronum Collegii unus ab Adsessoribus vice Judicis eligitor: isque eo munere perfungitor, dum vel alius rite sufficiatur, ipseve in officio confirmetur: hunc in casum alius ipsi Comes vel Baro in Adsessoratu succedito.*

TIT. CLII.

De Judicis conditione & qualitate.

Imp. CAROLUS V. Aug. & FERDINANDUS Cæs. in Ordin.

part. 1. tit. 1.

1. Judex Cameræ Imperialis, Princeps, aut saltem Comes vel Baro, isque idoneus & peritus esto.

2. Secularis Ecclesiastico si extet, præsertor.

IDEM.

3. Idem vir strenuus, in imperio Germanico natus, ejusque legum & consuetudinum petitus, dirigendi quoque & provehendi litium processus gnarus, & auctoritate inter Camerales pollens potensque esto.

TIT. CLIII.

De Iudicis Camerae munere.

Imp. CAROLUS V. Aug. & FERDINANDUS Cæs. in Ordin. part. 1. tit. 9.

1. Judex judicii totius caput & normà atque ordinationis custos vinderque acerrimus esto: ex fide officii negligentes & delinquentes castigato: multas per Pedellum colligito: nemini ullius rei contemplatione parcito: denique talem se gerito, ut & apud Adsessores atque alios; honor reverentiaque, & in exsequendo munere auctoritas inviolata consistat.

IDEM Aug. & Cæs. in Ord. part. 1. tit. 10.

2. Judex ejusve vice Præsides, per Senatus Adsessorum relationes & suffragia diligenter observanto, ut his omnia rite peragantur providento, aliena & superflua amovento, celeritati & expeditioni studento.

3. Sententiam ejflagitantibus importune, hoc tantum respondento: Relatum iri suo quamque causam loco & ordine; à quo vero, quando, quove Senatu, id studiose celanto.

4. Adsessoribus in diversos Senatus distributis judex, ut suo quisque loco mane tempori adsit, operam dato: in auditorio communi ociose prius congregari ne permittito.

5. Ordinem in referendis causis dicendisque sententiis conservato: eximere se conantes ipse Præsesve causam roganto: sæpius & sine causa factitantes Constitutionem de Adsessoribus indignis experiuntor.

6. Relationes sententiarumque dictiones ne turbato, neu interpellari ab aliis sinito: nemini interim adsurgendi, discurrendi, aliena tractandi facultatem dato.

7. Iterato sententias tum demum rogato, cum justa subesse causa videbitur.

8. In secunda vel tertia rogatione, priora prolixe repeti & inculcari prohibeto.

IDEM Aug. & Cæs. in Ord. part. 1. tit. 11.

9. In audientiis, ut dicta ta recte excipi possint, silentium & attentionem procurato: delinquentes pro merito punito.

10. Audiendis causis tum antiquis, tum novis, ordinem cum Adsessoribus statuito.

11. Longiores inanesque Recessus interpellato, atque in scriptis agere compellito.

12. Procuratorum verba superflua, celeritatemque in loquendo nimiam inhibeto.

Imp. FERDINANDUS Aug. in Mem. 1562.

13. In obeundo munere adsiduum se rigidumque, eo tamen respectu quo par est erga id dignitatis gradusque viros, juxta ordinationem sese exhibeto.

Imp. MAXINILIANUS II. Aug. in Mem. 1571.

14. De causis referendis submissionumque, vel vetustate, vel privilegio diligenter inquirito, causasque inversi si forte ordinis, expolcito.

TIT. CLIV.

De Iudicis honorario.

Imp. *CAROLUS* V. Aug. & *FERDINANDUS* Cæs. in Ordinat. part. 1. tit. 43.

1. Judici si sit è Comitum Baronumve ordine, duo millia florenorum pendunto. Si Princeps, solarium contemplatione dignitatis augeto.

TIT. CLV.

De Iudicis vicario.

Imp. *CAROLUS* V. Aug. & *FERDINANDUS* Cæs. in Ordinat. part. 1. tit. 12.

1. Judex abfuturus aliquandiu, impeditusve, vices suas uni ex Adsessoribus illustribus; inve eorum defectum, ex electoriis alicui consentiente Collegio delegato.

2. Hic cum his una, qui soli aderunt Adsessoribus, totius Collegii jus potestatemque habeto.

3. In Principum controversiis audiendis vel Judex, vel Præsidum unus sedeto: vel iis impeditis, alius extra Collegium illustris quispiam dignitatis, judicis jurato jurejurando, interim adhibetor.

Imp. RUDOLPHUS II. Aug. in Jud. & Adf. Mem. 1577.

4. Judex abfuturus, ex Præsidibus nunc hunc, nunc illum, uti volet, sibi subrogato: is parere ne cesse habeto.

TIT. CLVI.

De Iudicibus Principum mutuo litigantium.

Imp. *CAROLUS V.* Aug. & *FERDINANDUS* Cæs. in Ordin. part. 2. tit. 2.

1. Qui suos habent voluntate sumptos inter se arbitros hos adeunto.

2. Ceterum Actor Reo querelam postulataque sua in scriptis mittito, jusque & judicium flagitato, Reus intra quartam hebdomadam quatuor potientes rerum Principes, sacri prophanique ordinis binos, diverlarum omnes familiarum nominato: Actor unum deligito: delectum rursus Reo intra tantundem temporis, domum per litteras denunciato.

3. Hunc deinde ambo quatuordecim dierum spacio suscipiendæ cognitionis citandarumque partium causa interpellanto: Rogatus velut Delegatus Cæsaris, vigore hujus legis commissionisque litem suscipito, diem litigantibus, locumque in suarum civitatum quapiam dicito: causam cum consiliariis non suspectis cognoscito, & ex jure definito, appellatio utrique parti ad Cameram esto.

4. Delecto ante judicii finem vita functo, ex simul nominatis quem actor optaverit, succedito.

5. Utrimque celeriter & citra calumniam proceditor.

6. Reus si nominationem, aliave ex præscripto prætermiserit: in Camera recta convenitor.

TIT. CLVII.

De Judicibus inter Principes Actores, & illustres Nobilesve immediatos Reos.

Imp. CAROLUS V. Aug. & FERDINANDUS Cæs in Ordin. part. 2. tit. 3.

1. Actores sui ordinis judicem non suspectum, intra duodecimum lapidem Reo vicinum, obtinento: coram ex ordinationis forma procedunto.

2. Vel tres Principes viros, neutri addictos, ultra duodecim miliaria abs se non remotos, nominari petunto, eorumque unum in judicem optanto.

TIT. CLVIII.

De Judicibus inter Principes Reos, & inferioris ordinis Actores.

Imp. *CAROLUS* V. Aug. & *FERDINANDUS* Cæsar. in Ordinat. part. 2. tit. 4.

1. Interpellati ab actoribus Rei, eos intra mensem adesse in jure coram consiliariis suis jubento: Horum novem partim nobiles, partim Juriseonsultos die dicta, judices sedere cogunto, officiali eo qui operam suam Reo contra actorem commodasset semoto.

2. Ex his quem Reus Judicem legerit, eo verba præeunte ceteri recte se & bona fide judicaturos: isque vicissim illis actore præsente juranto.

3. Omnes alterius cujuscunque jurisjurandi nexu & religione quantum ad hoc judicandi munus pertinet, ad finem usque litis soluti sunto.

4. Coram istis Reconventio locum ne habeto.

5. Lis semestri, eove per decretum prorogato, anno ab actione proposita finitor.

6. Actoribus, quique pro iis intervenient, extra tamen pacifragos, hostesve conventi publicos, commeandi remeandique securitas præstator.

7. Cui hæc via non arridebit: ex sequentibus unam deligito.

8. I. Coram novem consiliariis uti dictum, Reum si velit convenito: sic tamen, ut in iis Nobiles sedeant, ut minimum quinque.

9. II. Ex iisdem septem vel quinque solos, quos videbitur, judices secernito utroque casu Reus sumptus ministrato.

10. III. Ex tribus à Reo nominandis Principibus unum legito.

11. IV. Commissarium à Cæsare minimum ex Prælatorum præcipuo vel Comitum ordine, impetrato.

12. V. Novem viros bonos Actor, totidem Reus consiliarios nominato: ex illis Reus postea duos, ex his Actor tres sc ligito: Hi quinque judicium inter partes exercento.

13. VI. Actor duos viros bonos, Reus consiliarios duos judices danto: Hi quatuor si dissenserint, neque consensu partium superiorem sibi adjunxerint, Præsidem Cæsar non suspectum præficito: Is vel alterutram sententiam amplectitor, vel suam peculiarem proferto. Nominati hinc inde, nominantis; Præses, sumptu communi exhibetor.

14. VII. Ex Rei omnibus consiliariis, (exceptis uno vel altero si quos Reus sibi reservatos volet) actor quinque eximito: si tot consiliarii non erunt, ex officialium, vasallorum, aut nobilium ordine supplentor.

15. VIII. Reus ex suis consiliariis novem, & in his quinque minimum nobiles sistito: coram iis hic ordo servator.

16. Scripta utrinque quatuor, neu plura intervallis quatuor hebdomadum, sed gemina proferuntor: tertiis, causæ merita plene discutiuntor: quartis novi nihil aspergitor, sed concluditor: si quid novi irrepserit, ne attenditor.

17. Si ob loci distantiam termini justo angustiores fuerint, actori petenti à Reo quindenis diebus ampliantor.

18. Testes

18. Testes per Commissarium utrimque comprobatum examinantor: vel Examinatorem quisque suum cum Scriba simul edito.

19. Scriptabina, alterum probatorium, exceptionis alterum ab utravis parte, intra quatuor hebdomadas à testium documentorumve publicatione exhibentor: tum causa pro concluſa habetor.

His duobus casibus judices supra dicto modo jurisjurandi Religione astringuntor, liberantorque.

20. Examinatores testium, fidei & silentio per Sacramentum devinciuntor.

21. His ultimis duabus viis Reconventio sileto: cetetis locum habeto.

22. Eadem constituendi judicii ratio esto, quoties à privatis hominibus & subditis Principes convenientur.

Imp. *MAXIMILIANVS II.* Aug. in Recess. Spirens. 1570.

23. Novem consiliariis, de adsensu Partium, acta ad Universitatem S. holæ cujuspiam pro concipienda sententia, dum eam suo nomine poſtea pronuncient, mittere liceto.

Imp. *RVDOLPHVS II.* Aug. in Deput. Spirens. 1600.

24. Conventorum à Nobilibus privatisve Principum nominatio, nec familiarum diversitati, nec duodenorum miliariorum intercapedini adstringitor: ultra tamen vicesimum lapidem ne evagator.

TIT. CLIX.

De Iudicibus inter ipsos Illustres Nobilesve immediatos.

Imp. *CAROLVS V.* Aug. & *FERDINANDVS* Cæs. in Ordin. part. 2. tit. 5.

1. Reus tres Principes, actori ultra duodecimum lapidem non dissitos, requisitus nominato: unum Actor deligito: is ex Ordinationis præscripto procedito.

2. Si reus mavelit: Judicem delegatum à Cæsare obtineto.

TIT. CLX.

De Iudicibus delegatis in causis simplicium spoliorum.

Imp. CAROLUS V. Aug. FERDINANDUS Cæs. in Ordin. part. 2. tit. 8.

1. Spoliorum non quidem vi, nec adversus pacem publicam, sed nec jure tamen factorum, judices & judicia salva constitutione de pace Religionis hæc sunto.

2. A Principibus spoliati, si & ipsi sint Principes, hosdem quos supra dictum, eo tamen quod sequitur moderamine, judices habento.

3. Sin inferioris ordinis fuerint: unam ex octo superioribus viis capessunto.

4. Rei requisiti curanto, ut intra mensem, vel sex longissime hebdomadas citatio obtineri, ac porro rite procedi possit.

5. Actori si desint, Procuratores & Advocatos ex subditis commodanto, relaxatos à fide subjectionis.

6. Hæ causæ summarie examinantor, anno terminantor. Sin unus ex nominatis tribus principibus desumptus fuerit, intra quatuordecim dies requiritor: isque, vel quem Cæsar judicem delegarit, menstruo citationem decernito, anno litem finito.

7. A non principibus spoliati, eorum ex ordinatione judices adeunto: lis propere decurrito: anno ad exitum perducitor: vel ad Cameram devolvitor.

TIT. CLXI.

De Jurisdictione judiciorum secretorum Westphaliæ.

Imp. *FRIDERICVS I.* Aug. in Reformat. 1442. cap. 7.

1. Ex idoneis & honestis judicibus constituuntor. Neminem nisi ex causis eo pertinentibus, & æquo jure nusquam usurum citanto.

2. Si cujus Dominus, vel superior attestabitur esse ejus coram se, vel aliis receptis judiciis conveniendi copiam: ipseque ea de re idonee caverit: tum citatione abolita, causa quo oportet remittitor. Secus si fiat, ipso jure processus nullus esto.

Imp. *MAXIMILIANVS I.* Aug. in Reformat. Judicior. Westphal. 1495.

3. Si quis contra præscriptam supra formam citabitur: processus irritus esto. Judex officio removetor, quod ejus obtentu factum perpetratumque fuerit, pœnis fractæ pacis vindicator.

4. Executionem sententiæ, nisi qua probabitur ex forma constitutionis lata esse, nemo suscipito: si quitentaverint; his velut pacem publicam violantibus, sub iisdem pœnis resistitor.

TIT. CLXII.

De jurisdictione judiciorum Ordinariorum sub Camera constitutorum.

Imp. CAROLUS V. Aug. & FERDINANDUS Cæs. in Ordin. part. 2. tit. 1.

1. Cuncti qui sub imperio degunt, suis ordinariis judiciis, præterquam in causis recta ad Cameræ cognitionem ex ordinatione pertinentibus in prima instantia relinquuntor.
2. Sed ea intra mensem petentibus panduntor: processus recto tramite decurruntor.
3. Consistoria tum sacra, tum profana ab omnibus corruptelis vitiisque repurgantor: sicque purguntor: invicem ne confunduntor.

IDEM Aug. & Cæs. in Ord. part. 2. tit. 5.

4. Ad inferiora judicia pertinentes causæ personæque, iisdem subtrahuntor.

IDEM Aug. & Cæs. in Ordin. part. 2. tit. 6.

5. Quorum Statuum peculiaris erit judiciorum forma, consuetudove, cum subditis nobilibusque suis constituta: his extra articulos ordinatione expressos nihil derogatum censetor.

IDEM Aug. & Cæs. in Ord. part. 2. tit. 8.

6. Inrer ejusdem diversorumve Statuum subditos causæ spolii in foro ordinario ex jure peraguntor.

IDEM Aug. in Reform. Politiæ 1548. cap. 32.

7. Ut judices sine mora jus administrent, & ne Procuratores Advocative protelent lites, abstineantque ab injuriis, Magistratus procuranto: in delinquentes animadvertunto.

Imp. RUDOLPHUS II. Aug. in Deputat. Spirens. 1600.

8. Appellationibus jam ad majorem summam restrictis, judicia inferiora, ubi opus, cura quam exactissima ordinantor, atque ad iuris præscriptum imperiique Constitutiones, & consuetudinem Cameræ, quantum res feret, reformantor.

TIT. CLXIII.

De Iurisdictione Cameræ,

Imp. CAROLVS V. Aug. & FERDINANDVS Cæs. in Ordin. part. 2. tit. 27.

1. Omnes qui iurisdictioni Cæsareæ principaliter subsunt, si non exempti nominatim privilegiis, Consuetudine, Ordinatione reperiantur, in Camera forum sortiuntor.

IDEM Aug. & Cæs. in Ord. part. 2. tit. 1.

2. In Camera citationes adversus imperii secundarios subditos ne decernuntor: extra quam si quis à iudice inferiore intra mensem post requisitionem neglectus, iusve notorie negatum, aut malitiose protractum dicetur; hic Cameræ auxilium, sed gradatim implorato.

IDEM Aug. & Cæs. in Ord. part. 2. tit. 9.

3. Ad Cameræ iurisdictionem etiam, recta pertinento causæ Fractæ pacis.

IDEM Aug. & Cæs. in Ord. part. 2. tit. 10.

4. Purgationis, ex eave talionis.

IDEM Aug & Cæs. in Ord. part. 2. tit. 12. 13.

5. Receptionis proscriptorum, eorumque bonorum.

IDEM Aug. & Cæs. in Ord. part. 2. tit. 14.

6. Rebelliumve alterius subditorum.

IDEM Aug. & Cæs. in Ord. part. 2. tit. 15.

7. Opis denegatæ infestatis à vagis militibus.

IDEM Aug. & Cæs. in Ord. part. 2. tit. 16.

8. Sumptuum in pacis publicæ conservationem factorum.

IDEM Aug. & Cæs. in Ord. part. 3. tit. 49.

9. Detrectatæ executionis Banni.

IDEM Aug. & Cæs. in Ord. part 2. tit. 18.

10. Restitutionis proscriptorum.

IDEM Aug. & Cæs. in Ord. part. 2. tit. 19.

11. Bonorum proscriptorum.

IDEM Aug. & Cæs. in Ord. part. 2. tit. 20.

12. Causarum omnium Fiscalium.

IDEM Aug. & Cæs. in Ord. part. 2. tit. 21.

13. Litigiosæ possessionis.

IDEM Aug. & Cæs. in Ord. part. 2. tit. 22.

14. Pignorationum & captivorum.

IDEM Aug. & Cæs. in Ord. part. 2. tit. 23.

15. Mandatorum sine clausula.

IDEM Aug. & Cæs. in Ord. part. 2. tit. 24.

16. Relaxationis iuramenti ad effectum agendi.

IDEM Aug. & Cæs. in Ord. part. 2. tit. 25.

17. Legis diffamari.

IDEM Aug. & Cæs. in Ord. part. 2. tit. 26.

18. Justitiæ negatæ vel protractæ.

IDEM.

IDEM Aug. & Cæs. in Ord. part. 2. tit. 31.

19. Declarationis pœnæ compulsorialium.
Imp. *FERDINANDVS* Aug. in Recess. Augustan. 1559.

20. Ex constitutione pacis de Religione.
IDEM Aug. in Recess. Augustan. 1559.

21. Sumptuum Visitationum Revisionumque impeditarum.
Imp. MAXIMILIANVS II. Aug. in Recess. Augustan. 1570.

23. Arrestorum.
Imp. RUDOLPHUS II. Aug. in Conf. 1594.

24. Continentiæ causarum.
Imp. *CAROLVS V.* Aug. & *FERDINANDVS* Cæs. in Ordin. part. 2. tit. 28.

25. Appellationum.
Imp. RVDOLPHVS *II.* Aug. in Deputat. Spirens. 1600.

26. Controversæ inter Cameram & Civitatem jurisdictionis, omni in proximum conventum dilata actione, nihil interea exacerbator, utrique parti pax & concordia cordi esto.

TIT. CLXIV.

De Iure communi.

Imp. *CAROLVS* V. Aug. & *FERDINANDVS* Cæs. in Ordinat. part. 2. tit. 31.

1. In causis appellationum, quibus de rebus nihil Ordinatio cavit, jus commune servator.
IDEM Aug. & Cæs. in Ord. part. 3. tit. 54.

2. Processus etiam juris communis, extra quam si quid Ordinatione mutatum abrogatumq; reperietur, per omnia locum habeto.
Imp. *MAXIMILIANUS II.* Aug. in Recess. Spirens. 1570.

3. Procuratores rite constituti ubi causæ sese miscuerint, dominique litis effecti fuerint, ea protinus agunto, quæ juris communis dispositione & Cameræ Ordinatione continentur.

TIT. CLXV.

De jurejurando Cameralium.

Imp. *FERDINANDUS* Aug. in Deputat. Spirens. 1557.

1. Præter juramentum justitiæ administrationem, aliaque officii cujusque capita ordine complectens: aliud insuper in ingressu muneris jusjurandum fidelitatis, in verba Cæsaris, Ordinumq; Imperii juranto.

TIT. CLXVI.

De jurejurando calumniæ & malitiæ.

Imp. *CAROLUS* V. Aug. & *FERDINANDUS* Cæs. in Ordinat. part. 1. tit. 25.

1. Petente alterutro, Judiceve jubente utrimque præstator.
Imp. RUDOLPHUS *II.* Aug. in Deputat. Spirens. 1600.

2. Juramenti calumniæ scripto duntaxat, non etiam voce factam petitionem, negligere dissimulareque licito.

TIT. CLXVII.

De jurejurando dandorum & respondendorum.

Imp. RUDOLPHUS II. Aug. in Deputat. Spirens. 1600.

1. Hujus quequenisi viva voce exacti, necessitas ne esto: judicis tamen arbitrio, cum videbitur, deferto.

TIT. CLXVIII.

De jurciurando paupertatis.

Imp. MAXIMILIANUS II. Aug. in Recess. August. 1566.

1. Paupertatis semel de paupertate juraverint, idem tamen in posterioribus quoque omnibus instantis iteranto. vel de solutione faciendâ, si quando ad pinguiorem fortunam pervenerint, remittunto.

TIT. CLXIX.

De jurciurando revisorum.

Imp. CAROLUS V. Aug. & FERDINANDUS Cæs. in Ordin. part. 3. tit. 53.

1. Syndicatores Revisoresque juranto, Non se antea in causa consuluisse, Judices priores in honore atque in pretio habere, diligentiam in revidendo, fidem in judicando, jusque & justitiam adhibituros, munera non capturos.

TIT. CLXX.

De Jurisjurandi forma.

Imp. FERDINANDUS Aug. in *Recef. Auguſt.* 1551.

1. Omnes poſthac indiſtincte per Deum & Sacroſanctum Evangelium, prætermiſſa Divorum commemoratione juranto.

TIT. CLXXI.

De Iuſtitia negata protractave.

Imp. CAROLUS V. Aug. & FERDINANDUS Cæſ. in Ordin. part. 2. tit. 8.

1. In ſpoliorum cauſis, prætermiſſis quibusdam Ordinationis requiſitis ipſo jure cauſa ad Cameram devolvitor, & actori petenti citatio decernitor.

2. Quod ſi Judices litem intra annum poſt actionem inſtitutam non definierint: tum quoque ipſo jure cauſa ad Cameram, ipſo eo ſtatu quo erit, devolvitor.

IDEM Aug. & Cæſ. in Ord. part. 2. tit. 26.

3. Cui juſtitia petenti evidenter negabitur vel protrahetur, ſuperiorem adito; eoque ceſſante, vel ſi proxima ſit, Cameram implorato.

4. Promotorialibus in Camera impetratis, Judices intra diem dictam non expectata requiſitione ulteriore jus adminiſtranto: judicium diemque ſtatuunto: & reliqua quæ promotorialibus imperrantur, perficiunto. Ni facient: actori in Camera etiam nullo prolato ulteriore documento negatæ juſtitiæ, jus adminiſtrator.

Imp. *MAXIMILIANUS* II. Aug. in *Recef. Auguſt.* 1566.

5. Camera etiam ſine requiſitionis documento, poſtulantibus promotoriales decernito: his tamen reproductis, non niſi executione earum ſive requiſitione una cum juſtitiæ denegatione probata proceſſus communicato.

Dep. 1600.

6. Inſinuatarum promotorialium termino, ſine juſtitiæ adminiſtratione lapſo: cauſa quocunq; ſtatu ſit, ad Cameram ipſo jure devolvitor.

L.

TIT. CLXXII.

De Lectoribus.

Imp. CAROLUS V. Aug. & FERDINANDUS Cæſ. in Ord. part. 1. tit. 30.

1. In complendis actis auxilio Notariis ſunto: ſubmiſſiones in fronte notanto: ſcripta, dicta, ſuis quæque locis diſponunto: ſubmiſſiones unius cauſæ omnes ſimul referendas curanto.

2. Alternis in judicio ſedento: ſcripta recipiunto, ſignanto, inſcribunto: decreta & concluſiones adnotanto & actis inſerunto.

3. Archivo utrique ſimul præſunto, quidquid deſiderabitur, adſidue inde promunto.

4. In neutrum Procuratores, ſubſtitutosve, aliosve quos non oportet admittunto, ſed foris præſtolantibus operam danto, ſecus facientes, peccata ſingula ſingulis florenis luunto.

Imp. FERDINANDUS Aug. in Mem. 1556.

5. Æqualitatem inter partes tuento: alterum præ altero ne promovento: pœnamve commeritam expectanto.

6. Eandem inter Adſeſſores, diſtribuendis ſubmiſſionibus veteribus & novis colunto.

7. Cauſas connexas ne divelluntо, ſed uni referenti tradunto.

IDEM Aug. in Lect. Mem. 1557. 17. Aug.

8. Cancellariæ ſervata ſibi menda Præfecto indicanto: & cum ejusdem repertorio ſua conferunto.

IDEM Aug. in Viſitat. 1559.

9. Veteſtiores cauſas recentioribus privilegiariis communibus præmittunto.

IDEM Aug. in Mem. 1559.

10. Ut iisdem cauſis iidem Referentes continuentur, adlaboranto.

11. Ne leviores cauſæ diutius delitescant in Archivis: neve eædem ſecundo referendæ dentur, cavento.

IDEM Aug. in Lect. Mem. 1561.

12. Referentibus ſuos Correferentes ne indicanto.

Imp. MAXIMILIANUS II. Aug. in Jud. & Adſ. Mem. 1568.

13. Submiſſiones circa Prorogationes terminorum, Dilationes, Reſponſiones, Admiſſiones Commiſſariorum, & legitimationes Procuratorum referendas ne danto, neve pro interlocutoriis, niſi ex cauſa Judice jubente, inſcribunto.

14. Protonotariorum & Notariorum manualia aſportantes Judici, tandemque etiam Viſitatoribus deferunto.

Imp.

Imp. RUDOLPHUS II. Aug. in Jud. & Adſ. Mem. 1585.

15. Relationes in articulo Reſponſionum, Termini, vel Prorogationis pro ordinariis ne adnotanto.

TIT. CLXXIII.

De Legibus veſtiariis & ſumptuariis.

Imp. *CAROLVS V.* Aug. in Reform. Politiæ 1548.

1. Leges veſtiarias ipſi Magiſtratus condunto & cuſtodiunto.

2. Quæ in Comitiis latæ ſunt, eas qui ſimplici jurisdictioni præſunt, in ſubditos exercento: veſtibus cultuque interdictis, atque altero tanto multanto.

3. Si à Fiſcali moniti neglexerint: ipſos Fiſcalis ſimul cum delinquentibus eorum ſubditis ad pœnam convenito.

4. Eadem in legibus ſumptuariis luxumque refrænantibus, tum condendis tum exequendis Magiſtratuum ſollicitudo, ſub pœna II. marcarum auri fiſco inferendarum adhibetor.

5. Æs Cyprium, ferrum, lignum, lapis ne inaurator: Si fiat, decem florenorum multa eſto: Electores, Principes, cultusque divinus exlex eſto.

TIT. CLXXIV.

Ad Legem diffamari.

Imp. *CAROLVS V.* Aug. & *FERDINANDVS* Cæſ. in Ordin. part. 2. tit. 25.

1. Lex diffamari ex qua multæ paſſim ad Cameram delatæ cauſæ, deferi poſtea ſolent in fraudem & eluſionem fori competentis, de hinc in Camera intelligitor & exercetor.

2. In cauſis fractæ pacis, Injuriarum aliisque ſimilibus, quibus diffamatio dolo malo, inve necem alienam interveniſſe dicetur.

3. Nec niſi diffamatus vel Imperio ſubſit immediate, vel lege publica, jurisdictioni Cameræ proxime ſubiiciatur.

4. Atque ita, ut priusquam citatio decernatur, Cameræ ſcripto aliisve probationibus fides de diffamatione fiat.

5. Proceſſibus decretis, diffamationeque deinde legitime probata: dies diffamanti ſub commination perpetui ſilentii ſtatuitor ad agendum.

6. In Camera, ſi vel diffamatus vel cauſæ qualitas eo recta pertineat.

7. In foro diffamati ordinario, ſi is immediate quidem Imperio ſubſit, ſed ad Cameram tamen trahi in prima inſtantia non poſſit.

8. Si diffamatus nec Imperio immediate ſubſit, nec ipſe cauſave recta ad Cameram ſpectent: contra diffamantem (cujuscunque fori ſit,) nihil decernitor, verum tam diffamationis quam principalis cauſa, ad Judicem ordinarium reiicitor.

TIT. CLXXV.

De Libellis.

Imp. CAROLUS V. Aug. & FERDINANDUS Cæſ. in Ordin. part. 3. tit. 12.

1. Libellum vel articulatum vel ſummarium edere liberum cuivis eſto.

Imp. *RVDOLPHVS II.* Aug. in Mem. 1586. Ad dub. Colleg.

2. In cauſis ſimplicis querelæ, ni libellus primo termino proferatur, Reus à Citatione abſolvitor.

IDEM Aug. in Dep. Spirenſ. 1600.

3. Reo abſente, libelli primo termino offerendi neceſſitas nulla eſto.

4. Si termini ad edendum libellum conceſſi prorogatio, non demonſtrato impedimento petatur, ſimulque in eventum acta loco libelli repetantur: nec libellus poſt terminum admittitor, nec ipſa in eventum facta repetitio reiicitor.

5. Libello ſemel edito, ſive in ſcriptis ſeu vocè, variatio nulli permittitor.

6. Termino ad libellandum obtento: vel acta loco libelli verbo tenus repetendi, vel libelli exhibendi optio eſto.

7. Scriptus libellus is etiam, in quo narrata vel acta repetita, iisque concluſio ſubjuncta fuerit, habetor.

IDEM Aug. in Conſ. 1594.

8. Poſt libellum voce vel ſcripto prolatum nec articuli poſtea, nec in libellando variatio, ne durante quidem termino permittitor.

TIT. CLXXVI.

De Libellis famoſis.

Imp. CAROLUS V. Aug. in Reform. Politiæ 1548. cap. 34.

1. Libri à Magiſtratu non inſpecti Legibus vel Imperii vetiti, ſeditioſive, injurioſive typis ne eduntor. Qui permiſſu ſuperiorum edentur, his Auctor, Librarius, Locus adponitor.

2. Libelli, Picturæ, figuræ famoſæ ne componuntor, neve venduntor, circumferuntor, ſpargunturve.

3. Venditores ſive penes quos reperientur, de auctoribus quæſtione etiam tormentisque, ſi ſit opus, adhibitis interrogantor: in eosque pro rei merito, animadvertitor.

4. Magi-

4. Magistratus in eo negligentes, simulque Auctorem, Librarium, venditorem Fiscalis ad Cameram deferto, arbitraturam pœnam crimini convenientem.

TIT. CLXXVII.

De Libraris.

Imp. *MAXIMILIANVS II.* Aug. in Recef. Spirens. 1570.

1. Typographiæ nullibi, præterquam ubi Electores, Principesve sedem aulamve habuerint, vel studiorum universitates fuerint, Imperiive civitatibus constituuntor.

2. Typographi à Magistratu adprobantor, in Imperii de editione librorum latas leges juranto.

3. A libellis famosis, sub gravibus pœnis & librorum confiscatione abstinentor.

4. Nihil nisi visum probatumque à Magistratu imprimunto: Nomen Auctoris, suumque & Locum atque Annum edunto.

5. Adversus ea si quid fiet: libellis confiscatis, Librarii. Detentores, Sparsores severe puniuntor.

6. Eadem conditione picturarum famosarum auctores disseminatoresque sunto.

7. His rebus servandis, typographiæ ex improviso subinde inspiciuntor à magistratibus: Si quid hi per negligentiam. gratiam, collusionem dissimularint; indignatione aliisque pœnis extra ordinem à Cæsare mactantor.

M.

TIT. CLXXVIII.

De Mandatis pœnalibus.

Imp. RUDOLPHUS II. Aug. in Præf. Mem. 1580.

1. Mandatis pœnæ arbitrio Præfecti Tabulario inseruntor: sin ex causa exasperandæ videbuntur, voluntas etiam Judicis eorumque qui mandata decreverint, intervenito.

IDEM Aug. in Recef. Ratisponens. 1594.

2. Mandata quibus dies certa non continebitur, si intra annum è Cancellaria non redimentur, pro circumductis habentor.

TIT. CLXXIX.

De Mandatis cum clausula

Imp. MAXIMILINVS II. Aug. & RUDOLPHUS Cæs. in Consult. Cam. 1576.

1. In causis plene & ordinario judicio discutiendis, non temere mandata cum clausula, sed potiui citationes decernuntor.

2. Mandata cum clausula per comparitionem ne simpliciter & absolute in citationem resolvuntor, sed effectus duntaxat suspenditor.

TIT. CLXXX.

De Mandatis super pace publica.

Imp. CAROLVS V. Aug. & FERDINANDVS Cæs. in Ordin. part. 2. tit 9.

1. Vim passo contra pacem publicam, ad pœnas tam juris communis quam Constitutionis, alteras ambasve: simulque vel seorsim de restitutione agere in Camera liceto: fisci semper jure, pœnæq; persecutione salva.

2. Lite tam super damnis spolioque, quam pœnis instituta; si ea pendente Reus ante vel post contestationem decesserit: heredes in instantiam succedentes de damnis & spolio non secus ac ipse tenentor, vel eo nomine transigunto.

Imp. *MAXIMILIANVS II.* Aug. & *RVDOLPHVS* Cæs. in Conf. 1576.

3. Reo mortuo, instantia ratione banni non etiam restitutionis, damnorumque perimitor.

Imp. RUDOLPHUS II. Aug. in Consult. 1583.

4. A Mandato super fracta pace cum clausula obtento, atque etiam reproducto desistere, & si facti qualitas permittat, sine clausula mandatum impetrare liceto.

IDEM Aug. in Recef. Ratisponeus. 1594.

5. Ex constitutione pacis publicæ mandata sive cum citationibus, sive seorsim, ne sine, sed exrecepto stylo, cum clausula exeunto.

6. Quibus casibus sine vi & coadunatione hominum pax publica frangi solet: his nec in libello narrandæ, nec in processu probandæ ejus necessitas esto: ceteris utrumque juxta stylum requiriton, saltem eatenus, ut elici ex facti circumstantiis queat.

7. Quod homines coacti sufficiant, ut fracta pax dicatur, in arbitrio judicis esto.

8. Cognitio de vi vel cæde in via publica ab uno solo perpetrata, non ad Cameram, sed ordinarium forum pertineto.

9. Dolus etsi non diserte narretur: dum tamen ex facti circumstantiis colligi possit; & indiciis perspicuis demonstretur, ad damnationem sufficito.

10. Qualitatibus fractæ pacis ad amussim non probatis, Reus utcunque delicti, facinorisve comper-

compertus, attamen in causa cum citationis tum & mandati absolvitor, causa ad Judicem ordinarium remittitor. Is per viam implorationis subsidiariæ à Camera acta impetrato, atque ex iis litem decidito, utrique tamen parti probatio ulterior salva esto.

TIT. CLXXXI.

De Mandatis super pace Religionis.

Imp. *FERDINANDVS* Aug. in Recess. Augustan. 1555.

1. Ex constitutione de pace Religionis, non minus quam ceteris Imperii legibus, jus Camera dicito: idque in jurisjurandi forma nuncupatim exprimitor.

IDEM Aug. in Jud. & Adst. Mem. 1560.

2. In causis Religionem concernentibus, utriusque Religionis Adsessores, pari semper numero, partim vetustiores, partim juniores deputantor.

IDEM Aug. in Jud. & Adst. Mem. 1561.

3. Supplicationes super pace Religionis, quam maturrime expediuntor.

Imp. *RVDOLPHVS II.* Aug. in Jud. & Adst. Mem. 1579.

4. Mandata de relaxando vel restituendo super pace Religionis, perinde, ut super pace publica, ne aliter quam cum clausula decernuntor.

IDEM Aug. in Decret. 1583. 15. Maij.

5. Supplicationes super pace Religionis & publica, quarum occasione sæpius pares sententiæ dictæ fuerint: adusque Cæsaris & Ordinum decisionem, indecisæ in Camera relinquuntor.

TIT. CLXXXII.

De Mandatis sine clausula.

Imp. *CAROLVS V.* Aug. & *FERDINANDVS* Cæs. in Ordin. part. 2. tit. 23.

1. Mandata ne aliter in Camera, quam reservata Reo contradicendi facultate, hoc est, cum clausula justificatoria, idque in causis, interque Partes ad Cameram pertinentes, decernuntor.

2. Extra quam si quid ita jure consuetudineve prohibitum sit, ut citra causæ cognitionem pœnam mereatur: vel si damnum irreparabile, factumve contra Remp. aut quod moram ferre nequeat proponatur.

3. His enim, aliisque similibus, quibus à præcepto ordiri jura permittunt, mandata etiam sine clausula decernendi & confestim exequendi jus, & contra non parentes pœnæ persecutio esto. Si quis paritione facta pœnave depensa mandatum impugnare, eoque nomine experiri velit, in foro ordinario ipse & adversarius audiuntor, ac jure dirimuntor.

Imp. MAXIMILIANVS II. Aug. in Recess. Augustan. 1570.

4. Mandatis istis citatio ad docendum vel videndum semper adnectitor.

IDEM Aug. in Jud. & Adst. Mem. 1568.

5. Ne rebellandi facile ministretur occasio, subditis contra Magistratus in audita eorum informatione, ne decernuntor.

Imp. *RVDOLPHVS II.* Aug. in Consult. 1583.

6. Mandata ad pœnam dupli non solutarum contributionum sine clausula decernuntor: nisi vel cum clausula petantur, vel alia subsit justa causa.

IDEM Aug. in Jud. & Adst. Mem. 1579.

7. Super operis novi nunciatione, mandata sine clausula, sed eo usque duntaxat, dum de opere restituendo idonea cautio offeratur, decernuntor.

8. Cum mandatis sine clausula omnibus vel citatio ad docendum simul petitor, vel processus negantor.

IDEM Aug. in Consult. 1585.

9. Ad exceptiones contra mandata sine clausula, Procurator arbitratu suo vel tempus postulato, vel per generalia illico submittito.

IDEM Aug. in Recess. Ratisponens. 1594.

10. Contra mandata sine clausula nullæ exceptiones, præterquam sub & obreptionis, maleficii, banni, privationis, & similes admittuntor.

11. Mandatis sine clausula decernendis, narrata Constitutionibus jurique communi per omnia conveniunto.

12. Subditis contra Magistratum, nisi narratis verisimiliter probatis, temere ne indulgentor.

IDEM Aug. in Deputat. Spirens. 1600.

13. His etiam mandatis clausula, **ohne Entgeldt**/perinde, ut in pignorationum causis, ineste censetor: ejusque vi, extorta quovis modo, restituuntor.

14. Mandata sine clausula ex Ord. part. 2. tit. 25. adversus Ordinum subditos seu mediatos ne decernuntor.

15. Pacti quo Creditori suum sibi ex rebus Debitoris sive hypothecis servare permittitur, verba **mit Recht** ad processum ordinarium referuntor: **ohne Recht** autem, mandato sine clausula locum inter personas principaliter Cameræ jurisdictioni subjectas, faciunto.

16. Instrumentis inserta jurisjurandi religio ad obligationis robur, non executionis compendium valeto.

17. Ni-

17. Nihilomagis mandata sine clausula ob exhibitas præter Syngraphaṁ, scriptas iteratasque confessiones decernuntor.

TIT. CLXXXIII.

De Mandatis super constitutione pignerationum & captivorum.

Imp. CAROLUS V. Aug. & FERDINANDUS Cæs. in Ordin. part. 2. tit. 22.

1. Immediatus si immediatum ejusve subditos, ulla ex causa, extra maleficium, pigneraverit, ceperitve: in Camera mandata pœnalia sine clausula, de facienda in continenti restitutione vel relaxatione sub solita cautione non ulciscendi suique rursum si sic judicatum fuerit sistendi, impetrantor.

2. His citatio ad docendum de paritione, & proponendum probandumq; pignorandi capiendive jus, vel videndum se declarari in pœnam mandati adnectitor.

3. De hinc in Camera tum pignorationis capturæve causæ, tum pœnæ commissæ quæstio quam celerrime deciduntor.

4. Et si patet actorem jure pignoraſſe vel cepiſſe: tum is pignora restituta captivosve relaxatos cum expensis & damnis recipito: salva actione principali utrique parti suo loco proponenda.

Imp. *MAXIMILIANVS II.* Aug. in Recess. Augustan. 1566.

5. Istis mandatis clausula, Ohn endgeldt inseritor, eique paretor.

6. Pignoribus culpa vel negligentia corruptis, consumptisve, pretiove à Domino redemptis; æstimatio seu pretium loco rei restituitor.

IDEM Aug. in Visitat. 1567.

7. Pignorationibus inter eosdem super eodem jure repetitis: mandatorum posteriorum paritionis duntaxat articulus dirimitor: citationis causa ad primam eo nomine intentatam actionem rejicitor.

IDEM Aug. in Vis. 1568.

8. Exceptiones contra mandatum fruſtratoriæ ne attenduntor: paritio præcise urgetor: ejus tota disceptatio in novis pertractator.

IDEM Aug. in Consult. 1576.

9. In pignorationem causis possessorium retinendæ ordinarium plene deducitor.

10. Singulis pignorationibus singula mandata debentor.

11. Ex eodem facto tum mandatum super Constitutione pignorationum, tum & ob causam fractæ pacis Citationem impetrare jus esto.

12. Id quod interest, non ex natura magis rei, quam ejusdem usu & destinatione censetor.

13. Rei in fraudem deterioratæ eadem quæ ademptæ ratio habetor.

Imp. RUDOLPHUS II. Aug. in Jud. & Adſ. Mem. 1579.

14. Pignoribus juramento æstimandis, etiam subditorum, universitatumve nomine, quibus ea ablata, mandatum speciale & sufficiens exhibetor.

IDEM Aug. in Jud. & Adſ. Mem. 1585.

15. Subditis captis, pignoratisve, vel detrimento affectis: tam Magistratus qui mandatum obtinuerit, quam subditi, per Procuratores vi specialium mandatorum jusjurandum æstimationis præstanto.

IDEM Aug. in Recess. Ratisponens. 1594.

16. Mandata super constitutione Pignorationum, iis duntaxat casibus quibus res tertia, minimeque controversa, ablata esse dicetur, decernuntor.

17. Jus quærendum in specie exprimitor.

18. Subditi litigiosi, si cum neutri parere detrectent, litis plane ex sortes in sontesque ab alterutro carceremtur: requisitum illud rei tertiæ non usque eo exacte perpenditor, sed super constitutione pignerationum mandata decernuntor.

19. Hactenus tamen si ipsi pignerationi causam non præbuerit.

20. Qui vero non ob crimen quidem sed ex delicti tamen causa, in litigioso territorio, ab alterutra Parte capti, atque in ea causa fuerint, ut ex præventione puniti posse videantur: quoad hos, superiore illa distinctione cessante, constitutio immutata subsistito.

21. Res ablata partim tertia, partim controversa; restitutio qua tertia est, nec ultra mandato injungitor.

22. Pignorationis ab officialibus factæ ratihabitio, eo ipso probata censetor, si dominus restitutionem, cum possit, non faciat.

IDEM Aug. in Deputat. Spirens. 1600.

23. Venandi piscandive jure controverso, extortæ occupanti feræ vel pisces pro re tertia sunto.

24. At jure saltuario glandisve legendæ litigioso, fruges legenti ereptæ pro re ipsa habentor. Cetera sponte nata, si sint fructus rei de qua contenditur, eadem lege sunto: Sin alterius, ut si intuitu juris lignandi glandes, vel tributi nomine frumentum, aut pro decimis culmi ifasdem esve non sepositi auferantur; ad causam pignorationum pertinento.

25. Si propter litem de vectigali vel collecta non amplius quam ea causa deberi dicatur, citra personæ ipsius injuriam ademptum sit; pignoratione esto. Sin cum de jure multandi certaretur, de-

linquenti

linquenti capto nil præter multam expressum, isque ipse mandato necdum obtento petitove dimissus citra dispendium fuerit: hoc vero casu multæ restitutio per mandatum injungitor.

26. Alienis subditis vel ministris sponsione obstrictis, ne jus litigiosum usurpent imposterum, mandato locus esto.

27. Sin subditi litigiosi per carcerem non solum fidelitatem & obedientiam capienti iurare, sed & alterius subiectionem eierare cogantur, nullum mandatum decernitor.

28. Si crimino sum in loco litigioso ab altero iam captum alter eripiat è manibus: mandato ob id locus ne esto.

29. Cæsorum punitorumve cadavera ex territorio alieno ob causam litigiosi meri imperii asportata, pro pignoratione ne sunto.

30. Multoque minus si de corpore vel veste cæsi nihil, sed sola vulnerum mensura in signum pignusve meri imperii ablatum dicatur.

31. Si cui res nulla ablata, ceterum in Constitutionis fraudem corruptum quid deteriusve factum, puta retia concisa, canes perempti, pecora damnose abacta, fruges protritæ abiectæve in profluentem, ministri vel subditi verberati vulnerative aut debilitati fuerint, mandata istis ex causis decernuntor.

32. Si vini venalis causa hedera suspensa, alteriusve iuris signa deiiciantur integra & illæsa, simplex turbatio esto: fracta, rupta dilpuncta, rasa, utcunque unius vix æstimanda assis, & triobolo reparanda pignorationibus accensentor.

33. Patibulo, casula, sepi, similive alia structura excisa, etsi de fragmentis nihil asportatum sit, si quid tamen fuberit damni æstimabilis: eius contemplatione mandatum obtinetor.

34. Quidquid occasione pignerationis vel carceris sumptuum damnive æstimabilis factum erit, uti quæ cibariorum, mercedisve in chirurgos impensæ, vel rerum interim domi neglectarum, nomine abesse dicentur: earum rerum omnium, non etiam solius terroris aut abortus in paritionem æstimatio venito.

TIT. CLXXXIV.

De Mandatis super Constitutione Arrestorum.

Imp. MAXIMILIANUS II. Aug. in Recess. Spirens. 1570.

1. Si quis immediatus alterius immediati res subditosve, eorumve bona arrestaverit, nec arrestum oblata idonea cautione iudicio sisti & iudicatum solvi, relaxaverit: arrestatus in Camera mandatum sine clausula, cum adnexa citatione ad docendum, vel videndum obtineto.

2. Post paritionem causa principalis ad forum ordinarium remittitor.

Imp. *RVDOLPHVS II.* Aug. in Jud. & Add. Mem. 1577.

3. Contra Magistratum ex officio quietisque causa facinorosos comprehendentem, subditisve contumacibus, mandata de relaxando super constitutione Arrestorum, ne decernuntor.

IDEM Aug in Recess. Ratisponens. 1594.

4. Constitutio Arrestorum stricte & proprie de illicitis, atque propria auctoritate, causa non cognita factis, capitor.

5. Ex iusta causa confessi, iudicati pacti, consuetudinis, privilegii, **Nachsteur**/vectigalis imposita, quo rumve nomine peculiaribus constitutionibus, aut jure communi cautum erit: aliena à Constitutione censentor.

6. Sed nec quæ Magistratus ex officii ratione decreverit, petenti tertio, quæve nomine **der Nachsteur**/jure hypothecæ tacitæ subditorum bonis imposuerit, eo trahuntor.

7. Res arrestata nocens, controversave sit, an tertia & innocens in nullo discrimine ponitor.

8. De cautione si oblata narretur, offeraturque etiamnum, probatio alia ne requiritor: sin pro causæ qualitate dubitetur, an idonea sit: his casibus, tum Decretis, tum Mandatis, clausula (**auf vorgehende genugsame würckliche Caution**) inseritor.

9. Constitutio ad eos duntaxat casus, qui post eam latam contigerint, refertor.

10. Expensæ, damna, & quod interest non nisi à cautione ablata, quæque ex re ipsa proveniunt, computantor.

IDEM Aug. in Deputat. Spirens. 1600.

11. Si quis per alienam provinciam iter faciens, à magistratu, petente licet Parte arrestetur: oblata cautione mandatum, dum cetera apte quadrent, decernitor.

TIT. CLXXXV.

De Mandatis avocatoriis.

Imp. *CAROLVS V.* Aug. & *FERDINANDVS* Cæs. in Ordin. part. 2. tit. 9.

1. Si quis contra Constitutionem pacis publicæ, vi vel armis alterum invasurus videbitur: eum Cæsar Camerave instante eo qui vim metuet, seque iuri offeret, vel Fiscali, sub pœna Banni à vi atque armis ad ius iudiciumque avocanto.

2. Non parentem, accusante Fiscali lege pacis publicæ damnato.

3. Interea contra opem auxiliumque ferentes, pariter avocationem generalem decernunto: vicinos laborantibus suppetias ire inbento.

TIT. CLXXXVI.

De Mandatis de non offendendo.

Imp. MAXIMILIANUS *II.* Aug. & RUDOLPHUS Cæs. in Consult. Cam. 1576.

1. Mandata de non offendendo, simul cum processibus super constitutione pignorationum discernendi jus esto.

Imp. RUDOLPUS II. Aug. in Recess. Ratisponens. 1594.

2. De non offendendo mandata ob minas tum decernuntor, si eas qui minantur, contra pacem publicam exequi & possint & soleant: vel si id aliunde probabiliter videatur metuendum.

3. In narratis dum periculum pacifragii utcunque deceatur, ut sciatur, non omnes tractæ pacis qualitates exprimi necesse esto.

TIT. CLXXXVII.

De Matrimonialibus causis.

Imp. MAXINILIANUS II. Aug. in Jud. & Adss. Mem. 1570.

1. Matrimoniales aliisque abhorrentes à sua jurisdictione causas Camera ne recipito.

TIT. CLXXXVIII.

De Medico Cameræ.

Dec. 84. 18. Maij.

1. Medicus à Collegio stipendio Ordinum conductus, Cameralibus immunitatibus fruitor.

Dec. 86. 20. Maij.

2. Sine licentia Judicum & duorum Adsessorum, ab urbe ad alios curandos ne recedito.

3. Ex contributionibus Cameralibus annuos ducenos florenos salarii nomine capito.

TIT. CLXXXIX.

De Militum illicitis coitionibus.

Imp. *CAROLVS V.* Aug. & *FERDINANDVS* Cæs. in Ordin. part. 2. tit. 15.

1. Si cujus in territorio, citra ejus voluntatem milites peregrini consederint, nec Cæsaris, nec alterius certi probatique Ducis auspiciis; is eorum coitiones quantum potest impedito; si non potest: Circuli illius Ducis opem implorato impetratoque.

Imp. *FRIDERICVS III.* Aug. in Reformat. 1442. cap 5.

2. Equestria ministeria quorum non extabunt Domini, in Imperio ne tolerantor: nec alii validi & otiosi homines, nulla honesta arte victitantes.

Imp. CAROLUS V. Aug. in Declarat. Pacis publ. 1522. cap. 35.

3. Si qua Equites Peditesve suspecti transiire, conjungive per exploratores cogniti fuerint: convocatis ex oppidis & agris omnibus ad arma, signoque dato examinantor: & si non recte sibi constabunt, ex præscripto legis in eos animadvertitor.

Imp. *FERDINANDVS* Aug. in Recess. Augustan. 1559.

4. Confluentes militum copiæ Ducum Circensium auxilio prosligantor: Ordinum ductores ad damnorum restitutionem, pœnasque meritas adiguntor: lasis sua adversus eosdem opportuno tempore persecutio integra esto.

5. Milites passim per pagos & agros ociose vagantes, mendicantesque si nihil ultra commisisse deprehendentur, minis absterrentor: si vim fecerint, competenti pœna adficiuntor: si vi resistere conabuntur, persecutione, & ubi capti fuerint, supplicio in eos vindicator.

6. Subditi vetantibus superioribus, stipem hospitium ve ne præbento: abscedere renuentes, victos officialibus tradunto: ubique cavetor, ne quod isti tales uno loco per concussionem extorserint, alibi per luxum absumant.

IDEM Aug. in Recess. Augustan. 1559.

7. Cœtum militarium, molitionumque in Cæsarem vel Ordines auctores & faces, ipso facto Bannum incurrunto, & proscripti citra sententiam uti jure optimo sunto.

TIT. CXC.

De Militum delectu.

Imp. *FERDINANDVS* Aug. in Recess. Augustan. 1559.

1. Exterorum Principum exercitibus nec dilectus habendi locus, nec iter per Imperii fines concedito: utrumque Circulorum sollicita promptitudine avertitor.

2. Quod si dilectus in Imperio legitime habeantur, locus à Circulorum Ducibus & Adjunctis postulator: sed tum demum cum idonee cautum fuerit, impetrator.

Imp. CAROLUS V. Aug. in Declarat. Pacis publ. 1548. cap. 24.

3. Actum quoque Tribuni, Centuriones reliquique Duces pro debitis & victu militum tenentor, & sponsione obstringuntor.

Imp. FERDINANDUS Aug. in Deputat. Wormatiens. 1564.

4. Nemo intra Imperii fines, suis alienisve ditionibus militem colligito, nisi de voluntate Cæsa-

Circuli illius Ducis: adeo ut & cujus jussu & cui re id faciat, doceat, caveatque fidejussione Statuum, Nihil se in Cæsarem, Principes, Subditos, Clientes Imperii moliturum, sed constitutionibus publicis per omnia pariturum.

5. Ni fiat: Dux Circuli, Adjunctique confluentem collectamve manum fundunto.

6. Principes Ordinesque, suos quisque proprios: immediate Imperio subditos, qui Statibus non accensentur, Cæsar juxta Constitutionem coerceto.

Imp. *MAXIMILIANVS II.* Aug. in Recess. Spirens. 1570.

7. Principes exteri copias in Imperio conscripturi, Cæsarem prius requirunto: Militum numerum, Nomina ductorum exprimunto: In Cæsarem, Principes, subditos, Clientes Imperii, impetum non versuros, nec damnum transitu daturos, sine pretio nil ablaturos, intra Imperii clientumve fines nec dilectum habituros, nec exercitum dimissuros, repromittunto.

8. Tribuni, Præfecti, Centuriones, Ducesque ceteri, cui, & quantum copiarum collecturi sint, significanto: exercitum in Imperio nec lustratum iri, nec quidquam hostile aufurum: dimissum, figillatim aut manipulatim non agmine transiturum repromittunto.

9. Porro & Circensibus Ducibus, Adjunctisque mandatorum exhibita authentica forma, præter superiorem professionem promissionemque, Imperii quoque Statibus fidejussoribus satisdanto.

10. Hi postea de damnis, si qua adversus ea data dicentur, cognoscunto: sententiam suam tam contra Reos quam fidejussores, eorumque bona exsequuntor: vel eos sub quibus bona sita erunt, de executione appellanto.

11. Præter hæc qui operam suam exteris Principibus locaverint, ipso facto proscripti sunto: à Circulorum Ducibus disiiciuntor, comprehenduntor, puniuntor.

TIT. CXCI.

De Moderationum causis.

Imp. CAROLUS V. Aug. in Recess. Augustan. 1548.

1. Si qui se pluris quam oporteat publicis Imperii tabulis censos arbitrabuntur: hi ejus rei querelam ad Circulum suum deferunto: is per delegatos de causis graviaminum inquirito, atque alios iis decidendis deputato.

2. Relevandi causæ justæ sunto: si cui quid de territorio post factam æstimationem decesserit; sive insignis quæpiam calamitas accesserit.

3. Moderationis arbitrium bono & æquo nititor: quid quantumque de census cujusque capite demi debeat, nominatim exprimitor: idque ipsum iis, ad quos ea res qua de agitur pervenit, adscribitor: atque ita novæ utrique tabulæ conficiuntor.

4. Sin causæ petendi improbabiles existimabuntur; moderatio negator.

Imp. *FERDINANDVS* Aug. in Recess. Augustan. 1555.

5. Si quid circa procedendi ordinem modumque incidet dubii, Moderatores Cæsarem consulunto, causam principalem ipsi deciduntо.

Imp. RUDOLPHUS II. Aug. in Recess. Ratisponens. 1594.

6. Ab eorum sententia ad Comitia Deputatorum provocatio esto.

7. Ibi actis prioribus cum libello summario prolatis, conclusioneque una facta, causa ex æquo & bono definitor: Imperiique Album seu Tabulæ censuales redintegrantor.

8. Litis præparatoria hinc in Electorum, inde Principum Senatu seorsim tractantor, collatisque more majorum & junctis utrorumque placitis, ubi deinde ad cognitionem causæque decisionem ventum erit; uno omnes Senatu, præsentibus etiam Cæsareis Commissariis sententias dicunto, & ex eo quod majori parti federit, definiunto. Diserepantibus pari utrimque numero sententiis Colophonem Cæsar imponito.

9. Album Imperii illud, quod anno CIↃ. IↃ. XXI. de consilio & consensu Ordinum conscriptum fuit, in judicando propositum sibi habento, idque nisi qua per Moderatores mutabitur, ratum porro esto.

TIT. CXCII.

De Monetario edicto.

Imp. *FERDINANDVS* Aug. in Ordinat. de Monet. 1559.

1. Ex argenti marca Coloniensi, Floreni novem cum semisse, sexagenorum cruciatorum constantor: eademque ratio proportionis in feriundis minoribus formis pro æstimatione & pretio cujusque esto.

2. Omnes hinc Aquilam bicipitem, insertumque pectori Imperii globum atque in eo pretium numero cruciatorum designatum, circumscriptumque in orbe Cæsaris nomen: inde insignia Domini monetalis, ejusdemque symbolum, & annum referunto.

3. A floreno ad cruciatum formæ omnes justæ probæque sunto: sed quinariis cruciatorum minores ad finem duntaxat vigintiquinque florenorum, nec supra recipiuntor.

4. Ubi de auro solvendo nominatim convenerit, longove usu receptum fuerit, pacta consuetudinesque servantor.

5. Hos præter, solidi Wirtzburgici, Wirtenbergici, Badenici, Sundici, sed & grossi & quadranguli corvis insigniti, grossulique quantum loci cujusque quotidianis permutationibus satis est, ma-

teria tamen & forma & pretio justo percutiuntor. Pfenningi etiam & Helleri Edicto comprehensi ad necessarios usus tolerantor.

6. Extra eos nulli alii conflantor, vel solutionis vice funguntor sub pœna indignationis Cæsareæ, & L. marcarum auri, quoties id contigerit, partim fisco, partim Circulo inferenda.

7. Pfenningos, in dissolutionem majusculorum summarum nemo accipere tenetor.

8. Taleri seu Joachimici ante hanc legem cusi sexagenis octonis cruciatis expenduntor.

9. Argentei exterarum gentium nummi post sextum abhinc mensem extorres ab Imperio & à commerciis exclusi sunto: deprehensi confiscantor: his qui eos porro invexerint, vita quoque atq; omnibus bonis multandis.

10. Aurei floreni septuaginta duo marcam Colonienſem constituunto: cruciatis septuagenis quinis, vel minoris, non pluris expenduntor: alioqui Magistratibus locorum pœnæ loco committuntor.

11. Ducati intra Imperium sexaginta septem è Colonienſi marca conflantor: nec pluris quam centenis & quaternis cruciatis sub eadem pœna erogantor.

12. Ceteri numi aurei intra Imperium signati omnes, exteri quoque præter Ducatos, Coronatosque æstimatione hoc edicto definita, sub eadem confiscationis pœna post sex mensium lapsum, reprobantor.

13. His rebus servandis, explorandisque monetis, Conventus dominorum monetalium per Circulos bis quotannis, vel semel saltim habentor.

14. Qui numos raserint, tinxerint, conflarint, finxerint, exportarint, permutarint, corruperint: morte, corpore, bonis multantor.

15. Accusatio publica esto.

16. Qui scientes dissimularint, duas marcas auri, pœnæ nomine pendunto.

17. Bonorum publicatorum triens Judici, reliquus bes loci Magistratui, cove spernente, Circuli ejus Monetalibus defertor.

18. Eadem divisionis ratio in pœnis eorum, qui dictas fraudes competisse, & reticuisse convincentur, servator.

19. Sin ultionem omnes neglexerint, & indicium ad Fiscalem delatum fuerit: tum is contradelinquentes delictorumque vindictam negligentes simul procedito, & multam cum indice eadem proportione partitor.

20. Argentum & aurum infectum, vasa quoque argentea, præterquam deaurata, sed & Ducati probi, aurumque Rhenanum signatum, ne exportator ullo pacto, sub eadem supra numorum corruptoribus statuta pœna,

21. Qui numos probos fudisse, fregisse, lavisse, falsificasse deprehensi fuerint, ignis supplicio tolluntor.

22. Aurificibus numos aureos vel argenteos quantum opificii exigit usus, nec supra, sciente Magistratu consumere fas esto: vendendi vel exportandi facultas ne esto.

23. Cudendæ monetæ jus nemo alteri vendito, locato, cedito: nemo cum monetariis pacta illicita contrahito: suo quisque sumptu pecuniam signato: edicto in omnibus pareto.

24. Qui contra facient: gratia Cæsarea & jure monetæ illico excidunto.

25. Conductores juris monetalis, decem auri marcis multantor.

26. Quibus cudendæ monetæ jus deinceps à Cæsare indulgebitur: huic legi subjacento: privilegia contra eam concessa, vel porro conferenda, irrita & abrogata sunto.

Imp. MAXIMILIANUS II. Aug. in Recef. Augusf. 1566.

27. Thalerorum solidas, semissesque & quadrantes formas ferire, iisque contrahere liceto: solidi cruciatis sexagenis octonis valento, marcæ Colonienſis octava pars sunto. Reliquorum eadem proportionis ratio esto.

28. Cruciatorum quinarii, horumque semisses porro intermittuntor.

29. Qui peculiares in ditionibus suis numorum species expresserint, iisdem porro sed adæstimationem puritatemque monetæ Imperialis revocatis, utuntor.

30. Specimina sive censuræ recens cusorum Fiscali mittuntor, is Edicti fraudatores ad pœnam & privationem convenito.

31. Numos contra leges numarias ferientes, præter ceteras pœnas, proscripti ipso jure sunto, jus monetale amittunto, proscriptio per Circulos executioni dator.

32. Monetarii nec jure monetali exutis, nec aliis adversus Edicti prohibitionem operam locanto.

33. Magistratus monetariarum fraudum vel parum acres ultores, vel participes, Circuli ad Fiscalem deferunto: is pœnam decem marcarum auri exigito.

34. Vocatorum ad probatorios conventus quibusdam non convenientibus: sumptus in eam rem per ceteros facti Fiscali desgnantor, & per eum jure judicioque repetuntor.

IDEM Aug. in Recef. Spirenſ. 1570.

35. Pfenningi & Helleri, præter Circulorum permissionem, & regionis cujusque necessitatem, penitus ne cudantor.

36. Secus editi, à Circulo vel Cæsare interdicuntor confiscantorque ubicunque locorum reperti: damnum domini monetales, quibus contigerit farciunto, jusq; monetæ citra causæ cognitionem amit-

amittunto, & à Cæsare exercere prohibentor: nec nisi de voluntate Ordinum in Comitiis restituuntor.

37. Monetarii quoque præter damnorum restitutionem, morte vel corpore, vel ex arbitrio plectuntor.

38. Eadem pœna esto cruciatorum Semibaciorumque supra modum Constitutione permissum, percussorum.

39. Quibus est jus cudendæ monetæ eo non ubivis, sed tribus vel quatuor duntaxat locis à Circulo designatis utuntor, sub pœna indignationis, & amissionis dicti juris, exceptis tamen iis qui suas habent proprias fodinas.

40. Monetarii & Inspectores Circulorum inquisitione ad probantor, jurantoque in leges numarias cum cautione omnium bonorum, suique quoties exigentur sistendi.

41. Eadem ipsa in numorum Examinatoribus observantor: hisque compertarum fraudum denunciatio imperator.

42. Conventus exploratorii per Circulos quotannis duo, Kal. Maji & Octobris habentor: his omnia huc legi adversa prohibentor; negligentes per Circulos vicinos Cæsari nominantor, ab eoque suspensione, aliisve remediis ad officium compelluntor: atque conventibus probatoriis frequentes interesse periculo juris sui monetalis, jubentor.

43. Interea cusos iis locis numos vicini Circuli, tanquam Cæsaris in ea re delegati, ad suam notionem trahunto.

44. Electores quatuor Rhenani, cumque his Commissarii Cæsarei, annuis mercatibus Francofurtensibus, ne quid ullo pacto in edictum committatur Senatus oppidani adjumento, prospiciunto.

45. Argentum infectum & omnem reprobam pecuniam occupanto.

46. Idem Saxo & Brandenburgicus suis emporiis facitanto: Cæsari quoque in propriis & Imperii civitatibus, ubi opus videbitur, eadem res curæ esto.

IDEM Aug. in Deputat. Francofurt. 1571.

47. Numi aurei argenteique seu probi, seu interdicti & fisco debiti ex Imperio ne exportantor: exteri præter edicto exceptos sub eadem confiscationis pœna ne importantor.

48. Quibus fuæ sunt fodinæ, locique eudendæ monetæ peculiares: iis aurum argentumve penes se natum duntaxat, aliunde partum, locis à Circulo deputatis feriunto.

49. Anglicani, Henricani, Rostreti, Rosati Nobiles probi permissique sunto: in Imperio tamen ne cuduntor.

50. Monetarias fraudes, Magistratus suis emporiis inhibento: sin minus: Cæsar, adhibitis ejus loci vicinis Electoribus & Principibus, provideto.

Imp. MAXIMILIANUS .. Aug. in Recess. Ratisponens. 1576.

51. Qui debita vicenis quinis florenis majora, minoribus formis dissolvere conabuntur, earum confiscatione plectuntor.

Imp. RUDOLPHUS II. Aug. in Recess. Ratisponens. 1594.

52. Ne quis Status alteri privilegium monetale vendito locatove. Si fecerit, à Fiscali per Circulum ejus rei certiore facto ad juris sui suspensionem privationemve accusator.

53. Monetarii falsi ubique locorum comprehenduntor, pœnisque statutis subduntor.

54. Monetarii monetarumque exploratores non solum domino, qui eos conduxerit, sed & toti Circulo juramento obstringuntor.

IDEM Aug. in Recess. Ratisponens. 1598.

55. Baciorum semisses dodrantesque formæ deinceps, donec aliud statuatur, in totûne cõflantor.

56. Qui formas majores in minores converterint, per Circulos severe coercentor.

TIT. CXCIII.

De Mandatis.

Imp. FERDINANDUS Aug. in Mem. 1559.

1. Procuratoribus nomine æstimatorum laborum, monitoria; ob pacta salaria, citationes simplices decernuntor.

TIT. CXCIV.

De Monopolis.

Imp. CAROLUS V. Aug. in Reformat. Politiæ 1548. cap. 18.

1. Monopolia hisque similia pacta in toto Imperio irrita, injusta & reproba sunto. Eo qui inierint, eorum bona mert Imperii dominis confiscantor: ipsis nulla ulpiam securitate cavetor.

2. Societates justas coire negotiatoribus citra fraudem licito.

3. Hanc legem Magistratus sub bonorum amissione, rigide exercento: Negligentes Fiscalis officii admoneto: itaque intra mensem non parentibus, eos qui deliquerint ipse jure judicioque persequitor.

4. In Camera conventis nullæ exceptiones dilatoriæ, declinatoriæ, velavocationes competunto: remissio nulla litigetor.

5. Ipsi etiam Magistratus instante in Camera Fiscali, centum marcis auri multantor.

6. Judices bonorum ademptorum quadrantem, ope Magistratus vel Cameræ capiunto: si foti criminis fuerint, impunitate contenti sunto.

7. His omnibus casibus summarie, citra restitutionem, Supplicationem, Inhibitionem, Avocationemque & alias frustrationes cognoscitor.

8. Hæc lege omnes in Imperio negotiatores, Principes, Proceres, Urbes & universitates comprehensi: privilegiis omnibus hac parte abrogatis.

N.

TIT. CXCV.

De Neglectis.

Imp. FERDINANDUS Aug. in Jud. & Adſ. Mem. 1557.

1. Neglecta Judicis, reliquorum more inter Adsessores præsentes ne distribuuntor: sed dispositioni Ordinum in æterno relinquuntor.

TIT. CXCVI.

De Notariis publicis, eorumque officio.

Imp. MAXIMILIANUS I. Aug. in Ordinat. de Notar. 1512.

1. Infideles, servi, infames, imperiti, interdicti sacris, proscripti, intellabiles Notarii ne creantor.

2. Adversaria sua Notarii manu propria fideliter conscripta, instrumentisque conformia diligenter servanto, & post se relinquunto, fidem instrumentorum, si sit opus, suppletura.

3. Ea causa ne volentibus quidem partibus, ita prorsus delentor, quin legi semper valeant.

4. Non nisi res coram se testibusque ipso rogato tempore gestas, propriisque sensibus perceptas, in adversaria vel instrumenta conferunto: sed visorum auditorumque suum, reliquorum vero suum, testium judicium referunto.

5. Etiam de Mutorum actibus, nutuque & signis, rogati testificantor.

6. Instrumenta absese concepta, per alium, dum sua tamen manu subscribant, exaranto: protocolla ipsi excludunto aut ni possint, alteri ad verbum dutanto.

7. Adversariis clausulas substantiales, saltem summatim, ex jure moreve, maximeque renunciationum, inspergunto: sed eas contrahentibus prius perspicue interpretantor, idque privata negotiis, quæ scripto perficiuntur, observanto.

8. In formandis describendisve operæ aliena instrumentis, à fraudibus, in unius lateris aut literulæ corruptione latitantibus, etiam atque etiam cavento.

9. Rogati, nisi doctores; Senatores, Monachi vel Clerici sint, operam suam nemini negunto.

10. Quas illi tamen res ultro susceperint, earum adversaria edunto, culpamque si quam commiserint, luunto.

11. Officium potestatemque suam supremo principi acceptam ferunto: alteri ne resignato.

12. Sine Judicis auctoritate justisve causis, neque sua signa mutanto, neque sigillo alieno instrumenta subnotanto.

13. Instrumenta ex suis Adversariis, ut volent, ex alienis, verbis iisdem exscribunto: certa Judici permittunto.

14. Si quid casu inductum inscriptumve fuerit, ejus in subscriptione mentionem faciunto: Protocolla amissa ex instrumentis jam editis, vel testium dictis reparanto.

15. Errores præcavento: damnave inde orta sarciunto.

16. Instrumentorum jam editorum vitia, non nisi judice auctore tollunto.

17. A quibus rogati fuerint, ipsis, procuratoribusve, heredibusve, semel sponte; iterum, sive quorum interest, (maxime si quid dubii controversive vel fraudis inciderit) citati, jussique a Judice instrumenta conficiunto.

18. Noctu sine justa causa, vel clanculum ne rogantor.

19. Testamentis componendis, ob magnitudinem periculi, curam atque industriam præcipuam impendunto.

20. Actoria, Procuratoriaque Instrumentis recte cum suis clausulis inserunto: jusjurandum calumniæ constituentibus explicanto.

21. Appellationes unde & quomodo interponi debeant, docti noscunto.

22. Juris qua ad suum munus spectat, periti sunto: in difficilioribus peritiores consulunto: alioqui damnorum æstimationem ipsi subeunto.

Imp. *CAROLUS* V. Aug. & *FERDINANDUS* Cæs. in Ordinat. part. 1. tit. 39.

23. Notarii quibus causis ex officii ratione adhiberi fuerint, in his à sollicitando, procurandoque abstinento.

TIT. CXCVII.

De Notariorum alboreceptione.

Imp. CAROLUS V. Aug. & FERDINANDUS Cæs. in Ordin. part. 1. tit. 39.

1. Notarius, nisi qui fidei & industriæ testimonium à suo Magistratu cum manu sigilli & signo ad Cameram miserit, alboque receptus sit, exequendorum processuum jus ne habeto.

2. Si quis citra documentum Camera examinatus, alboque inscriptus fuerit, hoc facultas eadem esto.

Imp.

Imp. FERDINANDUS Aug. in Dep. Spirens. 1557.

3. Documentum ad Cameram missa, à Judice, Adsessoribusque duobus & Præfecto Tabulario examinantor: quo hi statuerint, ratum esto.

IDEM Aug. in Vis. 1560.

4. Nullus Notariorum Cameræ albo inscribitor, qui non ante per deputatos in Camera bona fide examinatus, & idoneus repertus fuerit.

DEM Aug. in Vis. 1561.

5. Judex & Adsessores ex loci distantia, & aliis circumstantiis an Magistratibus de Notariorum examine industriaque & fide attestantibus adquiescendum, an ipsi coram adesse jubendi sint, æstimanto.

TIT. CXCVIII.

De Notariis Cameræ.

Imp. CAROLUS V. Aug. & FERDINANDUS Cæs. in Ordin. part. 1. tit. 29.

1. Notarii suas vices ipsi, non per alios nisi gravi de causa obeunto: in Senatu atque judicio & Cancellaria idem quod Protonotarii, justi facti anto, his ut fino tempore succedere possint, semet dignos præstanto.

2. Acta concluſa cum Lectoribus una festine complento: ut submissiones in causis spolii, purgationis, & executionum præ aliis reverendæ dentur prævidento.

IDEM Aug. & Cæs. in Ord. part. 1. tit. 28.

3. In Protonotarii absentis vel impediti locum, Notarius judicio a Præfecto adhibetor.

Imp. FERDINANDUS Aug. in Vis. 1556.

4. Duobus prioribus, Tertius Actis complendis, Fiscalibusque causis adjungitor.

Imp. Aug. in Notar. Mem. 1557. 17. Aug.

5. Cui Repertoriorum cura incumbet, in Protocolli indice conferendo scribis adjumento esto.

6. Sententiarum codicibus reportoria propria conficiunto.

7. Alienis tractantus, à rebus gerendis officioque abducuntor, crebrius adesse parcunto: etiam per ferias manus operi admovento.

8. Menda in scriptionum, errores que Procuratorum, Præfecto indicanto.

TIT. CXCIX.

De Nullitate.

Imp. CAROLUS V. Aug. & FERDINANDUS Cæs. in Ordin. part. 3. tit. 34.

1. Nullitas simul cum iniquitate sententiæ proponitor alternative, ita ut nulliter primum, tùm deinde si nullitas nulla appareat, injuste judicatum esse intendatur.

2. Sed ob nullitates, nisi causæ principali irreparabile damnum inferant, processus priores à Camera ne rejiciuntor: verum ex iisdem causæ decisio eruitor.

3. Nullitas incidenter proposita cum iniquitatis quæstione ejusdem terminis una agitator, & causarum appellationum more procedito.

4. Nisi si tam evidens nullitas sit actorum prioris instantiæ, quæ ratificari in posteriore non possit: hoc quidem casu, vel ante litis contestationem, atque etiam ex officio super ea pronunciator.

5. Si nulla interjecta appellatione, nullitatis querela seorsim & sola instituatur, ad instar causarum extraordinariarum simplicis querelæ peragitor.

6. Nullitatum causæ, utroque casu in specie per Procuratores designantor.

TIT. CC.

De Nunciorum Cameræ receptione.

Imp. CAROLUS V. Aug. & FERDINANDUS Cæs. in Ord. part. 1. tit. 36.

1. Cum Nunciorum relationibus fides habeatur, in iisque processus contumaciæ fundetur nullus deinceps à Judice & Adsessoribus in nunciorum numerum recipitor, de cujus fide, probitate & industria, notitiaque literarum non constet: inhabiles & inepti dimittuntor.

2. Numero duodecim vel plures si fit opus, constituuntor.

Imp. RUDOLPHUS II. Aug. in Præt. Mem. 1585.

3. In locum equestrium pedestres si sint apti, præ aliis subrogantor.

TIT. CCI.

De Nunciorum officio.

Imp. CAROLUS V. Aug. & FERDINANDUS Cæs. in Ordin. part. 1. tit. 37.

1. Singulos equos suo sumptu alunto.

2. Literarum & executionum scribendarum gnari sunto.

3. Quem ordo tanget, assiduus pro Cancellaria præstolator, itineri paratus & accinctus esto.

4. Mandato accepto protinus discedito, nec dum addantur processus plures operitor, effecta causa & permissione Deputati.

5. Processus a nemine præterquam nunciorum Magistro, ejusve justu susceptum vel cassa dimissione ab eodem impetrata, & ejus codici inscripta.

6. Reversi recta eundem adeunto, & factæ executionis librum subscribunto.

7. Pecuniæ in commune redigendæ, rationes ei reddunto, transituque intra malefactorum edictumve.

8. Argentum si quod à partibus acceperunt, deferendum ad Procuratores illorum registrato.

9. In exequendo modeste egerunto: accepti durius placite necessitatem mutuis cautionibus.

10. Supra mercedem debitam partibus ne quid extorquento: nec se invicem, aliosve modis fraude circumveniunto: Constituto salario contenti sunto.

Imp. RUDOLPHUS II. Aug. in Mem. 1585.

11. Creditoribus suis pixidem communem ne obliganto: pecuniam fidei suæ à partibus commissam propriis necessitatibus ne impendunto: indemnitatis nomine prædes ad summam CCC. plus minus sibi cnorum censente judice dare jubentor.

IDEM Aug. in Præf. Mem. 1586.

12. Impedimenti si quod in itinere inciderit fidedignum documentum domum secum reportato, & Cancellariæ exhibento.

TIT. CCII.

De Nunciorum tessera.

Imp. CAROLUS V Aug. & FERDINANDUS Cæs. in Ordin. part. 1. tit. 35.

1. Nuncii pedestres, acceptum ultro vel à partibus, Procuratoribusve, Cæsareum insigne, ne appendunto: si fecerint, alius exemplo plectuntor.

2. Attamen privatis negotiis, extra processuum imperialium executiones, obeundis partes procuratoresve à magistro nunciorum petitum obtinento, ac post nuncii reditū sine mora restituunto.

TIT. CCIII.

De Nunciorum mercede.

Imp. CAROLUS V. Aug. & FERDINANDUS Cæs. in Ordin. part. 1. tit. 47.

1. In octona profectionis, non etiam reversionis miliaria floreni singuli XVI. baciorum: pro executione facta uni, semiflorenus; pluribus eodem loco, florenus, diversis, totidem præter florenum quadrantes quod fuerint loci adeundi solvuntor.

2. E diversis diversorum processibus, totidem itinerum mercedes percipiunto: unius quæstum sibi habento, reliqua Nunciorum Magistro ex jurisjurandi fide restituunto: is eam per unam diligenter configuatam, pixidique injectam, cum Concordiis una inter nuncios per timettris æqualiter partitor.

3. Pro mansionibus iisdem locis, sine partium jussu, nihil capiunto.

Imp. FERDINANDUS Aug. in Vil. 1562.

4. Si quis nuncium in unius processus gratiam cujus merces ob annonæ fortassis caritatem vitatico non sufficiat, proficisci volet: is cum eo hoc nomine convento: sin plures erunt ex quorum processus, supra præscriptum nihil exigitor.

Imp. *MAXIMILIANUS II.* Aug. in Recess. Spirens. 1570.

5. Propter difficultatem annonæ, nunciis viceni bini florenti annui e publico penduntor.

IDEM Aug. in Proc. Mem. 1574.

6. Equestribus in miliaria cruciatos denos exigendi hinc ad annum proximum gratia permissioque esto.

IDEM Aug. in Proc. Mem. 1575.

7. Procuratores nunciis suorum proceſſuum causa ablegatis, tum itineris, tum executionis mercedem solvunto.

Imp. RUDOLPHUS II. Aug. in Nunc. Mem. 1585.

8. Nunciorum cum Procuratoribus de sua mercede controversiæ, de plano, citra libellorum longas ambages dirimuntor.

9. Iisdem non bini in miliaria bacii, sed novissimis decretis definita porro quoq; penduntor.

IDEM Aug. in Tax. 1585.

10. Tabellariorum aliorum arbitria opera esto. His pro situ regionum, personarumque & aliarum circumstantiarum ratione, sesqui vel bini ad summum bacii in miliaria æstimantor.

IDEM Aug. in decret. Nunc. 1600.

11. In communionem collatorum in pixidem, soli equestres, at non pedestres veniunto.

TIT. CCIV.

De nunciorum Magistro.

Imp. CAROLUS V. Aug. & FERDINANDUS Cæs. in Ord. part. 1. tit. 5.

1. Processus expeditus equestri nuncio, quem ordo contigerit exsequendos demandato: nec finito vel à Procuratoribus in Cancellaria relinqui, vel cui & quando velint committi.

2. Ordinem & æqualitatem inter nuncios servato; processus cuique commissos, reducisque relationem sibi factam diemque reditus adnotato, & à nuncio subscribendam curato: quæ supra simplam mercedem acceperit, pixidi inferre jubeto, & inter omnes per trimestria distributo.

3. Nuncios commissione accepta, discedere è vestigio jubeto.

4. Quotquot suos processus non per Cameræ nuncios exsequentur: ab his Concordiæ nomine in dena miliaria quinos bacios, vel quantum æquum erit, exigito: id consignatum, testatumque pixidique similiter illatum, tertio quoque mense Nunciis dividito.

5. Audientis Novarum adsistito: quas executiones sine suo jussu permissuve factas animadverterit, postridie in Senatu indicato.

Imp. FERDINANDUS Aug. in Nunc. Mem. 1557.

6. A cancellaria ne abscedito: sententias substitutis prælegere ne gravator.

IDEM Aug. in Mem. 1556.

7. Executiones minus legitimas ne recipito, neve subscribito.

IDEM Aug. in Mem. 1559.

8. Sed nec præscribito, nec nisi ubi oportuit, conscriptas subsignato.

Imp. *RVDOLPHVS II.* Aug. in Præf. Mem. 1586.

9. Processibus post termini vel fatalium lapsum reproductis, diem flagitatorum, adeptorum, nuncioque commissorum adnotato: simul quo die nuncius redierit, quo processus executos Procuratori restituerit, admoneto.

10. Processus plures quam ut justo tempore insinuari possint, simul uni ne committito.

O.

TIT. CCV.

De Obsidum sistendorum cautione.

Imp. CAROLUS V. Aug. in Reformat. Politiæ 1548. in princ.

1. Instrumenta cautionem continentia obsides sistenni, extra Imperii ditionem ne alienantor: neve subditi Imperio, extra ejus fines eo nomine evocantor. Alioqui nec evocati parere tenentor: & delinquentes dimidiam sortis summam amittunto, inter Magistratum loci, & venditorem æqualiter partiendam.

Imp. RUDOLPHUS II. Aug. in Ord. Politiæ 1577. cap. 17.

2. Obsidum sistendorum obligatio, in futuris contractibus & instrumentis, publica lege prohibita, sublataque, & si fiat, nullius posthac momenti esto.

TIT. CCVI.

De Opificum pactis vel institutis.

Imp. *CAROLVS V.* Aug. in Reform. Politiæ 1548. cap. 36.

1. Opificum in certum & uniformem manu pretium conspirationes ne permittuntor, sed à Magistratibus puniuntor.

2. Textorum, Tonsorum, Opiliorum, Molitorum, Publicanorum, Tibicinum Tubicinumque & Balneatorum liberi, si alias honestorum natalium, vitaque probi sint, à ceterorum opificum consortiis & tribubus ne excluduntor.

3. Opifices advenæ in oppidis nomina sua apud ejus artificii tribusve viatorem, sociosve, junioremve tribulem, cuive id negotii datum fuerit, profitentor, hi de conditione idonea prospicianto.

4. Muneris atque Epuli dandi adventitii viaticique mos pravus facessito.

5. Injuriæ cessanto: si intervenerint, ordinarii Judicis cognitio esto: contumax idem & contumeliosus tantisper dum sese purget, pro infami habetor punitorque.

6. Injuria adfecti ab ejusdem opificii consortio ne arcentor, sed ad finem usq; litis admittuntor.

7. His quisquis restiterit, ubique gentium ab exercitio propriæ artis excluditor: Appellatio cuique salva esto.

8. De convictus ratione pacta ne ineuntor: æquitas tamen in eo præbendo Magistratu suas partes interponente adhibetor.

Imp. *FERDINANDVS* Aug. in Recess. Augustan. 1559.

9. Controversiæ sive opificium, sive alia spectent, in eo foro ubi Rei deprehendentur, commorabunturve, proponuntor.

Imp. MAXIMILIANVS II. Aug. in Recess. Augustan. 1566.

10. Leges de opificibus latas, Magistratus sub pœna decem marcarum auri fisco inferendarum, exsequuntor.

TIT. CCVII.

De Ordinatione Cameræ.

Imp FERDINANDUS Aug. in Ordin. Cam. in prolog.

1. Ordinatio Cameræ anno ↀIↃIↃLV. promulgata, omnib. præcedentibus, simul & Rescriptis,

Com-

Commissionibus, Avocationibus, Jussionibus, Mandatis Cæsareis contrariis cunctis abrogatis servator & obtinento.

Imp. *CAROLVS V.* Aug. & *FERDINANDVS* Cæs. in Ordin. part. 2. tit. 30.

2. Ordinationem Cameræ in Comitiis anno cIↃ. Ic. XLIIX. publice prælectam promulgatamque, & anno LV. recognitam atque recusam ignorare nemini fas aut excusatio esto.

TIT. CCVIII.

De Ordinatione criminali.

Imp. CAROLUS V. Aug. in Ord. Crim. 1532. cap. 4.

1. Ordinatio Criminalis, die peinliche Halsgerichts-Ordnung / ut liceat omnibus Imperii subditis tam illi, quam juri æquitatique & consuetudinibus probis sese conformare, typis vulgator, & promulgator.

2. Electorum ordinumque consuetudinibus nulla parte abrogatis.

TIT. CCIX.

De Ordinatione politica.

Imp. *CAROLVS V.* Aug. in Reform. Politiæ 1548. cap. 24. & seqq.

1. Ministros alienos ne quis, nisi prolato prioris domini testimonio conducito.

2. Quibus documentum duobus internunciis exactum inique denegabitur: his Magistratus ex inquisitione testimonium perhibento.

3. Desertores conjugum & adulteri, lenonesque nullibi tolerantor: sed corpore bonisque multantor.

4. Inopes quæque civitas suos alito: mendicos arceto: alio nisi copia egenorum oppressa, & cum elogio, ne dimittito.

5. Nosocomia ut sarta tecta sint, rectæque rationes reddantur, visitationes annuæ habeantur, reditus non alio quam sustentationi pauperum piisque usibus impendantur, Magistratus providento.

6. Impostores, qui se Zigenos nominant, quos compertum est proditores esse, & explatores hostium nusquam in imperio locum inveniunto: in deprehensos vis & injuria sine fraude esto.

7. Moriones citra alienum incommodum habentor: insignia, anuli, alia, nisi domesticis ne donantor, donata amoventor: Quibus suus non extabit Dominus, eiiciuntor & castigantor.

8. Tibicines, Tubicines, Fidicines Principum procerumve, stipem colligere, præterquam abillorum subditis, sicuti & tabellarii prohibentor.

9. Scurrarum, Mimorum, Versificatorum, Cantorumque circulatorum eadem, quæ Morionum condicio & pœna esto.

10. Cantorum receptipassim agones extra prohibitionem sunto.

11. Mulieres saltatrices ne feruntor.

12. Ordinationem politicam, qui Regalia ab Imperio habent, moderandi, mitigandique jus habento, non etiam exasperandi vel augendi.

Imp. Aug. in Recessu Augustan. 1551.

13. Oppidorum, Pagorum, Collegiorum consuetudines, huic ordinationi adversantes, sublatæ nullæque sunto: ipsa pro lege observator.

14. Diplomata Zigenis commeandi per imperii provincias causa ne dantor: data a locorum Præsidibus pro non scriptis habento.

Imp. *RVDOLPHVS II.* Aug. in Ordinat. Politiæ 1577. cap. 25.

15. Famulorum, Opificum, Operariorum mercedibus atque operis Magistratus quisque pro loci conditione modum præscribito.

16. Nulli præterquam morbo vel debilitate coacto mendicare permittito.

17. Mendicorum liberos victui parando aptos, parentibus abstrahito, artibus servitiisque adhibeto.

18. Mendicantes peregrinos arceto: validos in exemplum punito.

TIT. CCX.

De Ordine.

Imp. FERDINANDUS Aug. in Mem. 1559.

1. Quem quisque in Senatu sedenti locum ab initio sem el fortitus erit; eum ne immutato, neu deserito.

P.

TIT. CCXI.

De Pacis publicæ constitutione.

Imp. CAROLUS V. Aug. in Declarat. Pacis publ. 1548.

1. Nemo alteri ulla ex causa ullove prætextu bellum denunciato, infertove, prædamve agito, aut captivum abducito, obsidetove, aut in eum conspirato, fœdusve illicitum pangito.

2. Nemo

1. Nemo possessionem jusve alienum per vim armataque manu intercipito, subditosve ab alienato, vel in Magistratum concitato, aut contra morem Majorum, præterque voluntatem Magistratus in patrocinium clientelamque suscipito.

3. Omnes suis rebus quiete fruuntor: suis invicem subditis itineratuta præstanto: vim atque injurias arcento.

4. Pacirupis nemp ope consiliove adesto: oppida, arces, pagos, villas ne expugnato, neu ferro vel flamma grassator, auxiliove quo quid eorum fiat esto. Nemo eosdem tecto, mensave recipito sciens dolo malo: nemo tolerato. Non ferro res, sed foro repetuntor.

5. Indictæ hostilitates per universum imperium dehinc sublatæ auctoritate Cæsarea sunto.

6. Pacem hanc omnes imperio subditi per jurisjurandi debitæque fidei & subjectionis vinculum, nec non sub pœna bis mille marcarum auri, amissioneque jurium & privilegiorum à S. Imperio indultorum, religiose conservanto, suisque impranto.

7. Qui contra faxint: laici quidem præter alias pœnas, ipso etiam facto in proscriptionem incidisse censentor, Cæsarisque vel Cameræ sententia legitime declarantor.

8. Ecclesiastici vero à suis Prælatis coercentor, restitutionique adstringuntor. Ni hi autrique à fide & protectione Imperii excludantor: à Cæsare velut pacifragi, nec defensionem, nec tutelam expectanto, suspectis purgatio integra esto.

9. Cæsar & Imperii Ordines sicuti fide & jurejurando, quo S. Imperio tenentur, caverunt, ita adversus hanc pacem, nec ipsi in perniciem mutuam machinantor, nec aliis studium in ea re suum commodanto: salutem alter alterius, ut propriam tuentor, eidemque officiales & subditos suos sacramento adstringunto.

10. Contra hanc pacem inita pacta: & obligationes qualescunque cassæ & irritæ sunto: reliquis earum capitibus, hinc nihilum decedito.

11. Ipsis quinetiam Cæsareis privilegiis, immunitatibus, consuetudinibus, fœderibus, vinculis quæ huic legi adversantur, omnibus derogatum esto.

TIT. CCXII.

De Pacis publicæ conservatione, sive executione.

Imp. FERDINANDUS Aug. in *Recess.* Augustan. 1555.

1. Quo magis & propriæ ditiones defendi, & vicinis laborantibus succurri possit, omnes parati instructique armis sunto.

2. Pacituendæ Circulus quisque proprium Ducem suo sibi arbitratu præficito: Adjunctos quot videbitur, adhibeto.

3. Hi delatum munus si sint pars sive Status illius Circuli, gratis: sin privati vel alieni, pacta mercede subeunto: ne quid pax publica detrimenti capiat, providento: æqualitati inter Ordines studento: subsidia Circuli non in rem suam, sed quo destinata erunt, convertunto.

4. Principes fidei suæ sponsione, ceteri jurejurando Circulis devinciuntor: aliis nexibus, sacramentis, nisi qua Cæsari & Imperio obstricti, quantum ad hujus officii administrationem attinet, exsolvuntor.

5. Concursus militum & tumultus comprimunto: pericula imminentia avertunto: de modo auxiliorum inter se statuunto: eaque à Circensibus Ordinibus exigunto.

6. Si vis major ingruet, proximorum duorum Circulorum Duces & Adjunctos ad se evocanto, eumque his consilium commune capiunto. Necessitate urgente, alios similiter duos Circulos contiguos adhibento.

7. Horum omnium singulorumve collectis eductisque copiis causam Cæsari significanto: nec eo segnius quod usus exiget, administranto.

8. Si coactis in unum quinque Circulorum auxiliis, etiam tum parum cautum esse, sed Circulorum universorum vires necessariæ videbuntur: res ad Electorem Moguntinum defertor: is vicem Cæsaris Electores, Ordinesque Deputatos Francofurtum ad Comitia vocato: in eo conventu de rei summa deliberator.

9. Quod istis visum fuerit, effectum dator.

10. Si nec omnium Circulorum auxilia præsidio suppetent: Cæsar porro consultor: & ex auctoritate Electorum, Imperii Comitia indicito.

11. Electores & Deputati unius pluriumve absentia institutum ne deserunto.

12. Circenses etiam Duces, quarum rerum causa convenerint, Adjunctorum parte emanente, dum ne minus adsint quam ex singulis Circis terni, hoc agunto.

13. Quod parti majori placuerit, perinde ut si omnes adprobassent, ratum esto.

14. Hæc ita periculis sive præsentibus, seu impendentibus geruntor.

15. Duces & Adjuncti, si e Republ. esse censebunt, etiam de pace: vel induciis, sed non sine voluntate offensorum, quorumve interest, transigunto.

16. Superioritatem in Circulor, auctoritatemve, præter eam, quæ hac constitutione defertur, ne exercento, neve sibi vindicanto.

17. Officio Circulorum arbitratu mittuntor: vel ipsi suo se abdicanto, dum ne intra annum auspicati muneris: idque sex ante mensibus prænuncianto.

18. Adjun-

18. Adjunctorum sufficiendorum eadem, quæ creandorum ratio esto.

19. Qui Duces rebus exigentibus, officio suo vel deerunt, vel non recte præerunt: eorum vicem adjunctorum quispiam.

Imp. *MAXIMILIANUS* II. Aug. in *Recess. Augusti. 1566.*

Vel utrisque cessantibus, circulus alius, cujus interierit, delungitor.

Imp. FERDINANDUS Aug. in *Recess. Augusti, 1555.*

20. Inter plurium Circulorum Duces, qui ceteros evocaverit, is præsideto: de rebus agendis referto; sententias rogato: suam ultimus dicito: in acie & conflictu Imperatoris partes obtineto: ubique tamen reliquorum consilio & auctoritate utitor: ipse ab eis tanquam superior, comiterque habeatur.

21. Circulorum omnium armis excitatis, Imperatorem Electores & Deputati Ordinis præcinunto.

22. Subsidiorum expediendorum per circulos, ratio hæc servator: Moniti à Duce, suum quisque equitum peditumque numerum, tabulis censualibus publicis præscriptum, sine mora ad locum dictum mittunto: supra simplum census sui modum nemo gravator.

23. Tormenta bellica instructa, & ubi opus in promptu habentor.

24. His rebus quod quisque impenderit, à subditis suis sine exceptione omnibus, ad finem oneris à se collati, reposcito: deeretorum auxiliorum modum præsignificato: immorigeros Fiscus in Camera convenito.

25. Exemptorum ab aliis Statuum partes, ni sint in quasi possessione libertatis, vel ipsi, vel pro ipsis eximentes solvunto.

26. Ordinum Ductores publico Circulorum stipendio conducti habentor.

27. Quidquid in hos, conventusque, & alias Circulorum necessitates erogabitur: Statuum contributionibus imputator.

Imp. MAXIMILIANUS II. Aug. in Recess. Augustan. 1566.

Nec id vero duntaxat, sed ut sit etiam, unde in periculis repentinis, moratorum supplementa conficiab ipsis Ducibus & Adjunctis queant, Status repræsentanto: iique ad quos ea res pertinet, rependunto.

Imp. FERDNANDUS Aug. in *Recess.* Augustan. 1555.

28. Itinerum viarumque publicæ securitati, Territoriorum Domini suo sumptu prospiciunto.

Imp. *MAXIMILIANVS II.* Aug. in Recess. Augustan. 1566.

Sed & Circuli pro se quisque quoties erit usus, explorandis pacandisque viis custodes suos & latrunculatores paratos, diesque cum vicinis statos habento.

Imp. FERDINANDVS Aug. in Recess. Augustano 1555.

29. Circuli unius expeditio, privatis Ordinum Circensium opibus: plurium, totius Imperii collatione sustentator.

30. Subsidia Circulorum petuntor, feruntorque adversus coitiones coactionesque equitum, peditumve: & contra vim eorum, qui æquo jure vivere cum ceteris recusant.

Imp. MAXIMILIANUS II. Aug. in Recess. Augusti. 1566.

Et generaliter adversus omnes, qui contra hanc legem constitutionemque pacis publicæ delinquent.

Imp. FERDINANDUS Aug. in Recess. Augusti. 1555.

31. Nec eo minus reliqua tum constitutionis, tum juris communis prodita remedia sancta recta manento.

32. In eadem causa sunto cœtuum concursationumque millitarium concitatores, invasoresque violenti Statuum eorum, qui Imperii paci publicæ subjecti, Cameræ in causis tractæ pacis jurisdictionem adgnoscunt.

33. Quisquis ad imperium Ducis & Adjunctorum iteratum, partem suam copiarum non miserit: eum tam Dux nomine Circi, quam is cui mora tergiversatioque fraudi fuerit, de damnis in Camera conveniunto: sententiam ipse Dux & Adjuncti exsequuntor.

Imp. MAXIMILIANUS II. Aug. in Recess. Augusti. 1566.

Ipsis nihilo secius Circulis, indemnitatem à noxiis consequendi jus integrum esto. Non mittentium partes, Duces & Adjuncti Circenses de communi supplento, sumptumque iis cum omni damno expensum ferunto.

Imp. FERDINANDUS Aug. in Recess. Augusti. 1555.

34. Camera summatim & de plano, quanta potest celeritate procedito & cognoscito.

Imp. *MAXIMILIANVS II.* Aug. in Recess. Augusti. 1566.

Contumaces convocatorum etiam Circulorum Duces Adjunctique ad causam apud se dicendam citanto: si qui causam suam non probaverint, in eos quod æquum videbitur, de sententia Cæsaris statuunto.

Imp. FERDINANDUS Aug. in *Recess.* Augusti. 1555.

35. Duces Adjunctosq; muneris oblitos, ceteri Adjuncti officii admonento: non parentes, consimili ratione reos peragunto.

36. Si Circulus universus eius rei curam abiecerit: in eum Electores Deputatique Ordinum, quod à re videbitur, statuunto.

Imp.

Imp. MAXIMILIANUS II. Aug. in Recess. Augustan. 1566.

Interea proximi Circuli Dux auxilia eo quo dictum est modo excitare ad egreditor.

Imp. FERDINANDUS Aug. in Recess. Augusti. 1555.

37. Adversum hæc nulli cuiquam sua immunitas, gratia, privilegia, fœdera præsidio sunto.

IDEM Aug. in Recess. augusti. 1559.

38. Quod de executione pacis publicæ Circuli cujusque pars major jusserit, ratum esto, & à cunctis peræque observator: detrectantes, ceteri ad officium & reparationem damnorum, quibus modis expedire putabunt, compellunto.

39. Nullus Circulorum alterius moram in propriæ culpæ detractationisque causam vertito: nec eorum, qui sub Circulis comprehensi sunt, quisquam ullam contra hanc Ordinationem vacationem immunitatemve usurpato.

Imp. *MAXIMILIANUS II.* Aug. in Recess. Spirens. 1570.

40. Si quis contra pacem publicam oppressus, Circensem opem frustra imploraverit; ad Cæsarem si volet, confugito; is pro discriminis magnitudine, duobus tribusve Circulorum proximorum Ducibus, defensionem executionemque demandato.

41. Si quid adversus pacem publicam fiet, unde periculum ex mora timebitur: præter Circulorum opem, Cæsar Moguntino injungito, ut primo quoque tempore Deputatorum Comitia promulget: his parendi necessitas esto.

Imp. FERDINANDUS *Aug.* in Deput. Wormat. 1564.

42. Si qui Magistratus, militum in provincia sua delectui impediendo impares erunt: simul Cæsari id nuncianto, simul Circuli opem imploranto. Ni faciant: ipsi perinde, ut tumultuantes ad damnatenentor: nisi per eos quo minus ea ita confierent, non steterit. Cæsar interea tum colligentes, tum collectos avocato, & circulos officij admoneto.

43. Militibus congregatis, Circulares Duces eodem tempore & *Adjunctos* convocandi, & evocandi vicinorum Circulorum Duces potestatem habento.

Imp. MAXIMILIANUS II. Aug. in Recess. Augustan. 1566.

44. His vero citra tergiversationem ullam exceptionemve optemperandi necessitas esto.

Imp. FERDINANDUS Aug. in Dep. Wormat. 1564.

45. In periculis repentinis Circuli quinque reliquos omnes vel quosdam cogunto, idq; Moguntino significanto.

46. Et his quidem casibus Circenses Duces subsidiorum statorum modum non solum simplarium, sed etiam duplarium exigunto, Ordinesque pendunto.

Imp. MAXIMILIANUS. II. Aug. in Recess. Augustan. 1566.

47. Quin & triplum ordinarij subsidij in summo discrimine imperator: sed hoc casu pecuniam loco militum, censente Circulo submittendi facultas esto: ex ea numeri integri à Duce & *Adjunctis* præstantor.

Imp. *FERDINANDUS* Aug. in Dep. Wormat. 1564. (tator

48. Nobiles immediatos, ut eo quo conveniet numero adesse & opitulari velint Cæsar cohor-

49. *Ad* locũ dilectus milites apti & exercitati, sive ex subditis, sive stipendio obnoxiis mittuntor.

TIT. CCXIII.

De *Pacifragorum persecutione.*

Imp. *CAROLUS V.* Aug. in Declar. Pacis publ. 1521. cap. 16. & seqq.

1. Si cui contra pacem publicam vis inferetur: loci illius Magistratus vel Privati etiam, pro se quisque, aut si non possint, velintve.

2. Dux Circuli & *Adjuncti*, alterutri vel utriq; Invasores, *Auxiliatores*, Receptores persequuntor, ablata extorquento, & Dominis restituunto, noxios custodiunto & puniunto.

3. Castra vel quo se cunq; receperint, prædamve egerint oppugnanto, capiunto, læsis justitiam, reliquaque omnia ex jure & pacis publicæ constitutione administranto.

4. Recuperati libertati restituuntor: bona dominis redduntur.

5. Receptores si persequentibus ignorantiæ, & erroris fidem sacramento suo fecerint, ne offenduntor: sed vel justitiam in Receptores exercento, si merum imperium habuerint: vel persecutoribus puniendos alibi tradunto: ceterum, pœnis meritis, damnoque & expensis multantor.

6. Si criminis locij fuisse vel peierasse reperientur: sanctio Constitutionis de pace publica in eos stringitor.

IDEM Aug. in Recess. Augusti. 1548.

7. Magistratus omnia sub se itinera tuta, securumque profectis entibus commeatum præstanto: vim prædasque prohibento: grassatores per subditos & officiales ubique locorum persequuntor. mutua auxilia vicini conferunto.

Imp. *FERDINANDUS* Aug. in Recess. Augusti. 1559.

8. Equites & pedites suspecti, obsessoresque viarum & prædones, si quo in territorio contra pacem publicam fecerint, attentarintve, in eo comprehendi nequibunt: per alienas ditiones provinciasque Circenses, citra maleficium, viribus vel propriis vel vicinorum (qui rogati illico adcurrere, & pagos si sit opus, Campanarum, tormentorumve sonitu, subditos in auxilium aceire tenentur) persequi quacunque liceto.

9. Capti Magistratui loci carcerandi sistuntor, accusantor, ac Reilegitime peragantur.

10. Accusatoribus jus sine mora administrator: factnorosi supplicijs ex merito delinquentes.

11. Arces & receptacula Latronum, in re clara, Ducum Adjunctorumque decreta, tormentis, eculorum, flamma vel excidio delentor; in dubia, ad purgationis remedium recurratur.

Imp. MAXIMILIANVS II. Aug. in Rec. Augustt. 1566.

12. Provocatis bello, adversus provocantes, in suo territorio repertos atque inde profugos, per alienas provincias persecutio justa, captioque & in jus raptio esto.

TIT. CCXIV.

De Pacifragorum accusatione.

Imp. CAROLUS V. Aug. in Declarat. Pacis publ. 1532. cap 32. & seqq.

1. Proscripti pacifragique in fuga & persecutione, alieno territorio, meroque imperio ad prehensi, Domino territorij traduntor: criminis apud eum postulantor: ad damnorum reparationem civiliter etiam conveniuntor.

2. Eorum pœnas is quoque, quisquis justitiam negaverit captosve & traditos dimiserit, præter damnorum sumptuumque restitutionem, sustineto.

3. Captivi quos territorij Dominus custodire causamque cognoscere noluerit, alij protinus Magistratui, cui oportunum erit, sistuntor.

IDEM Aug. in Declar. Pacis publ. 1548. cap. 16.

4. Pacifragos ditione sua nemo recipito, tuetorve, sed comprehensos ex officio judicato; petentibus quibusvis jus ministrato: promissorum, privilegiorum, datæque fidei, invito adversario rationem ne habeto.

5. Accusator nec carceris similitudinem nec talionis pœnam timeto: cautionem tantum ex jure præstato.

6. Sin nequeat, sitque vilis vel obscurus, ad finem usque litis competenti custodia habenda vel Reus in præda captus crimenve notorium sit, aut probari in continenti possit.

7. His casibus Accusator locuples, cautione vilis, custodia liberator.

Imp. FERDINANDUS Aug. in Deputat. Spirens. 1557.

8. Accusatione ad pœnam pecuniariam instituta, contra hæredes quod juris, pronunciator.

Imp. MAXIMILIANVS II. Aug. in Conf. 1576.

9. Accusatore post litem contestatam mortuo: heredes intra triginta dies utiles acta rata habentes, & in instantiam succedentes admittuntor.

TIT. CCXV.

De pacifragorum pœna.

Imp. *CAROLUS* V. Aug. & *FERDINANDUS* Cæsar. in Ordinat. part. 2. tit. 9.

1. Pacifragos ipso jure factoque proscriptos Cæsar, Camerave, petente parte, vel Fiscali, vel ex officio, pœnarum bannique denunciatione, declaratione, executione acerrime insequuntor.

Imp. *CAROLUS* V. Aug. in Declar. Pacis publ. 1548. cap. 13.

2. Ex causa Cæsari Cameræve vel ex officio, vel parte petente, bannum quidem in pecuniam pœnam convertere, at multam constitutione dictam moderari, vel denique earum vice, juris communis pœnas substituere (salvo semper fisci jure) liceto.

TIT. CCXVI.

De pacis Religionis constitutione.

Imp. *FERDINANDUS* Aug. in Recess. Augustan. 1555.

1. Multis modis jactatæ atque etiamnum periclitanti ob dissensum de Religione Reip. Germanicæ quieti constituendæ; mutuæque Magistratuum & subditorum fiduciæ conciliandæ, averruncandisque malis & calamitatibus publicis, hoc velut auctario patriæ pax sancita esto.

2. Ne quis deinceps in Imperio bellum alteri indicito, infertove, vel quidquam hostile vi, consilio, ope molitor; omnes concordiam benevolentiamque mutuam foventio.

3. Nemo alterum æquo jure usurum subvectione commeatus, commerciisve, vel perceptione redituum intercludito.

4. Cæsar & Imperij Ordines, ne quem Statum Confessionis Augustanæ, ob eam professionem, vi vel armis invadunto, detrimentove adficiunto, vel a Religione, fide, cæremoniis, ritibusque in Ecclesiam introductis, porrove introducendis in propriis ditionibus dejiciunto: neu mandatis, alitsve modis graves molestive sunto, neve despicatui habento: Sed & Religionem prædictam, ejusque exercitium liberum, & res atque jura omnia intacta reliquunto.

5. Dissensio de Religione non nisi benignis pacatisque rationibus componitor.

6. Hæc adeo periculo cautioneque dignitatis Cæsareæ, honoris Principum, fideque & pœnis constitutionis de pace publica sancita sanctaque sunto.

7. Eadem Ordines Augustanæ Confessionis, erga Cæsarem Ordinesque priscæ Religionis, eorumque collegia, atque alios Eccl. siastici ordinis homines omnia servanto: atque æquo cum his jure contenti sunto, pari periculo & sponsione honoris Principum fideique, pœnisque constitutionis.

8. Illarum

8. Istarum Religionum neutram amplexi, beneficio hujus pacis ne fruuntor.

9. Ecclesiastici à Religione vetere recedentibus, quid de beneficiis fieri placeret, cum inter utriusque Religionis proceres non conveniret: Ferdinando Regi, vi Cæsareæ commissionis hunc in modum statuere visum.

10. Ecclesiastici à prisca Religione recedentes, à Beneficiis quoque eorumque fructibus, honore & existimatione illæsa, simul abscedunto: atque aliis ex vetere forma sufficiendis locum danto.

11. Præfecturæ sacræ, Cœnobia, aliaque bona Ecclesiastica, à Statibus nonnullis intercepta, piisq; usibus adplicata, si neque ad alios Imperij Status pertineant; nec tempore transactionis Pataviæ, posteave ab Ecclesiasticis possessa fuere, hac pace continentor, suoque loco immota manento; nulla eo nomine actio, petitio, persecutiove esto, nulli à Camera pro his processus decernuntor.

12. Jurisdictio sacra (salvis suis cuique reditibus, decimis, temporariis feudis, juribus) in Augustanæ Confessionis Religionem, Ministeria, ritus, legesque & cæremonias instituas instituendasque, usque ad plenam & perfectam Religionis conciliationem, ne exercetor, neve iis turbarum quidquâ impedimentive dato: sed interea temporis suspensa quiescito. Aliis extra jam memoratos, casibus, nihil ei derogatum esto.

13. Ordinibus antiquæ Religionis reditus, census decimæque manento: Magistratui tamen civili, sub quo ea bona sita, sua in his jurisdictio, commodaque & jura, quæ ante ortum de Religione dissidium competierunt, salva sunto.

14. Ex iisdemque Ministeria. Ecclesiæ, Scholæ, Eleemosinæ, Hospitalia ut olim, ita deinceps, nullo alterutrius Religionis discrimine constituuntor ac sustentantor.

15. Quæ de re si quid incidet dubij: Partes arbitros liti decidendæ nominanto: Hi causa summarie cognita intra sextum mensem, quid quantumque eo impendendum videatur, pronuncianto.

16. Interea quibus pensationis istius controversia movebitur, nec sua possessione destituuntor turbantorve: nec eo minus quod antiquitus ex fundis, emolumentisque ad ministeria contulerint, deinceps ad finem usque litis porrigunto.

17. Ne quis Status alterum; ejusve subditos suæ Religioni adigito, abstrahitove, vel contra Magistratum tutator aut defendito.

18. Quibus alienam fidem sequendi jus fuit ab antiquo: his nihilum hinc decedito.

19. Cæsaris Ordinumque subditis, cum familia, Religionis causa, alio si velint, commigrandi bonaque alienandi (dum servilis conditionis, debitive tributi nomine pro loci consuetudine, Magistratui æquis legibus satisfaciant) potestas, & sine fraude esto.

20. Abeuntes manumittendi vel non, arbitrium dominorum esto.

21. Hæc pax dissidentiæ in Imperio tollendæ, salutique patriæ expediendæ, & sopiendi Religionum dissidiis inita, ad usque summam & placidam Religionis conciliationem, sarta tecta q; & inviolata ab omnibus servator: atque in omnes casus fœdus purum, perpetuum, æternumque clueto.

22. Hac etiam pace immediate Imperio subditi nobiles fruuntor: neutriusque Religionis causa vim pertimescunto.

23. Quibus in Civitatibus liberis ante pacem hanc factum utraque in usu promiscuo Religio fuerit: in iis porro sic maneto. Cives & incolæ clementer & comiter conversantor: neutri alteros de Religionis exercitio deturbanto: sed liberum ultro citroque Religionis facultatumq; & bonorum usum, sicuti & de Ordinibus jam cautum, permittunto.

24. Superioris temporis legibus constitutionibusque huic paci nihil ulla in parte detrahitor: nec deinceps ulla contra eam derogatio, declarative admittitor: si fiat, pro non facta habetor.

25. Hæc pax uti Cæsaris Ordinumque religiosa adfirmatione vallata munitaque est; ita stabili omnium concordia sancte pieque in æternum servator.

26. Cæsar & Ordines nec ipsi invicem clamve palamve contra hanc pacem committunto, nec fraudem facientibus adjumento sunto: quin vi dolove petitos ultro ope sua protegunto.

27. Huic etiam Constitutioni Camera pareto, jusque postulantibus citra hujus vel illius Religionis respectū administrato: in contrarium nec processus decernito, nec alia quavis ratione venito.

TIT. CCXVII.

De paritione.

Imp. RUDOLPHUS II. Aug. in Deputat. Spirens. 1600.

1. Paritio in Mandatis cum effectu intelligitor, & eousque rata esto, dum restitutio Actori jure injungatur.

2. In paritionis articulo, processus brevis esto: causæ principalis merita ne immiscentor: dilationes probatoriæ contrahuntor: superflua cum pœna reiciuntor.

TIT. CCXVIII.

De Partibus pauperibus.

Imp. CAROLUS V. Aug. & FERDINANDUS Cæs. in Ordin. part. 1. tit. 41.

1. Pauperes omnium primum paupertatem suam testimonio Magistratus sui aliorumve fide dignorum, aut aliqua saltim probationis specie docento: hinc de paupertate juranto, ac tum demum processus obtinento.

2. At in causis tamen appellationum rite ad Cameram interjectarum, ante alios processus, actorum à Judice editio, in præsens gratis, sed justo pretio cum appellans idoneus erit, persolvendo per compulsoriales injungitor.

3. Eaque Adsessores duo tresve inspiciunto: quid novi producturi sint, ab iis in scriptis edoceantor: mi justam inde eorum causam deprehenderint, protinus à judicij limine submoventur.

4. Pauperes temere alios in jus trahentes, & iniq; fatigantes, si lumptus refundere nequeant, pro personarum qualitate & delicti modo, carcere aliisve pœnis puniuntor.

IDEM Aug. & Cæs. in Ord. part. 1. tit. 19.

5. Pauperibus post documentum paupertatis exhibitum, & præstitum jusjurandum, Procuratores & Advocati ex officio dantor. Hi sub remotionis pœna causas suscipiuntor: eadem quæ reliquit fide agunto. in alium ne transferunto.

6. Inter Procuratores & Advocatos ea in re ordo æqualitasque servator.

IDEM Aug. & Cæs. in Ordin. part. 1. tit. 53.

7. Pecunia omnis multatitia subsidio pauperum litigantium impenditor.

Imp. RUDOLPHUS I. Aug. in Dep. Spirens. 1600.

8. Paupertatem juraturi querelam suam per Advocatum scripto complecti jubentor, eaque ad judicem priorem missa, ex ejus informatione quid decernendum negandumve videatur, statuitor.

9. Ante omnia, potissimum autem contra proprium Magistratum ituri, sicuti bona fide si bonis publici juris auxilium, sic calumniantibus supplicium paratum fore serio admonentor. Dicta si constato, & pœna in noxiorum corpus à Camera exigitor.

10. Advocatos Procuratoresque nacti, ubi latis eos, quæ oportet edocuerint, prout causa quæque erit, Cameræ arbitrio Spira excedere post sextum mensem, atq; alibi degere compellantor. Interea ubi locorum sint, ut patroni sciant, faciunto.

11. Patrocinia pauperum, uti non juratis solum, sed & ceteris quæstum ex hoc judicio facientibus Advocatis delegentur, collegio curæ esto.

12. Pauperes supplicibus libellis insolentioribus Cameram proterve adeuntes, de consultoribus instigatoribusq; interrogantor: hiq; vel puniuntor à Camera, vel puniendi Magistratibus mancantor. Si quis Advocatorum Procuratorumve nomina edere detrectabit, ejus preces ne recipiuntor.

TIT. CCXIX.

De Pedelli officio.

Imp. *CAROLUS V.* Aug. & *FERDINANDUS* Cæs. in Ordin. part. 1. tit. 20.

1. Pro curia assidue excubato: eam suo tempore jussusve aperito, claudito que: mandatis diligenter pareto.

2. Senatus tempore, interque referendum ne in eam ingreditor, neve interesto, supplicationes aliave exhibiturus fores pulsato.

3. Ordinem sedendi in audientiis observato: conscriptumque libello æqualitatis causa habeto.

4. In judicio animum dictis Procuratorum advertito, scripta recepta Lectori tradito: ut foribus apertis & cum silentio judicium transigatur curato.

5. Proclamata decreta loco consestim solito exequitor, facta renunciato.

Imp. FERDINANDUS Aug. in Mem. 1556.

6. Camerales, quoties erit conveniendum, omnes convocato.

IDEM Aug. in Camer. Mem. 1557.

7. Utrasque fores, intimam & extimam simul ne pandito.

8. Diebus etiam festis rebus expediendis præsto esto.

9. Curiam sine jussu speciali nunquam ingreditor, nec eam nisi præsente Lectore vel Adsessoribus aperito: à Lectorum conclavi penitus abstineto.

TIT. CCXX.

De Pedelli salario.

Imp. *CAROLUS V.* Aug. & *FERDINANDUS* Cæs. in Ordin part. 1. tit. 47.

1. In singula proclamata, Fiscalibus exceptis, florenos singulos mereto.

Vis. 64.

2. Pro visitatione & victus præbitione à Carceris semibacios diurnos capito.

R. 70.

3. Pedelli de hinc duo sunto: hisque sexageni annui floreni pro salario præbentor.

TIT. CCXXI.

De possessione litigiosa.

Imp. CAROLUS V. Aug. & FERDINANDUS Cæs. in Ordin. part. 2. tit. 21.

1. De possessione controversa litigantes immediate Imperij subditi, ob factionum tumultuumque metum Cameram Judicem habento: à factis & violentia abstinento: neminí ea res in sua possessione, vel quasi fraudi esto.

2. Sin

2. Sin mediati non solum de possessione, sed & de superiotate & Magistratu loci, ubi res vel jura sita fuerint, ambigent: idem obtineto.

3. Possessionis quæstione finita, controversia reliqua ad Judices ordinarios spectato: peculiaria Ordinum arbitria illibata manento.

4. Quod si inter immediatos non solum possessio dubia, sed & armorum metus sit: Camera vel implorata, vel ex officio possessionem sequestrato, aut à quasi possessione utrumque abstinere jubeto: de hinc summarie & sine forma judicij, uter interea dum possessorij petitoriive causa plene definiatur, possidere debeat, interdicito.

Imp. MAXIMILIANUS I. Aug. in Conf. 1576.

5. Constitutionis hujus §. primo, Ordinarium: §. ultimo, summarium possessorium introductum intelligitor.

6. Illud non nisi ob periculum armorum, ex rixis & jurgiis quotidianis metuendum: hoc tum demum, si præsens sit discrimen, partesque jam in procinctu, ad Cameram pertineto.

7. In utroque admittendo Camera de armorum metu, partiumve procinctu, saltim summarissime, verbi gratia ex Epistolis instrumento insertis, vel ex scientia propria certior esto.

8. Extra hoc periculum, notitiamque, turbatio simplex ad Judices ordinarios remittitor.

TIT. CCXXII.

De Præda.

Imp. FERDINANDUS Aug. in Recef. Augustan. 1559.

1. Sublata consuetudine confiscandi bona à Prædonibus recepta, quidquid prædę extrahit, Dominis citra detrimentum restituitor.

TIT. CCXXIII.

De Præsidum officio.

Imp. MAXIMILIANUS II. Aug. in Mem. 1571.

1. Præsidibus quandoquidem cum Judice simul Cæsaris præsidendo vices gerunt, Adsessores ceterique Camerales in obeundo munere parento: Judicis in eo inspectio esto.

2. In causas submissionesque relationi paratas, earumque ætatem, qualitatesque inquirunto: immutati si forte an ordinis causas roganto.

3. Commissas Adsessorum pœnas sine respectu exigunto, interque Neglectas distribuendas curanto: rationes Visitatoribus, si petierint, reddunto.

IDEM Aug. in Jud. & Adf. Mem. 1573.

4. Ad supplicationum distributionem pomeridianam alterni semper comparento: utque Adsessores suo adsint ordine vidento.

IDEM Aug. in Jud. & Adf. Mem. 1574.

5. Relationibus adsistunto promoventoque à proposito aliena & parerga inhibento.

IDEM *Aug.* in Jud. & Adf. Mem. 1575.

6. Supplicationum maxime iteratarum, tertiatarumque expeditioni & æqualitati studento.

Imp. RUDOLPHUS II. Aug. in Jud. & Adf. Mem. 1600.

7. Præsidibus munus suum citra gratiam ambitionemque exsequentibus idem, qui judici bonos, eademque observantia debetor.

TIT. CCXXIV.

De *Processuum decretione negatióneve.*

Imp. CAROLUS V. Aug. & FERDINANDUS Cæs. in Ordin. part. 3. tit. 48.

1. Adversus non subditos imperio, nec ejus finibus comprehensos sine consensu Cæsaris processus de hinc nulli decernuntor.

Imp. FERDINANDUS *Aug.* in Jud. & Adf. Mem. 1557.

2. In decernendis processibus Judices ne nimis scrupulosi difficilesque sunto; sed jus æquitate temperanto.

IDEM Aug. in Jud. & Adf. Mem. 1561.

3. Processibus superpace Religionis petitis, opera dator, ut quamprimum decerni, quod æquum est, possit.

Imp. *MAXIMILIANUS II.* Aug. in Jud. & Adf. Mem. 1568.

4. Narratis supplicationum, post processum negationem mutatis, ac velut à pignoratione ad fractam pacem desultorie translatis: ne quid temere præcedenti decreto contrarium statuitor.

IDEM Aug. in Recef. Spirenf. 1570.

5. Processibus negatis si denuo supplicetur, & stylus contrarius, vel similiter decreti processus allegentur: Judex vel Vicarius tum eosdem, tum alios plures, velut senos, octonos, denos styli peritos Adsessores adhibeto; Hi rem etiam atque etiam simul perpendunto, & ad juris æquabilitatem reducunto.

6. In decernendis processibus æqualitas, & stylus antiquus servator.

TIT. CCXXV.

De Processuum emanatione.

Imp. CAROLUS V. Aug. & FERDINANDUS Cæs. in Ord. part. 3. tit. 12.

1. Processus nisi petente parte Procuratoreve, & ab hoc præfixita Cautione de mandato cum ratificatione actorum, primo termino proferendo decreti, & per Notarium in codicem relati, ne emittuntor.

2. Quo paratior Reus compareat, petendi causæ in processibus exprimuntor.

3. Citationibns contra plures locis dissitos, una omnibus certa ad comparendum dies statuitor.

4. Processus decreti sub nomine & sigillo Cæsareo exeunto.

Imp. FERDINANDUS Aug. in Vis. 1559.

5. Fatalium etiam prorogationes Cancellaria inserito.

Imp. *MAXIMILIANUS* II. Aug. in Recess. Augustan. 1566.

6. Processus quamvis in genere decreti, nisi personis in Cancellaria nominatis, ne exeunto.

IDEM Aug. in Præf. Mem. 1574.

7. Commissiones dilationesque, ne frustra tempora fluant, sed & Attestationes in Cancellaria celerrime expediuntor.

Imp. RUDOLPHUS II. Aug. in Jud. Mem. 1580.

8. Mandata sine clausula ne unquã aliter quam adjecta citatione ad docendum, &c. emananto.

TIT. CCXXVI.

De Processuum sollicitatione & redemptione.

Imp. MAXIMILIANUS II. Aug & RUDOLPHUS Cæs. in Proc. Mem. 1576.

1. Expeditionem decretorum processuum Procuratores illico & instanter in Cancellaria urgento: si mora sua caularum relationibus offecerint, multantor.

Imp. *RUDOLPHUS II.* Aug. in Proc. Mem. 1585.

2. Hoc amplius & Parti læsæ expensas & damna sarciunto.

IDEM Aug. in Jud. & Adse. Mem. 1580.

3. Processus decreti, intra annum è Cancellaria non redempti, expiranto: Rescripta tamen eo nomine petere liceto.

TIT. CCXXVII.

De Processuum exsequendorum commissione.

Imp. *CAROLUS* V. Aug. & *FERDINANDUS* Cæs. in Ordinat. part. 1. tit. 35.

1. Processus nisi qui per absentiam equestrium Nunciorum decreti expeditique fuerint, & moram ferre nequierint, interveniente auctoritate Judicis & Adsessorum, exacto que juramento, pedestribus ne committuntor.

Imp. FERDINANDUS Aug. in Mem. 1556.

2. Sub specie paupertatis, Procuratores processus in præjudicium Nunciorum Magistri, Partibus ne mittuntor: aut cum eo hujus rei causa transigunto.

IDEM. Aug. in Vis. 1564.

3. Receptis è Cancellaria processibus, Procuratores iis describendis moram longiorem Nunciis executionique ne injiciunto, secus facientes pro modo culpæ puniuntor.

Imp. *MAXIMILIANUS II.* Aug. in Proc. Mem. 1574.

4. Processus redemptos mature Nunciorum Magistro tradunto: nec uti quisque volet, penes se detinento.

Imp. RUDOLPHUS II. Aug. in Proc. Mem. 1578.

5. Processus impetratos expeditosque protinus dimittuntor: nec radendæ mutandæve dicinecessitatem Cancellariæ, sua negligentia adferunto: delinquentibus pœna præsto esto.

IDEM Aug. in Proc. Mem. 1585.

6. Processuum originalium exempla antequam Nunciis exsequenda dentur, diligenter conferunto.

7. Quibus processus insinuandi erunt, eorum nunciis in specie nomina & domicilium designanto: si dolo omiserint, Parti sumptus frustra factos refundunto.

TIT. CCXXVIII.

De Processuum exsecutione per Nuncios.

Imp. *CAROLUS* V. Aug. & *FERDINANDUS* Cæsar. in Ordinat. part. 1. tit. 38.

1. Processus à Magistro acceptos Principibus in loco domicilij aulæve stato, coram si possint, in originali forma, vel si pluribus executio facienda, exempla tradunto, authenticos videndos legendosque præbento.

2. Qui si absint, vel coram conveniri sine mora non possint: Cancellario, aulæve Præfecto, Vicariove, iisve absentibus officialium præcipuis pari modo ibidem loci insinuanto.

3. Id si nec liceat, nec potiorum quisquam præsto sit, tum minorum Aulicorum cuipiam, vel ipsi deo Janitori exhibento: Denique nemine recipiente portæ adfigunto, palamve ibi relinquunto, nullo autem pacto secum reportanto.

4 Si domicilium Principi non certum fixumque sed varium & mutabile fuerit; ubi majore anni parte habere consueverit, executiones quo dictum est modo, faciunto.

5. Si aulæ sedem translatam esse alio compererint; eo recta contendunto.

6. Extra ea loca Principibus, sicubi reperiantur, insinuandi fas esto: officialibus conjunctisve ne esto.

7. II. Ratione atque ordine consimili Prælatis, Abbatibus, Præpositis & Abbatissis processus denuncianto.

8. III. Eadem erga Comites & Barones per omnia custodiuntor.

9. IV. Consulibus Senatuique, si congregati opprimantur, in ipso Senatu: sin minus, Consulibus eorumve vicem gerentibus, advocatis aliquot Senatoribus, processus uti dictum insinuantor.

10. Si facultas non sit: Consuli soli traduntor, coramve eo deponuntor, relinquuntorque.

11. Extra oppidum hæc nec apud Consulem, nec Senatorum partem, sed intra mœnia duntaxat consiunto.

12. V. Eadem prorsus, si quod judicium res concernat, eodemque modo geruntur.

13. VI. Si de Communitate vel Universitate, agatur; Consulibus primum & Senatui processus annunciantor: mox curiæ Ædive sacræ, alibive in publico duobus locis adfiguntor.

14. VII. Privatis in loco domicilij quæsitis, repertisque sub oculis, si fieri potest: sin secus, domi uxori, aliive domesticorum, adultiori tamen non infanti intimantor, dominoq; sine mora transmitti jubentor.

15. Nullo admittente, in ædibus præsente familiarium quopiam destituuntor.

16. Nuncij nemine fortassis conspicuo, non intromissi adhibitis è vicinia duobus tribusve arbiris, ædibus processus adfiguntor.

17. Si quis intus animadversi, aperire tamen nolint, in foribus fenestrisve deponunto.

18. VIII. Edicta, Proscriptiones, Diplomata, locis processu comprehensis, Nunciove designatis suspensa proponunto.

19. In exercitati exequendi rectam rationem ante abitum edisciunto.

20. Qui secus faciet, Executione Relationeque rejecta, præter pœnam, exequi suis sumptibus ex integro, citraque detrimentum Partis (ni ultro paretur compareaturve) tenetor.

IDEM Aug. & Cæs. in Ord. part. 1. tit. 37.

21. Processus Nuncij ipsis in conspectu Partibus, domive, habitationive, locive processibus memoratis, quove Judex, Adsessores, Deputatus jusserint, fideliter insinuanto: executionem utrivis parti adhibitis sive originalibus sive exemplis inscribunto.

Nunc. Mem. 85.

22. Ad quos processus pertinebunt, singulos seorsim Nuncij conveniunto: non uni alterive forte fortuna oblato, consortium nomine tradunto.

23. In loco præsentes etiam atque etiam exquirunto: nec temere domi duntaxat executione perfunctorie facta digrediuntor.

TIT. CCXXIX.

De Processuum per Notarios executione.

Imp. *CAROLVS* V. Aug. & *FERDINANDVS* Cæs. in Ordin. part. 1. tit. 35.

1. Partibus Procuratoribusve processus per publicos & adprobatos Notarios exsequi juxta Ordinationem licito.

IDEM Aug. & Cæs. in Ord. part. 1. tit. 39.

2. Processus Notarij eodem quo Nuncij modo exsequuntor. De ea re instrumentum publicum, insertis tum Processibus, tum executionis reique gestæ tota serie, ad instar Relationis Nunciorum conficiunto, Partibusque petentibus edunto.

Imp. RUDOLPHUS II. Aug. in Jud. & Adf. Mem. 1579.

3. In exsequendis processibus, Nunciorum quam Notariorum potior condicio esto: ex causa tamen Judici & Præfecto adprobata, vel si illorum nemo præsto sit, his quoque locus esto.

TIT. CCXXX.

De Processuum reproductione.

Imp. RUDOLPHUS II Aug. in Deputat. Spirens. 1600.

1. Protestationes de diligentia inanes, processuumque verbales reproductiones, prorogationumve ad usque tabellarij adventum, aliarumq; consimilium petitiones, interea dum re ipsa reproductio fiat, penitus facessunto.

2. Procuratores in termino, quos Processus inter quas Partes reproducant, unde citra quæ titulorum ambitum, commemorationemve quemadmodum exierint, effantor.

TIT. CCXXXI.

De proclamatibus.

Imp. RUDOLPHUS II. Aug. in Deputat. Spirens. 1600.

1. Proclamata non in eventum, ni se quis ad proximam legitima sit, sed pure vel decernuntor, vel negantor.

TIT. CCXXXII.

De Procuratorum cooptatione.

Imp. *CAROLUS* V. Aug. & *FERDINANDUS* Cæsar. in Ordinat. part. 1. tit. 18.

1. Adocati & Procuratores supra viginti quatuor, de quorum eruditione, natalibus, vita & moribus, tituloque Doctura Collegio per examen probe constiterit, ne recipiuntor.
2. De Religione idem quod in Adsessoribus juris esto.

Imp. MAXIMILIANVS II. Aug. in Recess. Spirens. 1570.

3. His alij præterea sex adjunguntor.

Imp. FERDINANDVS Aug. in Visitat. 1556.

4. Quotcunque Camera creverit, tot sunto.

Imp. RUDOLPHUS II. Aug. in Jud. & Adf. Mem. 1585.

5. Plures quam usus exigat, Advocati ne adsciscuntor.

TIT. CCXXXIII.

De Procuratorum officio.

Imp. CAROLUS V. Aug. & FERDINANDUS Cæs. in Ordin. part. 1. tit. 23.

1. Procuratores cuncti in judicio semper ante sententiarum publicationem comparento: inde sine licentia Judicis ne recedunto: à gestibus, verbis, actionibus minus honestis abstinento.
2. Dicteria, procacitaremque verborum in judicio & Cancellaria vitanto: neminem lacessunto linqua vel scripto: omnia modeste, breviter & apte proponunto.
3. A contabulationibus abstinento: alter in alterius verba intentiora tenento: suo tempore quod usus exiget, sponte & injussi proferunto.
4. A longioribus Recessibus penitissime temperanto.
5. Necessaria dictanto: aliena à re omittunto.
6. Suum quisque dicendi ordinem & locum exacte servanto.
7. Nemo alterum interrumpito: quem semel ordo transierit, is dum recurrat, expectato.
8. Exceptionibus nullius pretij, & subterfugiis ne utunto: jurisjurandi sui Ordinationisque memores, causas promovento.

Imp. FERDINANDUS Aug. in Mem. 1556.

9. Scripta ab Advocatis ad se missa, in exhibita pencs se ne detinento: *alio* qui à Judice prout ea res erit, multanto.

IDEM Aug. in Cam. 1557.

10. Partes suas tributorum, maximeque Cameralium expediendorum gratia, Fiscali poscente, adsidue compellanto.
11. Fiscali ne maledicunto, suoque muneri vacare sine molestia sinunto.
12. Exempla productis relata similia exhibento.
13. Producta ante exhibitionem perlegunto, emendanto, subscribunto, & si magna sint, colliganto.

IDEM Aug. in Visitat. 1559.

14. Sententias latas in judicio, per ludibrium ne cavillantor: ejusdem existimationis rationem respectumque sub arbitraria pœna habento. Gravati querelam seorsim ad Judicem, & modeste deferunto.
15. Omnibus in causis articulisque separatim atque distincte, sive oratione seu scripto agunto, confusionem vitanto.

IDEM Aug. in Mem. 1559.

16. Protocolla ipsi sua diligenter inspiciunto, conficiuntoque: substitutis ne fidunto.

IDEM Aug. in Vis. 1564.

17. Causas earundem Partium diversas, caute distinguunto.
18. Sententias publicatas litigatoribus adsidue significanto.

Imp. MAXIMILIANUS II. Aug. in Visitat. 1567.

19. Producta adversaria Partibus suis, Advocati sve protinus transmittunto.

IDEM Aug. in Proc. Mem. 1574.

20. Judicio in puncto primæ, habitu longo decentique interveniunto.
21. In causis attentatorum, Inhibitionis, Dationis tutorum & curatorum, Nunciationis novi operis, talium, summarie quantum fieri potest, procedunto,
22. Scriptum non exhibentes reapse verbaliter ne producunto.

IDEM

IDEM Aug.in Proc.Mem.1575.

23. Partium aliaque nomina citra epitheta,titulosque dignitatum,simpliciter,ut in prima quaestionis Judicis interlocutione factum viderint.efferunt:secus facientes multantor

Imp.RUDOLPHUS II.Aug.in Proc.Mem.1581.

24. Partes suas & Advocatos quid & quo tempore agi oporteat,celeriter certiores reddunto.

IDEM Aug.in Jud.& Act.Mem.1586.

25. In contributionum sive Turcicarum,seu Cameralium causis decreta publicata qualiacunque ocius sub pœna arbitraria dominis transferbunto,partitionemque urgento.

IDEM Aug.in Proc.Mem.1600.

26. Ni veste utentur demissa & convenienti,pro arbitrio judicis puniuntor.

TIT. CCXXXIV.

De Procuratorum causis & patrociniis.

Imp. *CAROLUS* V. Aug. & *FERDINANDUS* Cæs.in Ordinat.part.1.tit.19.

1. Neque Procuratores extra causas procurationi suæ demandatas,postulanto:neque Advocatii munere Procuratorum nisi recepti in numerum,de funguntor.

2. Advocato quo quisque volet utitor:nec Procuratorum persuasionibus inde avertitor.

3. Causarum sibi commissarum numerum Procuratores jurati apud Collegium profitentor; pluribus quam ferre possint onerati, ad usque quarundam exitum abstinere à novis citra Cameræ contensum,jubentor.

4. Solis causis Camerálibus nisi quas jam ante susceperint, subserviunto: Junioribus tamen quod citra fraudem negotiorum Cameræ fiat,pluseulum hic indulgetor.

5. Rerum ad Reip.statum & Comitia pertinentium mandata ne accipiunto: nec his similibusque tractandis aut transigendis occupantor.

Imp.FERDINANDUS Aug.in Deputat.Spirens.1557.

6. Quorum sunt Procuratores,horum & Advocati si requirantur sunto:utrique muneri,ut sufficiant,hoc paucioribus causis impediuntor:ex causa tamen,patrocinij necessitate à Judice & Adsessoribus exsolvuntor.

7. Partibus iniqua mercede vel arrhis graves ne sunto: causas suo patrocinio commissas aliis Advocatis junioribus ne credunto:quod si Partes consenserint:tamen eorum scripta cum fide recognoscunto.

8. Lite inter duos ejusdem Procuratoris dominos incidente: neutrius causam sine ejus voluntate alij committunto.

IDEM Aug.in Visitat.1559.

9. Causarum numero bis minimum quotannis explorato, Camera quot cuique Procuratori sint relinquendæ arbitrator.

Imp.CAROLUS V.Aug.& FERDINANDUS Cæs.in Ordinat. part.1.tit.19.

10. Litigantes singulis Advocatis sive Oratoribus contenti sunto:neque hi illis præterquam in causis suæ fidei permissis consulunto.

TIT. CCXXXV.

De Procuratorum cautionibus.

Imp.CAROLUS V.Aug.& FERDINANDUS Cæs.in Ordin. part.1.tit.21.

1. Procuratores citra mandatum sufficiens,vel de rato Cautionem,nulli se causæ miscento.

2. Processus instrumentave vel acta in judicio exhibentes,& Cautionem rati offerentes,adusque litis contestationem admittuntor:ac interea Mandata ad totam causam cum ratificatione ante actorum,à Partibus obtinento. Quod ni fecerint:neque audiuntor ulterius,& de suo sumptus litis & damna reficiunto.

Imp.MAXIMILIANUS II.Aug.in Recess.Augustan.1566.

3. Spe rati agentes,nec sese intra tempus Cautionis vel ultro acceptum,vel statutum, legitimantes,præter arbitrariam pœnam sumptus etiam dilatæ litis sustinento.

IDEM Aug.in Mem.1570.

4. Insuperque & alia Partibus damna farciunto.

IDEM Aug.in Proc.Mem.1575.

5. In eaque causa ulterius ne audiuntor. Si damna à Parte nulla petenturiat ex officio arbitrarie castigantor.

Imp.RUDOLPHUS II.Aug.in Proc.Mem.1581.

6. Sine mandato vel cautione seu præstita sive oblata agentes multantor.

IDEM Aug.in Deputat.Spirens.1600.

7. Intra oblatæ necdum ad missæ Cautionis tempus,quantumvis submissione pendente, non secus ac si præstita foret,mandatum sub pœna arbitraria proferunto.

8. Qui-

8. Quibus in causis damnum irreparabile metuetur ex mora: Cautio rati vice mandati locum ne habeto: sed illico in Contumaciam proceditor; vel legitimationi tempus per breve cum commonitione proclamatis præfigitor, ceteroquin Cautiones tolerantor.

9. Porro cautione in causis jam pendentibus interposita, si tempore deinde labente, Citatione ad reassumendum opus fuerit; sive quod inde damnum adversario contigerit, pœna solito gravior infligitor.

TIT. CCXXXVI.

De Procuratorum mandatis.

Imp. MAXIMILIANUS I. Aug. in Ordinat. de Notar. 1512.

1. Actoria & Procuratoria, nomina eorum, qui constituuntur, modumque constituendi continento, nimirum: junctim, divisimque, adeo ut prævenientis non sit melior conditio, utque alter inchoata ab altero perficere queat, possitque agere, defendere, libellum edere, litem contestari, calumniæ atque alia juramenta in animam domini jurare, articulos exhibere iisque jurato respondere, probare, excipere, replicare, concludere, sententiam audire, appellare, appellationem prosequi, substituere, substitutos quoties opus, revocare; cum clausula generali, & Cautione rati atque indemnitatis, hypothecaque omnium bonorum.

Imp. *CAROLUS* V. Aug. & *FERDINANDUS* Cæsar. in Ordinat. part. 3. tit. 12.

2. Mandata Procuratorum non ad unum actum, sed totam causam concipiuntor: aliter ne admittuntor.

Imp. FERDINANDUS Aug. in Visitat. 1560.

3. Si Mandata vel nulla vel inepta, seriusve profecentur, pœnæ arbitriæ locus esto.

IDEM Aug. in Jud. & Adst. Mem. 1561.

4. Si necessarias continebunt clausulas: anxie ne excutiuntor, sed quantum licet interpretatione invantor.

Imp. RUDOLPHUS II. Aug. in Proc. Mem. 1578.

5. Ab ipsismet litigantibus Partibus, non conjunctis personis conficiuntor.

IDEM Aug. in Deputat. Spirens. 1600.

6. Mandatorum Procuratoriorum formulæ quædam & ad imitandum Exempla à delectis Cameræ, præscribuntor. Electorique Mog. à Cæsare & Ordinibus jubenda firmandaque mittuntor.

7. Hisdem, ut articulos executionis tam agendo quam defendendo prosequendæ diserte exprimatur, gravi pœna sancitor.

TIT. CCXXXVII.

De Procuratoriorum mandatorum productione.

Imp. CAROLUS V. Aug. & FERDINANDUS Cæs. in Ordin. part. 3. tit. 12.

1. Mandatum Procurator uterque suum primo termino, aut cum proxime acturus est aliquid, sine termini petitione, vel submissione exhibeto.

Imp. MAXIMILIANUS II. Aug. in Recess. Augustan. 1566.

2. Mandatis morte vel alio modo extinctis, Procuratores ea redintegranda ac Citationes sisopus ad reassumendum decernendas ultro curanto.

3. Cum originalibus signatisve copiis, etiam exempla simul tradenda adversario semper proferunto.

Imp. FERDINANDUS Aug. in Visitat. 1562.

Ni fecerint, multantor.

Imp. MAXIMILIANUS II. Aug. in Recess. Augustan. 1566.

4. Eadem prolata, altrinsecus diligenter & incontinenti inspiciunto, si quid requiritur, è vestigio excipiunto, aliaque reponi petunto.

IDEM Aug. in Proc. Mem. 1573.

5. Procuratore plurium litium Domini, officio abeunte, successor vel generale mandatum ad omnes, vel ad singulas causas specialia peræque exhibito.

IDEM Aug. in Proc. Mem. 1575.

6. Mandatum quisque suum accurate expendito: si quid desit, supplendum curato, & ut longissime, ante conclusionem causæ, aliud sufficiens proferto: alioqui pro ratione negligentiæ & lapsi temporis arbitrarie punitor.

Imp. RUDOLPHUS II. Aug. in Conf. 1585.

7. Intra præstitæ cautionis tempus mandata indistincte, vel inter alia, vel si aliud nihil sit agendum, sola proferuntor.

TIT. CCXXXVIII.

De procuratoriis generalibus.

Imp. CAROLUS V. Aug. & FERDINANDUS Cæs. in Ord. part. 3. tit. 12.

1. Generalia mandata in una causa producta habentes, eorum in aliis exempla à Protonotario

vel Lectore collata, inscripto tempore, & causis quibus originale exhibitum sit, adponunto. Idemq; in privilegiis, instrumentis atque literis [illegible] servanto.

Imp. MAXIMILIANUS II. Aug. in Recess. Augustan. 1566.

2. Genealia mandata habentes, vigore eorum omnibus in causis pendentibus agere, extra quam si id diserte sibi interdictum esse a Partibus demonstrarint, compelluntor.

Imp. RUDOLPHUS II. Aug. in Deputat. Spirens. 1600.

3. Ni sponte nulloque admoniti decreto taxint, simul & pœna Ordinationis dicitor, & arbitraria ad proximam non parituris denunciator. Agere tamen prohibitos, si non idipsum in vicem legitimationis demonstrarint, Ordinationis duntaxat pœna maneto.

IDEM Aug. in Beschеid. 1577. 3. Julii.

4. Mandata generalia in causis Fiscalibus sponte sub arbitraria pœna promuntor.

TIT. CCXXXIX.

De procuratorum substitutionibus.

Imp. *CAROLUS* V. Aug. & *FERDINANDUS* Cæs. in Ordinat. part. 1. tit. 20.

1. Procuratores ad tempus cum venia abituri, quos volent in locum suum interim substituendi facultatem habento.

2. Substitutiones sive in Cancellaria, seu alibi coram Protonotario factas, tum hi, tum substituti in singulis causis sigillatim judicialiter judicanto. Cæterarum exempla, causarum actis & protocollis inseruntor.

3. Nullus nomine alterius Procuratoris spe rati auditor.

Imp. FERDINANDUS Aug. in Deputat. Spirens. 1557.

4. Sex hebdomadum commeatu obtento abituri, substitutos probe instruunto: aliter substituti se nemo sub Ordinationis pœna patitor.

IDEM Aug. in Visitat. 1559.

5. Substitutum quisque suum recte informato: secus si fiat, uterque sine remissione punitor.

IDEM Aug. in Visitat. 1560.

6. Substitutiones coram Notariis vel Protonotariis ne aliter quam in Cancellaria factæ ratæ sunto, & protocollis illico ab iisdem inseruntor.

Imp. MAXIMILIANUS II. Aug. in Recess. Augustan. 1566.

7. Procuratores officium renunciantes, vi clausulæ substituendi, alios de consensu Judicis & duorum Adsessorum, in suum locum, quoad arbitratu Partium revocentur, subrogandi jus habento.

IDEM Aug. in Beschеid. 1566.

8. Per Substitutos parum idoneos instructos ne agunto, neu submittunto: si fecerint, arbitraria multa esto.

Imp. *RUDOLPHUS II.* Aug. in Jud. & Adl. Mem. 1585.

9. Substitutiones vel viva voce, vel in scriptis coram Protonotario vel Notariis peraguntor.

IDEM Aug. in Deputat. Spirens. 1600.

10. Procuratori constituto unum plurisve ita adjungendi, ut illo demum submoto, horum aliquis in instantiam confestim succedat, liberum cuivis esto. Interea subrogationis istius causa nihil exigitor.

TIT. CCXL.

De Procuratorum mutatione.

Imp. *CAROLUS* V. Aug. & *FERDINANDUS* Cæs. in Ordin. part. 1. tit 20.

1. Constituti semel Procuratores, causas abs se in alios, sub specie clausulæ substituendi, sine voluntate Partium ne transferunto: sed litigantium id libertati optionique relinquunto.

Imp. RUDOLPHUS *II.* Aug. in Jud. & Adl. Mem. 1578.

2. Procuratores nisi adversa etiam Parte consentiente, & post Judiciale decretum, ne mutantor.

TIT. CCXLI.

De Procuratorum exoneratione.

Imp. *MAXIMILIANUS II.* Aug. in Mem. 1570. 23. Maij.

1. Exoneratione ex causis probabilibus petita, & obtenta Citatione ad videndum exsolvi nihil lucrecius Procurator eo usque dum per sententiam liberetur, in lite perseverato.

Imp. RUDOLPHUS II. Aug. in Beschеid. 1579. 6. Jul.

2. Susceptæ semel causæ patrocinium nisi ex magna causa, Judicisque decreto ne deseritor.

TIT. CCXLII.

De Procuratorum resignatione.

Imp. MAXIMILIANUS II. Aug. in Proc. Mem. 1575.

1. Procuratores officium resignaturi ter id mensibus ante Collegio Partibusq; prænuncianto.

2. Hujus

2. Hujus tempor's necessitas, nisi ex morbi aliave causa probabili, nulli remittitor.

TIT. CCXLIII.

De procuratorum remotione.

Imp. *CAROLVS* V. Aug. & *FERDINANDVS* Cæs. in Ordin. part. 1. tit. 18.

1. Procuratores minus vel industrij, vel idonei, aliis protinus suffectis, officio removentor.

TIT. CCXLIV.

De Procuratorum honorariis.

Imp. *CAROLVS* V. Aug. & *FERDINANDVS* Cæsar, in Ordinat. part. 1. tit. 46.

1. Procuratores & *Advocati* honorariis in Camera æstimatis contenti, illicitis depectionibus abstinento: quod amplius ceperint, restituunto: id se ita facturos juranto.

2. *Advocatorum* scripta, non tam ex mole quam industria & diligentia auctoris æstimantor: æstimatio inter ipsum referendum inita, foris libello cuique super scribitor.

3. Recessus inutiles omniaque Ordinationi adversa, in æstimationem ne veniunto.

4. In expensis designandis, accepta sub pœna 20. florenorum profitentor.

Imp. FERDINANDUS Aug. in Deputat. Spirens. 1557.

5. In quo si iterum deliquerint, florenis 40. si tertio. Remotione ab officio plectuntor.

6. Salaria annua invitis ne extorquento: quotam litis aliasve conventiones reprobatas si paciscantur, irritæ sunto, remotioneque & aliis pœnis vindicantor.

IDEM Aug. in Jud. & Adsess. Mem. 1557.

7. Pro descriptionibus in singula folia semibacios, ne plus capiunto.

Imp. RUDOLPHUS II. Aug. in Tax. 1585.

8. Laborum æstimatio hæc esto:

Supplicatio, Mandatum, Sententia definitiva, vel æquipollens, singulis florenis.

9. Recessus primus, Productum mandati generalis exemplum, Libelli oblatio, Litis contestatio, Interlocutoria momenti majoris obtenta, Conclusio finalis, singulis semiflorenis.

10. Interlocutoria Recessusve communis, floreni quadrantibus taxantor.

11. Epistolarum aliorumq; extraordinariorum laborũ æstimatio, arbitrio Judicis relinquitor.

12. Recessuum inutilium rejectorumve, petitionumve ad proximam, ratione habetor.

13. Arrhæ acceptæ feruntor.

14. *Advocatorum* labores Judicis arbitrio taxantor.

15. Consiliorum extrajudicialiter ferme exhibitorum æstimatio nulla initor.

TIT. CCXLV.

De Procuratorum pœnis.

Imp. *CAROLVS* V. Aug. & *FERDINANDVS* Cæs. in Ordin. part. 1. tit. 11.

1. Procuratoribus si conviciis egerint, aliave prolocuti in judicio fuerint præter decorum, impune ne esto.

IDEM Aug. & Cæs. in Ord. part. 1. tit. 52.

2. Dictas sibi multas, à Partibus clientibusque ne reposcunto, neu delatas ultro, recipiunto.

Imp. FERDINANDUS Aug. in Mem. 1559.

3. Pœnæ Procuratoribus, nullo discrimine, æquata sorte omnium imponuntor.

IDEM Aug. in Proc. Mem. 1561.

4. Eas Pedellus continuo ut irrogatæ fuerint, exigito.

Imp. MAXIMILIANVS II. Aug. in Jud. & Adsess. Mem. 1572. 17. Maij.

5. Per errorem indictæ deprecantibus remittuntor, deque eare aliorum etiam quam qui multam decreverint, sensum Judex explorato, æquitatique ipsius adsistito.

Imp. RVDOLPHVS II. Aug. in Decret. 1577. 17. Maij.

6. Per Pedellum singulis trimestribus à Kal. Maij dinumerandis colliguntor, earumque rationes ad Visitatores postea deferuntor: hi moratores ex arbitrio plectunto.

IDEM Aug. in Deput. Spir. 1600.

7. Inflicta Procuratori ob scriptum injuriosum multa, intercedenti per libellum supplicem Principali ne condonator.

Porro puniri etiam Procuratores jubentur, intervectis sibi invicem Partibus,

Commissariis non recte petitis recusative.

Terminis præjudiciisque elusis.

Contumaciis sua culpa contractis.

Agendis apud Deputatos in audientiis immixtis.

Dilationibus propria negligentia transmissis.

Dilatione quarta sive speciali mandato petita.

Origina-

Originalibus ad diem condictum non receptis.
Eventualium denegata alteri copia.
Absentia à Judicio non excusata.
Interlocutoriis sua culpa contra se latis.
Injuriis prolatis.
Processibus, aliisque serius redemptis.
Aut diutius penes se detentis.
Nunciis per fraudem non recte edoctis.
Scriptis ante exhibitionem diutius retentis.
Titulis vel inscriptione vitiose usurpatis.
Oblatæ cautionis die frustrata.
Sine mandato vel cautione expertis.
Mandato originali absque exemplo prolato.
Substitutione citra informationem facta receptave.
Dissimulata repræsentata mercede.
Pactis illicitis, salariisve annuis extortis.
Recessibus habitis longioribus.
Scriptis supra numerum exhibitis.
Vel mendosis,
Meritis causæ executioni immixtis.
Productis iisdem diverse inscriptis.
Dilationibus per fraudem petitis.
Prævaricatione detecta.
Submissionibus frustra factis.
Supplicibus aliisve libellis non subscriptis.
Termino illicite petito concessove.
Transactionibus, tractatibus concordiæ, mortibus partium non probatis.

TIT. CCXLVI.

De Procuratorum pœna ordinaria.

Imp. CAROLVS V. Aug. & FERDINANDUS Cæs. in Ord. part. 1. tit. 52.

1. Procuratores quoties adversus Ordinationem deliquerint, toties præterquam ubi pœnæ majori locus erit, florenis singulis, vel ex arbitrio multantor, rejecta inutili actione, nec inter labores taxanda.

IDEM Aug. & Cæs. in Ord. part. 3. tit. 37.

2. Eadem contra præscriptam in Ordinatione rationem terminorum peccantibus multa estò;
Sicuti & Appellationum forma non ad veteris Kalendarii normam exacta.
Et Commissione in Novis verbotenus petita.
Commissariisve in genere recusatis.
Contumacia inique accusata.
Deputatis futuræ actionis non prænonitis.
Dilatione quarta sine speciali mandato petita.
Exceptione opposita contra appellationis formam generali & ineptâ.
Absentia à Judicio non excusata.
Mandati generalis exemplo non sponte exhibito.
Vel interdicti fide non facta.
Substituto perperam informato.
Repetitis voce contentis scriptorum.
Aliisve dictatis verbis supervacaneis.
Citatis judicii Actorumve protocollis, suis non inspectis.
Termino recognitionis causa præjudicialis petito.
Accusatione contumacis in novis, contradicta,
Supplicationibus non inscripta die exhibitionis,
Illicita ad proximam petitione.
Detractato termino præjudiciali.

TIT. CCXLVII.

De Procuratorum pœna arbitraria.

Imp. CAROLVS V. Aug. & FERDINANDVS Cæsar. in Ordinat. part. 1. tit. 52.

1. Delicta advocatorum procuratorumque Judex & Adsessores pœnis juris communis, multisque majoribus, libera custodia, carcere, suspensione muneris, missionevve vel mutatione stationis puniendi arbitrium habento.

Imp. FERDINANDUS Aug. & MAXIMILIANUS Cæs. in Vis. 64.

2. Quibus casibus Ordinatione certa pœna non exprimitur, arbitraria introducta censetur.

Imp. RUDOLPHUS II. Aug. in Jud. & Adst. Mem. 1586.

3. Contra perseveranter immorigeros ad arbitrarias pœnas, ac si insanabiles videbuntur, remotionem quoque pervenitor.

IDEM Aug. in Const. 1594.

4. Ex pedelli rationibus perspecto quam quisque peccandi consuetudinem induerit, arbitrium in puniendo eo postea adcommotator.
5. Extraordinaria autem sive arbitraria pœna potissimum obtineto.
6. Appellationum forma non adstructa vel eversa.
7. Cancellariæ debitis non exactis.
8. Acceptisve non illico renumeratis.
9. Submissionibus frustra factis.
10. Peregre sine commeatu profectis.
11. Concluso inscriptis, loco vivæ vocis.
12. Post adversarii conclusionem verbalem conclusione adhuc dilata.
13. Exemplis è Cancellaria petitis nec redemptis.
14. Exemplorum extra Cancellariam communicatione.
15. Prorogatione apud Deputatos petita.
16. Dilatione nova intra priorem petita sine impedimenti expressione.
17. Dilatione petita post terminum producendi Rotuli.
18. Tardiore ad Judicium accessu.
19. Mora Nunciorum discessui injecta.
20. Despecta Judicii majestate.
21. Sententiis fiscalibus serius transcriptis.
22. Indecenter vestitis.
23. Non legitimatis intra tempus cautionis præstitæ.
24. Vel etiam oblatæ duntaxat.
25. Mandatis nullis, vel vitiosis, vel sero prolatis.
26. Mandati generalis injuncto nec exhibito, exemplo, vel etiam in fiscalibus citra jussum:
27. Per substitutum acto submissove male instructum.
28. Recessibus prave dictatis.
29. Justove longioribus.
30. Libellis editis mendosis.
31. Productione verbotenus facta.
32. Falsoallegato periculo moræ.
33. Alienis in Rogationem Novarum translatis.
34. Appellatis non omnibus, nominatis.
35. Supplicationibus exhibitis informibus.
36. Petitione ad proximam post accusatam contumaciam.
37. Frustrationibus, moraque in judicio quæsita.
38. Præjudicii causa termino non concesso vel capto.
39. Prorogatione nude, vel novo termino postulato.
40. Ante terminum futura actione prædicta.
41. Causis perperam inscriptis vel distinctis.
42. Transactionibus non proditis.

TIT. CCXLVIII.

De Procuratoribus extraneis.

Imp. CAROLUS V. Aug. & FERDINANDUS Cæs. in Ordin. part. 1. tit. 25.

1. Procuratores à Camera alieni honesti tamen & idonei, præstito calumniæ & Malitiæ jurejurando, in Camera pro illustribus personis, nobilibusque & civitatibus litigantibus dicendi agendiq; facultatem habento.

TIT. CCXLIX.

De Procuratorum recessu.

Imp. CAROLUS V. Aug. & FERDINANDUS in Ord. part. 3. tit. 40.

1. Excipere contra mandata, Transactiones morteſve Partium indicare, coram Deputatis figilla recognoscere, aliaque talia verbis sed paucis efferre licitum Procuratoribus esto.
2. Longiores recessus cum pœna illicito rejiciuntor.

IDEM Aug. & Cæs. in Ord. part. 3. tit 12.

3. Plurium correorum nomine comparentes, unum ex iis potiorem nominanto, reliquos brevi appendice denotanto.

4. Hac

4. Hac prima inscriptione causam porro ad finem usque litis, ejusve quem huncùpassint, indigranto: sin quorundam tantum nomine adsint, singulos exprimunto.

Imp. CAROLUS V. Aug. in Visitat. 1531.

5. Scriptorum contenta voce repetentes, pœna Ordinationis luunto.

IDEM Aug. in Beschеid. 1537. ult Aug.

6. Plura & diversa documenta prolaturi, singulorum inscriptionibus recensendis tempus nè terunto: sed designata scripto exhibento.

Imp. FERDINANDUS Aug. in Cam. Mem. 1557.

7. Recessus in una causa habitos, in alia velut per indicem ne repetunto: sed singulis in causis seorsim & distincte agunto.

IDEM Aug. & in Visitat. 1559.

8. Nomina Partium, & quæ alia dictare convenit, lente, clare, disertèque, ut recte excipi à Notariis possint, enuncianto.

IDEM Aug. in Proc. Mem. 1561.

9. Immorigeri pro rei qualitate plectuntor.

IDEM Aug. in Visitat. 1560.

10. Necessaria quæq; scripto complectuntor; verbis quantum potest paucissimis apertissimisque proferuntо: superflua sub Ordinationis pœna rescecanto.

11. Quod si pœna Ordinationis contemptui erit; gravior & arbitraria subrogator.

Imp. MAXIMILIANUS II. Aug. in Jud. & Adst. Mem. 1585. 8. Dec.

12. Protocolla judicialia diebus Sabbathinis à binis ternisve Adsessoribus pervolvuntor: qui longioribus recessibus usi fuerint, accersiti auditique uno, duobusve aut tribus florenis multantor, adeoque in ipso judicio interpellati à Judice recessus cum pœna rejiciuntor.

Imp. RUDOLPHUS II. Aug. in Jud. & Adst. Mem. 585.

13. Exorbitantes recessus perspectis, protocollis, pro delicti modo puniuntor: perseverantes in eo Procuratores vocati ultione severiori percelluntor.

IDEM Aug. in Beschеid. 1579. 6. Jul.

14. In Commissariis nominandis recessibusque aliis capita diligenter secernunto.

IDEM Aug. in Deput. Spirens. 1600.

15. Procuratores supra tres vel quatuor lineas, ut cunque necessaria adferant, ne dictantо: pluribus ubi opus, scripto utuntor: in ea re æstimanda circumstantiæ tamen à Judice necessariæ perpenduntor.

16. Recessus præscripto longiores in Sabbathinis protocollorum revisionibus adnotantor, pœnæ delinquentium pro tribunali publice recitantor, atque à Pedello colliguntor.

17. Procuratorum in judicio altercationes intra replicandi modum finiuntor.

18. Processibus reproductis Citati simpliciter se adesse, cum protestatione solita & reservatione profitentor.

19. Recessus in partes ne distrahuntor: Eodem termino proponenda, omnia simul efferuntor.

TIT. CCL.

De *Productis.*

Imp. CAROLUS V. Aug. & FERDINANDUS Cæs. in Ord. part. 3. tit. 40.

1. Quæ in judicio agenda sunt, ea Procuratores conscripta, & abs se subscripta, gemina exhibento: exemplum alterum Parti, alterum Judici tradunto.

2. Quid & qua in causa promant, paucis verbis effantor.

3. Producta altrinsecus cum petitione copiæ & termini recipiuntor: & suo tempore similiter in scriptis redarguuntor.

4. Scripta supra numerum ne admittuntor; ab actis cum pœna segregantor.

IDEM Aug. & Cæs. in Ord. part. 3. tit. 16.

5. Ad probandum admissi nullum inrerim, nisi ex justa causa decreto comprobata, scriptum edunto.

Imp. FERDINANDUS Aug. in Visitat. 1560.

6. Scripta nisi in ipsa judiciali exhibitione sibi tradita Lectores ne signanto.

IDEM Aug. in Visitat. 1556.

7. Eadem ne ab actis amittantur, Lectorum cura provisioque esto: amissa ab utroque Procuratore conferuntor, descriptaque actis ex integro inseruntor.

Idem Aug. in Mem. 1556.

8. Supplicationes & producta mendosa, & non subscripta punitis Procuratoribus rejiciuntor.

IDEM Aug. in Mem. 1559.

9. Supplices aliique libelli, quæque his adnectuntur, lecta castigataque eduntor.

IDEM Aug. in Proc. Mem. 1560.

10. Sin erit, ut mendosa scriptio, sententiaque vitiosa deprehendatur, pro delicti modo in Procuratores vindicator.

IDEM Aug. in Visitat. 1564.

11. Inter referendum Adsessores si qua inciderint inscripta incorrecta, ea indicanto, & ex judicum arbitrio puniunto.

Imp. *MAXIMILIANVS II.* Aug. in Visitat. 1568.

12. Producta incorrecta intra triduum cum pœna arbitraria corrigi jubentor.

Imp. RUDOLPHUS II. Aug. in Conf. 1583.

13. Neque soluta, sed pone revincta exhibentor.

IDEM Aug. in Jud. & Adf. Mem. 1586.

14. In executionis articulo merita causæ recoquentiâ scripta, reservata pœna rejiciuntur.

IDEM Aug. in Bescheid. 1585. 19 Octob.

15. Insinuationes confirmationesque vel interpositiones decretorum, ne viva voce, sed in scriptis petuntor.

IDEM Aug. in Proc. Mem. 1600.

16. Instrumenta litis, libelli ve rbotenus in judicio prolati, ni reapse simul exhibeantur, ex intervallo à Lectoribus prius ne recipiuntor, neve signantor, quam delati ad Præsidem, Procuratoresque arbitrarie puniti fuerint.

17. Ejusdem scripti Exemplum unum Judici, alterum Parti ne inscribitor, neu inscriptum signator.

Imp. FERDINANDUS Aug. in Vis. 1562.

18. Et si fiat; punitor.

TIT. CCLI.

De protonotariis.

Imp. *CAROLVS* V. Aug. & *FERDINANDVS* Cæs. in Ordin. part. 1. tit. 28.

1. Munia sua per se, non per alios obeunto: nisi ad breve tempus, ex morbi aliave justa causa Præfecto cognita & adprobata.

2. Eorum unus adsidue Senatui in tempore adesto, Adsessorum sententias & suffragia, præsertim in definitivis conscribito, sententiæ formam ex mente majoris partis concipito, Adsessoribus priusquam dilabantur recitato, Referentibusque subscribendam porrigito: Inter referendumatque ubi eo præsente opus non erit, consensu Judicis ad munia revertitor.

3. Tempus commeatus dati, & reditus cujusq; Adsessoris adnotatũ ad Quæstorem deferunto.

4. In judicio gesta, dicta, alter ambove, juncto Notario, pro se quisque excipiunto summa fide: post audientiam continuo protocolla sua conferunto.

5. Errores in protocollis observatos, Judici & Adsessoribus modeste indicanto: in Senatu neminem interpellanto.

6. In judiciis submissiones leviores, quæ nec actorum inspectionem desiderãt, noranto: postridie ex protocollo extempore decidendas, & propediem publicandas, in Senatu præleguntor.

7. In Cancellaria sententiarum aliarumque rerum monumenta conficere, descripta relegere & subscribere, Protonotariorum potissimum opus esto.

8. Submissiones codici suo inscribunto, Lectoribus tradunto, ut acta cumprimum compleantur, perficiunto.

9. Procuratoribus ipsi Notariive denegatorum processuum causas ne produnto.

Imp. FERDINANDUS Aug. in Mem. 1556.

10. In judicio præter recessus, etiam quæ incidenter dicuntur, manu adsequuntor.

IDEM Aug. in Preton. Mem. 1557. 17. Aug.

11. Notariis in Senatu subveniento: ut recte protocolla conficiantur conferantur q; , & annua sententiarum volumina describantur, submissionumque liber absolvatur providento.

IDEM. aug. in Vis. 1559.

12. Procuratorum recessus ad verbum scribunto: longiores aliave de causa prohibitos notanto.

IDEM Aug. in Mem. 1559.

13. Acta quibus in concipiundis Commissionibus usi fuerint, Archivis sarta solidaque reponunto: ne qui ex iis libelli disperdantur, cavento.

TIT. CCLII.

De protocollis.

Imp. CAROLUS V. Aug. & FERDINANDUS Cæs. in Ord. part. 3. tit. 40.

1. Procuratores si obliti anteactorum vel propriis protocollis non inspectis fidem Protocolli judicialis Actorumve perperam appellarint, pœnam Ordinationis exsolvunto.

Imp. FERDINANDUS Aug. in Mem. 1559.

2. Protocolla perlecta, ne in mensa inexpedita & relegenda mox aliis relinquuntor. Judicialia de more colligantor.

IDEM Aug. in Jud. & Cam. Mem. 1560.

3. Exceptarum in Senatu relationum protocolla à judicio recedentium Adsessorum, ne vulgentur cavento.

IDEM Aug. in Mem. 1562.

4. Protocolla discedentium vel decedentium Adsessorum, in actorum scriniis adservantor, revisionibus exigentibus inde promenda.

Imp.

Imp. MAXIMILIANUS II. Aug. in Recess. Augustan. 1566.

5. Manualia Protonotariorum & Notariorum extra Archivane efferuntor, nec nisi præscitu Judicis in fornicibus veleuria inspiciunda Assessoribus dantor: secus facientes multantor.

6. Substituti Procuratorum protocolla sollicitatoribus causarum adeundi copiam ne faciunto; sed ad audientias publicas remittunto.

Imp. RUDOLPHUS II. Aug. in Const. 1583.

7. Protocolla causarum colligata, membrana saltem à tergo communiuntor.

8. Eadem complentes Notarii, qua quidque rogatione in pigneratione causis actum sit, adscribunto.

IDEM Aug. in Mem. 1586. Ad. dub. Colleg.

9. Protocolla judicialia quo magis de prohibitis recessibus, actorumque recta completione constare possit, singulis sabbathinis diebus apud Mensam decretorum percurruntor.

TIT. CCLIII.

De Purgationis ex causa fractæ pacis processu.

Imp. *CAROLUS* V. Aug. & *FERDINANDUS* Cæs. in Ordinat. part. 2. tit. 10.

1. Ex indiciis famave, fractæ pacis, opisve auxiliique suspecti, nec tamen convicti, coram suis Judicibus Cæsareve vel Camera conventi, per jusjurandum innocentiam suam testantor.

2. Sed ita, ut justis suspicionum causis articulatim prius expositis, Judicique probatis, coram (si non sint Principes) adesse & respondere, postremo purgare se jurejurando jubeantur.

3. Citatio suspicionum causas, fidemque publicam contineto, & si nec coram sub oculis, nec absenti domi recte insinuari possit, duobus tribusve locis, qui videbuntur opportuniores, adfigitor.

4. Citati ipsi se coram, vel (si sint Principes) per Procuratorem sistunto, articulisque respondento.

5. Articulis negatis, si causas suspicionum actor indiciis legitimis, famave, unove teste exceptione omni majore, denique (siquidem actor bonestior, Reus vilior sit) propriæ credulitatis jurejurando confirmaverit, tum Reus Sacramento seie purgato, idque coram, ni judex ex causa mittere malit, cui juretur.

6. Si universitas arguetur, ejus duæ Senatus partes, & in his suspectissimus quisque coram delegatis juranto.

7. Sin horum quidam suo nomine, ut privati, suspecti erunt, de his, ut singulis statuitor.

8. Si qua Judicem permovebit suspicio violentior, alios præterea plures, qui recte juratum viderit de crudelitate dejerent, adhiberi jubeto.

9. Juramento præstito Reus pro innocente eousque habetor, donec convincatur, convictus pro pacifrago & perjuro punitor.

10. In purgando comparendove contumaces pro convictis habentor, ad videndum se declarari impœnas fractæ pacis citantor: ac citra aliam probationem (ni innocentiam suam ostendere parati sint) condemnantor.

11. Citati, morbo, aliisve necessariis causis impediti, eas sui vicinive Magistratus testimonio docento, ac vel terminum obtinento, si modicum tempus abfuturi videbuntur, vel coram delegatis ad se juranto.

12. Principes per procuratorem, eumque minimum nobilem, jusjurandum Judici præstanto.

13. In his summarie secundum constitutionem proceditor.

14. Purgationis necessitas vel proprio motu, atque ex officio imponitor.

15. Suspecti postulare, vel criminis ipsius arguere quemvis coram Camera, aliisve judiciis competentibus liceto.

16. Ibidemque calumniam eorum, qui temere mota suspecti accusatione desiterint, persequendi jus & arbitrium esto.

IDEM Aug. & Cæs. in Ord. part. 2. tit. 11.

17. Pacifragorum bonis in fraudem prælienatis, tam venditores quam emptores, alienantes pariter receptatoresque suspecti purgare se tenentor: contra vadimonium deferentes ordo suprascriptus servator.

Imp. FERDINANDUS Aug. in Vis. 1560.

18. Citatis ad purgandum, primo termino respondere articulis per procuratorem liceto: postea ubi jurato opus erit, ipsi coram adesse jubentor.

&

TIT. CCLIV.

De Quæstoris officio.

Imp. *CAROLUS* V. Aug. & *FERDINANDUS* Cæsar. in Ordinat. part. 1. tit. 40.

1. Ab Ordinibus Imperii Quæstor pecuniæ ad Cameræ sustentationem conquirendæ, erogandæque in stipendia, rationibusque eo nomine reddundis, constituitor.

2. Annuis quibusque Visitationibus acceptorum & expensorum rationes probe reddito: sine t mpore de moratoribus apud civitates solutioni destinatas certum inquirito, eosque Fiscali deferto.

3. Contributiones à dictis Civitatibus ad se remissas cum antapochis una protinus in Arcam (cujus apud Collegium custodia, pencs ipsum claves sint) usque ad stipendiorum dissolutionem, condito.

4. Sed ab ipsis sibi Statibus Spiræ vel in Camera persolutas confestim Judici significato, eoque aliove ejus vice præsente, in eadem arca deponito.

Imp. CAROLUS V. Aug. in Visitat. 1531.

5. Pententi subinde Judici accepti & expensi summam edito, pecuniam è locis designatis quamprimum minimoque ad se sumptu pertrahito, iis formis quas ipse receperit, & quarum documentum perhibuerit.

Imp. MAXIMILIANUS. II. Aug. in Fisc. & Quæst. Mem. 1572.

6. Quid quantumque contributionum receperit, Fiscali significato, Nunciis, Procuratoribus, Statibus quæ reliqui summa debiti sit, petentibus edito.

7. Monetam Edicto vetitam ne capito.

8. Procuratores & Nuncios contributiones in moneta proba Ordinum nomine dissolventes protinus liberator dimittito, illi vicissim literas autographas, pecuniæ genera exprimentes edunto, describendique copiam faciunto, in renuentes Cameræ animadversio esto.

9. Ab Ordinibus Civitatibusve delegatis, ne cui stipendium repræsentari ante diem finito: nec si fiat, eo nomine apochas conficito.

Imp. RUDOLPHUS II. Aug. in Quæst. Mem. 1577.

10. Erogationibus extraordinariis atque indebitis, nullis Cameræ decretis injussu Judicis adigitor, si contra muneris rationem perurgeatur, apud eundem conqueritor.

IDEM Aug. in Quæst. Mem. 1600.

11. Quæstor peregre profecturus, testesque ex delegatione Cameræ interrogaturus, proprio periculo partes interca suas homini fido & industrio demandato, abitusque sui Cameram certiorem facito.

TIT. CCLV.

De Quæstoris salario.

Imp. CAROLUS V. Aug. & FERDINANDUS in Ord. part. 1. tit. 48.

1. Quæstoris salarium annuum, ducceni floreni sunto.

R.

TIT. CCLVI.

De Receptatoribus.

Imp. CAROLUS V. Aug. & FERDINANDUS Cæs. in Ordin. part. 2. tit. 12.

1. Proscriptorum bona ne quis ullo modo receptato, si fiat, irritum esto, receptatores ipso facto proscripti sunto, pœnaque violatæ pacis experiuntor.

IDEM Aug. & Cæs. in Ord. part. 2. tit. 13.

2. In eadem causa sunto die gemeine Gaanerben / si socios proscriptos vel pacir upas in consortium & communionem admiserint.

IDEM Aug. & Cæs. in Ord. part. 2. tit. 14.

3. Magistratui suo, judicioque fraude mala sese subducentes, eive, subditisve minitantes, nec se legitimæ cognitioni submittentes, nemo sciens recipito, latebrasve, securitatemve præbeto, sed jure non vi experturos sacramento obstringito, & sumptu quanto minimo in ordinem cogito. His vicissim tamen à suo superiore de tuto accessu contra vim cavetor, justitiaque ministrator. Qui secus faxint, pœnis fractæ pacis subjacento.

Imp. FERDINANDUS Aug. in Recess. Augusts. 1555.

4. Desertores Magistratus sui, si in locos suspectos, facinorumque conscios sese recipientes, aliosque à jure deterrentes, capti fuerint, gladio ultore feriuntor.

5. Si quis violentiæ metu, non animo illicitæ offensionis secesserit, ei noxæ ne esto.

TIT. CCLVII.

De Recognitione.

Imp. CAROLUS V. Aug. & FERDINANDUS Cæs. in Ordin. part. 1. tit. 30.

1. Documenta originalia confestim adgnoscuntor, recusantorve, nisi ex causa terminum Judex statuerit, mox Partibus restituuntor, exempla collata apud acta servantor.

Imp. RUDOLPHUS II. Aug in Resc. 1584. 5. Junij.

2. Sigilla & manus vel confestim post audientias coram Deputatis, vel proxime Procuratores adgnoscunto, diffitentorve, si terminum cum prorogatione petierint, Ordinationis pœna luunto.

TIT.

TIT. CCLVIII.

De Reconventione.

Imp. CAROLVS V. Aug. & FERDINANDUS Cæs. in Ord. part. 3. tit. 30.

1. Reconventio ante litis contestationem, vel post proxima aut secunda audientia introducta, simul & alternatim cum causa conventionis progreditor: serius, ante tamen causæ conclusionem proposita, separato processu peragitor.

TIT. CCLIX.

De Referentibus causarum.

Imp. *CAROLVS* V. Aug. & *FERDINANDVS* Cæs. in Ordin. part. 1. tit. 13.

1. Acta majoris momenti omnia, à duobus Referentibus successive, quantum causa postulaverit, perleguntor.

Imp. FERDINANDUS *Aug.* in Camer. Mem. 1557.

2. Referentium & correferentium alter perpetuo è senioribus, è junioribus alter desumitor.

IDEM Aug. in Jud. & Adf. Mem. 1562.

3. Referentes de suis correferentibus solliciti ante tempus ne sunto.

TIT. CCLX.

De Referendi modo.

Imp. FERDINANDUS Aug. in Vis. 1556.

1. In causis referendis, dicendisque sententiis ambages vitantor, ad rem necessaria, velut articuli, Exceptiones pertinentes, Responsiones, Probationes, Termini substantiales, quæque alia merita causæ concernunt, atque ab iis pendent, proferuntor, documenta, privilegia, instrumenta, summatim, quantum opus, referuntor, acta nec tota, nec majorem partem, nec superfluæ Advocatorum disputationis recitantor, dictantorve, necessaria duntaxat excerpuntor.

IDEM Aug. in Camer Mem. 1557.

2. Articuli decreto semel decisi, in relationibus definitivis ne reponuntor.

IDEM *Aug.* in Jud. & Adf. Mem. 1557.

3. Procuratorum ante omnia mandata dispiciuntor, si quid deerit, actis de consensu Judicis amotis, alia protinus in manus sumuntor.

IDEM Aug. in Mem. 1559.

4. Sin quæ in mandatis requirentur, ejusmodi sint, ut remoram septentiæ injectura non videantur, acta ea causa non facile deponuntor.

Imp. *MAXIMILIANVS II.* Aug. in Mem. 1570. 23. Maji.

5. Ad referendum nemo admittitor, qui non acta productaque ad submissionem qua de agitur, spectantia perlegerit, summatim excerpserit, perpenderit, & initio statim controversiæ statum ob oculos posuerit, citra molestam scriptorum documentorumque prælectionem.

Imp. RUDOLPHUS II. Aug. in Jud. & Adf. Mem. 1577.

6. Non ex ipsis actis causæ, sed propriis protocollis breviter & dilucide capteque referuntor.

TIT. CCLXI.

De Referendi tempore & loco.

Imp. CAROLUS V. Aug. in Visitat. 1550.

1. Acta quo in Senatu semel cœpta sunt interlocutorie referti, eo futuræ quoque submissiones referuntor.

Imp. FERDINANDUS Aug. in Mem. 1556.

2. Causæ ipsum Judicem Adessorelve contingentes, extra eum, cui ipsi interfunt, Senatum referuntor.

IDEM Aug. in Deput. Spirens. 1557.

3. Officium Cameramque relicturus, omnia quotquot perlegerit acta ante abitum referto: idque etiam apud diversos Senatus.

IDEM Aug. in Jud. & Adf. Mem. 1557.

4. Quin & extra Senatus habendi solitas horas, relationes istæ tales audiuntor, absolvuntorque.

IDEM Aug. in Mem. 1559.

5. Relationes definitivæ inter ecta interlocutoriarum ne diffinduntor.

IDEM. Aug. in Mem. 1563.

6. Decreta super Commissariis in senatibus extraordinariis conficiuntor.

IDEM Aug. in Vis. 1563.

7. Submissiones leviculæ, veluti Dilationis, Commissariorum, Defertionis, Supplicationis, Inhibitionis, Responsionum, diebus Sabbathi extraordinarie aliisque in frequentibus Senatibus decidiuntor.

IDEM Aug. in Jud. & Adf. Mem. 1564.

8. Digressi è Senatibus definitivarum *Adfessores*, ab hora deinde nona ad decimam interlocutionibus faciendis occupantor.

Imp. MAXIMILIANUS II. Aug. in Mem. 1571.

9. Causæ fiscales singulis hebdomadibus, adhibitis *Adfessorum* peritioribus expediuntor; frustrationesque resecantor.

IDEM Aug. in Mem. 1575.

10. Submissiones circa terminorũ prorogationes, compulsoriales, expensarũ taxationes & similes, interlocutoriis relationibus ne ingeruntor, sed conf. stim in mensa decretorum expediuntor.

IDEM Aug. in Jud. & *Adf.* Mem. 1575.

11. Qui in definitivis retulerint, ad interlocutorias transeunto, suumque aliis locum cedunto.

12. Senatibus interlocutoriarum definitivas etiam modicas, quotidianaque decreta Judex cum videbitur, injungito.

Imp. *RVDOLPHVS II.* Aug. in Conf. 1585.

13. Submissiones leviores si periculum in mora esse dicetur, nec aliis submissionibus gravioribus per eas præjudicabitur; vel solæ in Sabbathinis dirimuntor, submissionibus ceteris nihilo secius suo interlocutoriarum ordine referendis.

14. Senatibus definitivarum excedentes, recta ad mensam decretis faciundis dicatam se conferunto: acta eo delata, supplicationesque quæ moram non patiuntur, definiunto, de sacco, nisi omnibus aliis absumptis, ne referunto.

IDEM Aug. in Deputat. Spir. 1600.

15. Festo die in Sabbathum incidente, pridie ejus Sabbathinæ referuntor.

TIT. CCLXII.

De Referendarum causarum ordine.

Imp. CAROLUS V. Aug. & FERDINANDUS Cæs. in Ordin. part. 1. tit. 10.

1. Judex subsidio judicis sui, causas eo ordine quo fuerint conclusæ referendas curato, nec inverti sinito, nisi vel causa antiquior correferenti commissa sit, vel recentiot spolium aliamve causam privilegiariam concernat, vel aliis ex causis collegio adprobatis.

IDEM Aug. & Cæs. in Ord. part. 3. tit. 47.

2. Ut quæque causa prima conclusa fuerit, ita ceteris præfertor, attamen violatæ pacis, spoliorum, executionum, aliæque privilegiariæ causæ præ reliquis promoventor.

IDEM Aug. & Cæs. in Ord. part. 1. tit 13.

3. Referendi ordinem ne quis sine causa collegio ad probata prævortito.

Imp. *FERDINANDUS* Aug. in Camer. Mem. 1557.

4. Relationes semel cœptæ, uno contextu finiuntor, aliis novis ne interjunguntor.

IDEM Aug. in Jud. Mem. 1560.

5. Miserabiles favorabilesque personæ ante alias absolvuntor.

IDEM Aug. in Jud. Mem. 1562.

6. Submissiones vetustate fui, partiumque non instantium neglectu probabiliter transactæ sublatæve ceteris posthabentor.

IDEM Aug. in Jud. & Adf. Mem. 1562.

7. Etiam Senatuum variatione intercedente, suus cuique quem primus habuit, referendi ordo servator.

IDEM Aug. in Vis. 1564.

8. Abiturus Adfessor acta sua diversis quidem Senatibus, sed eo tamen ordine, ut vetustiores & privilegiariæ præeant, judice jubente referto.

Imp. MAXIMILIANUS II. Aug. in Vis. 1567.

9. Exemptionum fiscaliumque causarum submissiones interlocutoriæ in Sabbathinis ante alias omnes absolvuntor, nec his donec suppetent, aliæ miscentor.

IDEM Aug. in Jud. & Adf. Mem. 1576.

10. Submissiones recentiores vetustioribus anteponentes, per Lectores ad Judicem deferuntor, causamque dicere ejus rei jubentor.

TIT. CCLXIII.

De Relationum auditione.

Imp. CAROLUS V. Aug. & FERDINANDUS Cæs. in Ordin. part. 1. tit. 10.

1. Qui relationi intersunt, si quid in ea desiderent, ipsi acta adeunto: quæ aliter se habere animadverterint, in dicendis sententiis moneto.

Imp. FERDINANDUS Aug. in Vis. 1556.

2. Præter necessaria, nihil scriptis excipiunto: relationem ne interrumpunto, neu disputationibus contentionibusve ansam ministranto, paci concordiæque studento.

Imp.

IDEM Aug. in Mem. 1559.

5. Relationes sententiarumque dictiones cum attentione audiuntor: alieni ne quid inspergitor, tuto tenore absolvuntor.

TIT. CCLXIV.

De Relationum adnotatione.

Imp. *FERDINANDUS* Aug. & MAXIMILIANUS Cæs. in Jud. Mem. 1563.

1. Relationes interlocutorias pro definitivis, pluresve quam peregerit, ne quis apud Lectorem profitetor.

TIT. CCLXV.

De Relationibus nunciorum.

Imp. CAROLUS V. Aug. & FERDINANDUS Cæs. in Ordin. part. 1. tit. 38.

1. Executione facta Principi, Nuncius pro se ipse Dicta, Responsa, Pacta, suum Nomen, Annum, Mensam, Diem, locum executionis, Principisque Prænomen, relationi recte inscritosimul an is locus ordinarij domicilij sit, exprimito. Ac eadem hæc porro sive originali processui, sive exemplo, vel Principi vel actori traditis inscribito.

2. Consulibus Senatuique insinuatis processibus, executio similiter utrique parti ad amussim perscribitor: simulque nomen & prænomen Consulis & Senatorum ad eam rem advocatorum, in specie nuncupator.

3. Eadem referendi inscribendique ratio in reliquis etiam servator.

4. Executiones factas Nuncij in continenti recentique adhuc memoria conscribunto: à nemine sibi confici prærivè sinunto: Magistro nunciorum omnium primo nullidum mortalium visa tradunto, coramque rei omnem seriem successumque enarranto.

TIT. CCLXVI.

De Registratore.

Imp. FERDINANDUS Aug. Mem. 1559.

1. In audientiarum prima semper rogatione Registrator considens dictataque excipiens, Procuratorum in causis distinctiones inscriptionesque observato.

TIT. CCLXVII.

De Relaxatione juramenti ad effectum agendi.

Imp. CAROLUS V. Aug. & FERDINANDUS Cæs. in Ordin. part. 2 tit. 24.

1. Captivis sub cautione non ulciscendi dimissis, in Camera nec Relaxatio ad effectum agendi, nec citatio vel mandatum continuo decernitor: sed querela eorum primulum ad Magistratum perscripta, si ex relatione ejus constiterit actorem ob delictum carceratum punitumque, ac proinde urpheda jure obstrictum esse: processibus negatis, jurisjurandi observatio injungitor.

2. Sin quis adversus pacem publicam, constitutionesque imperij jurare adactus sit: eo casu jus & ordinatio locum habento.

Imp. MAXIMILIANUS II. Aug. in Jud. & Adf. Mem. 1575.

3. Litteris ad Magistratum pro informatione datis, dies certa dicitor, ad quam eo non respondente futurum sit, ut actori petenti jus æquum impertiatur.

TIT. CCLXVIII.

De Renunciatione.

Imp. RUDOLPHUS II. Aug. in Conf. Cam. 1585.

1. Productioni testium post secundam vel tertiam dilationem probandi renunciantes, deprehensa fraude, præter pœnas retardatæ litis, ex officio etiam plectuntor.

TIT. CCLXIX.

De Responsionibus.

Imp. CAROLUS V. Aug. & FERDINANDUS Cæs. in Ordin. part. 3. tit. 15.

1. Ad articulos facti omnes verbis, Credo vel Non, sine appendice, modove, distincte & sigillatim, in scriptis, salvo tamen impertinentium jure respondetor.

2. Si pars articuli credetur, pars negabitur: distinctio adhibetor.

3. Super responsionibus non accurate prius perpensis submittentes puniuntor.

Imp. RUDOLPHUS II. Aug. in Bel. 1579. 6. Julij.

4. Super Responsionibus, Mandatis, aliis, ne sub conditione, & sufficiant, submittitor.

TIT.

TIT. CCLXX.

De Restitutione in integrum.

Imp. CAROLUS V. Aug. & FERDINANDUS Cæs. in Ordin.

part.3.tit.42.

1. In integrum restitutione calumnioſe, inve fraudem, vel ex cauſis ante cognitis, minuſve legitimis petita, executio non differtor.
2. In expenſas parsve Procuratorve, uter in culpa fuerit, condemnator.
3. Si juſtæ cauſæ ſubeſſe videbuntur, articulatim proponuntor.

Imp. RUDOLPHUS II. Aug. in Deputat. Spirenſ. 1600.

4. Adpetendam adverſus lapſum fatalium terminive prædudicialis, in integrum reſtitutionem, tempus quantum re integra competierit, neu majus, juſtum eſto.
5. In integrum reſtitutio adverſus interlocutoriam Procuratore apud acta conſtituto, ſine citatione, libello vel articulato, vel ſummario, utrum Judex juſſerit, petitor.

TIT. CCXXI.

De Reviſione Actorum.

Imp. CAROLUS V. Aug. & FERDINANDUS Cæſ. in Ordin.

part.3.tit.53.

1. Syndicatum Reviſionemque petiturus, duobus eam menſibus ante Kalend. Maias Moguntino in ſcriptis denunciato; is eam Cæſari, & ejus anni Viſitatoribus ſignificato: conſiliarios revidendis actis peritos mitti poſtulato.
2. Si à die latæ ſententiæ non toti duo menſes ad Kalend. Maij ſupererunt: in ſequentem annum rejicito.
3. Si quis priorum Judicum judicio abierit aberitve: eum Camera revocato.
4. Reviſionem petens, pecuniam quantam Viſitatores arbitrabuntur, prius deponito, fiſco ſi ſuccumbat, pro ſumptibus inferendam.
5. Ceterum negotij hic ordo eſto.

Pars utraque merita cauſæ ſingulis ſcriptis plene pertractanto: ſed nec novi quidquam adipergunto, nec unius ſcripti limites egrediuntor.

6. Reviſores cum Præſidibus una, Judicibuſque prioribus jurati acta revidento, perpendunto-que: hi cauſas & fundamenta rei abſe ſe judicatæ demonſtranto: illi deinde ſoli momentis cauſæ ponderatis, æquum bonumque ſtatuunto.
7. Si ſententia retractabitur: pars victrix depoſitam pecuniam recipito, Reviſorum ſententiam Camera exequitor.
8. Si ſine dolo culpa tamen, erroreve vel Procuratorum, vel Judicum male judicatum fuerit: contra nocentes juris & ordinationis via proceditor: ſententiæ vero intuitu, Judices eodem loco parique cauſa cum inferioribus Judicibus, à quibus appellatum eſſe ſunto.
9. Sin corruptio, aut dolus, vel prævaricatio intervenerit: victori contra ſontes ſyndicatus etiam via pateto, Judices à Cæſare. Procuratores à Camera nihil lecius puniuntor.
10. Sententia vero confirmata, eam Camera exequitor: pecunia depoſita in ſumptuum reparationem, pœnamque temeritatis, cedito.
11. Si Reviſores vel non convenerint ad diem, vel acta non relegerint: Camera ſine ceſſatione longiore ſententiam ſuam executioni demandato: Si tamen conſtet, petentis culpa impedimentum contigiſſe. Ceterum Reviſionis beneficium ſalvum integrumque eſto.

Imp. FERDINANDUS Aug. in Deput. Spirenſ. 1557.

12. Reviſio ſyndicatusve tribus ante Kal. Maias menſibus petuntor: Ab his qui deſiſtere volent, ſex ante Viſitationem hebdomadis Moguntino renuncianto, ſumptusque factos refundunto. Sinec revocabunt eo tempore, & calumnioſe petiiſſe judicabuntur: arbitrio Commiſſariorum & Viſitatorum plectuntor, ſimulque expenſas reſtituunto.

Imp. RUDOLPHUS II. Aug. in Rec. Ratiſp. 1594.

13. Reviſiones in cauſis ad Electorem Moguntinum ſpectantibus apud Trevirenſem petuntor: reliqua ex ordinationis Præſcripto provideto.

IDEM Aug. in Dep. Spirenſ. 1600.

14. In cauſis CCC. florenis minoribus contra ſententiam ſupplicare Magiſtratui pro reviſione Actorum intra tempus legitimum permittitor: lis ex iiſdem actis, vel ſi quid novi merſerit, binis ad hæc ſcriptis de integro deciditor; aut etiam rei gravitate parte ve exigente, univerſitati, duobus ve vel tribus juri ſperitis recognoſcenda committitor.
15. Reviſione Camerali pendente executio ſuſtinetor: interim tamen in articulo liquidationis, ubi ea opus, procedendi in cauſa victori libertas eſto.
16. Reviſionem petentes adverſario poſtulante jurare in Camera de calumnia jubentor.
17. In cauſis mandatorum de relaxandis captivis, alimentorum ve ut decretorum, Reviſioni locus eſto: ſed ea pendente Paritio Executioque, poſtquam idonee cautum erit, ne differtor. Hæc futuris caſibus dicta lex eſto.

TIT.

TIT. CCLXXII.

De Rogationibus audientiarum.

Imp. CAROLUS V. Aug. & FERDINANDUS Cæs. in Ordin. part.3.tit.5.

1. Audientiarum rogationes senæ sunto. I. *An* quis ad recitatas modo sententias: II. *An* in causis novis: III. *An* sumpto datove termino, hoc est, in præfixis: IV *An* expræscripto Ordinationis agere quis, vel submittere: V. *An* suam contumaciam purgare: VI. *An* alienam accusare velit.

2. Rogationum istarum ordo ne confunditor: ubi quisq; defierit, inde postridie continuator.

3. Protonotarii, quem quovis tempore ordo destituerit, protocollis notanto, atque in judicio porro monento.

Imp. FERDINANDUS Aug. in Jud. & Adst. Mem 1557.

4. Cujusvis rogationis causæ ordine omnes uno contextu proponuntor.

Imp. MAXIMILIANUS II. Aug. in Vis. 1567.

5. Excusationum dehinc rogatione cessante, vicissitudo accusationum contumaciæ, & præfixarum succedito.

Imp. *RVDOLPHVS II.* Aug. in Const. 1583.

6. Tametsi toto jam ordine contumaciarum tardo admodum, & post invectum terminum præjudicialem tantum non obsoleto.

TIT. CCLXXIII.

De Rogatione prima ad sententias.

Imp. CAROLUS V. Aug. & FERDINANDUS Cæs. in Ordin. part.3.tit.6.

1. Publicatis sententiis, ad eas duntaxat, quæ eadem illa audientia exierint, agi prima rogatione conceditor.

2. *Ad* probandum per sententiam admissis extemplo petendi terminum jus esto.

3. Litem contestari, concludere, aliudve agere jussi, vel hac prima rogatione, vel postea in præfixis parento.

TIT. CCLXXIV.

De Rogatione novarum.

Imp. CAROLUS V. Aug. & FERDINANDUS Cæs. in Ordin. part.3. tit.7.

1. In novis nil præter causas novas, & quæ inde pendent introducitor, ut puta: citationum Inhibitionum, Compulsorialium, Mandatorum pœnalium, similiumque processuum. Item mandatorum provocatoriorum, Instrumentorum appellationum, Petitionum executorialium, Libellorum, Supplicationum, productionum actorum, & reproductionum eorundem, rotulorum examinum. Item si terminus ulterior actorum libellorumve productioni ob impedimentum incidens indultum fit,

2. Causæ novæ sine ordinariarum vel extraordinariarum discrimine, quavis audientia peragantor.

IDEM Aug. & Cæs. in Ord. part.3.tit.35.

3. Lite pendente, pro Citatione, Inhibitione, processibus, supplicator in novis, & proxima audientia peræque in novis contra altrinsecus agitor.

Imp. MAXIMILIANUS II. Aug. in Recess. Augustan. 1566.

4. Si qua in causa periculum moræ versabitur, desideria partium per supplicem libellum in novis porriguntor, matureque per judicem subscribuntor, sed fraude periculique postea falsitate deprehensa, Procuratores pœnam arbitrariam ferunto.

IDEM Aug. in Vis. 1567.

5. De calumnia jurator in novis.

6. Fiscali in novis agendi semper jus esto, Procuratores quoque vicissim si sint parati, in Novis contra agere, vel se excusare tenentor.

IDEM Aug. in Vis. 1568.

7. Paritionis articulus in pignerationum causis usque ad finem totus in novis pertractator.

8. De malitia in Novis jurator.

IDEM Aug. in Vis. 1564.

9. In mandatis sine clausula, termino excipiendi ad proximam sumpto, contumacia non agentis accusator in Novis.

Imp. *RVDOLPHVS II.* Aug. in Best. 1583. 3. Oct.

10. Nec eo nomine adversum subordinationis pœna excipitor.

IDEM Aug. in Best. 1585. 23. Aug.

11. Expensarum designationes in Novis exhibentor.

Imp. MAXIMILIANUS II. Aug. in Vis. 1564.

12. Præter ea, quæ inter Novas relata sunt, si quid in hac rogatione proferetur, arbitrarie punitor.

Imp. RVDOLPHVS II. Aug. in Bel. 1585. 7. Julij.

13. Ad vocalem partis unius conclusionem, altera cui nihil supererit, agendum in scriptis, consimiliter ad proximam in novis concludito.

IDEM Aug. in Conf. 1590.

14. Executionis articulus qua paritionem, non qualiquidationem contingit, totus in novis pertractator.

IDEM Aug. in Recef Ratispon. 1594.

15. Ad rogationem novarum & maxime paritionem in pignerationum similibusque causis pertinentia, atque etiam causales, etsi terminum statutum habuerint, ne in præfixis sub pœna arbitraria, sed Novis exhibentor.

IDEM Aug. in Proc. Mem. 1600.

16. Procuratores instante Fiscali, terminus causarum fiscalium in novis, non præfixis, sub præjudicio obeunto, sed pro partium remotarum necessitate quini senive menses, prorogationes etiam justis ex causis obtinento.

IDEM Aug. in Deput. Spirens. 1600.

17. Exceptiones declinatoriæ dilatoriæque sive solæ, sive eventualibus sociatæ, intra terminum agendi ad libellum, ai bitratu cujusque in novis vel præfixis proferuntor.

18. Expensarum tum designationes, tum & exceptiones in novis exhibentor: at sine justa specialique causa ne replicator.

TIT. CCLXXV.

De Rogatione præfixarum.

Imp. *CAROLVS V.* Aug. & *FERDINANDVS* Cæs. in Ordinat. part. 1. tit. 8.

1. Quibus in causis termino ordinationis effluxo alius petitus, obtentusve, vel ultro acceptus erit, in his tertia Rogatione, ordine à summo ad imum decurrente, agitor.

Imp. RUDOLPHUS II. Aug. in Recef. Ratisponenf. 1594.

Ordinat. part. 3. tit 8.

2. Diebus Sabbathi ab hora septima ad octavam coram Deputatis in præfixis agitor.

IDEM Aug. in Conf. 1600.

3. In mandatis cum clausula Exceptiones tantum ad novas, reliqua deinceps, nisi cum declaxando captivo, vel exequenda sententia agetur, ad præfixas extraordinarias pertinento.

S.

TIT. CCLXXVI.

De Salvo Conductu.

Imp. CAROLUS V. Aug. in Declarat. Pacis publ. 1548. cap. 16.

1. In danda fide publica, proscripti, pacifragique difertis semper verbis excluduntor.

2. Extra quam si ipsi sui purg. ndi, transigendive ergo adesse fide accepta jubeantur.

3. Verum hic voluntas adversariorum, & quidem omnium intervenito, qua deficiente, attamen ad locum conductum accessus recessusque tutus proscriptise sto.

Imp. FERDINANDUS Aug. in Recef. Augustan. 1559.

4. Quod cui in via publica damni per vim contigisse dicetur, præses, quive eam pacatam tutamque reddere debuerit receperitque, ex fide commeatus cautæque securitatis restituito.

Imp. MAXIMILIANVS II. Aug. in Rec. Spirens. 1570.

5. Subditos suos judicio Rotvvilensi avocaturi, fidem actori publicam contra vim, non contra jus dare tenentor.

TIT. CCLXXVII.

De Senatuum subscriptione.

Imp. CAROLUS V. Aug. & FERDINANDUS Cæs. in Ordin. part. 1. tit. 10.

1. Adsessores in certos Definitivarum Senatus describuntor, ceteri causis fiscalibus & interlocutionibus operam danto.

2. Referens & correferens eodem Senatu junguntor, seniores cum junioribus, iique diversæ Religionis permiscentor.

Imp. FERDINANDUS Aug. in Jud. Mem. 1562

3. Propinquitate vel Affinitate conjuncti, uno Senatu ne copulantor.

Imp. *MAXIMILIANVS II.* Aug. in Jud. Mem. 1568.

4. Seniores peritioresque & diligentiores in diversos Senatus disparantor.

Imp. RUDOLPHUS II. Aug. in Jud. & Adf. Mem. 1600.

5. Definitivarum Senatus quinque septenum, interlocutoriarum sex senum Adsessorum constituuntor. Residui vel subsidio qua erit opus, adsunto, vel supplicationibus interim Decretisque operam navanto.

TIT.

TIT. CCLXXVIII.

De Senatuum mutatione.

Imp. CAROLVS V. Aug & FERDINANDUS Cæs. in Ord. part. 1. tit. 10.

1. Senatus nisi sex vel novem Mensium, annive integri intervallo ne mutantor.

2. Qui definitive retulerit, interlocutorie referre paratus, ex difinitivarum in interlocutoriarum Senatum tantisper transfertor, hinc alius interim illuc in ejus locum subrogator.

TIT. CCLXXIX.

De Senatus habendi tempore.

Imp. CAROLUS V. Aug. in Visitat. 1550.

1. Senatus per omnes anni Menses à septimana matutina ad decimam habetor.

Imp. FERDINANDUS Aug. in Dep. 1557.

2. Feriarum tempore quotquot aderunt coram, ter hebdomatim, relationum causa conveninuto.

TIT. CCLXXX.

De Senatu pleno.

Imp. *CAROLUS* V. Aug. & *FERDINANDUS* Cæsar. in Ordinat. part 1. tit. 10.

1. Causas in pleno Senatu disceptari, nisi ex magna causa, & de sententia Adsessorum, Judex ne finito.

2. Legati ad Collegium, mandata sua inscriptis exhibento: sin coram agere de his jussi sint: in Senatu audiuntor, datoque responso dimittuntor.

Imp. FERDINANDUS Aug. in Deput. Spir. 1557.

3. Advocati & Procuratores à frequenti Senatu horis tamen vacuis, auditis suffragiis omnium, Nuncii à Judice Vicariove, parte Adsessorum & Præfecto recipiuntor.

IDEM Aug. in Camer. Mem. 1557.

4. Nullus Adsessorum sine voluntate Vicarii Senatui extraordinarie convocato: sed nec ipse citra legitimam causam, vel ad cujusvis nutum, plenum consilium cogito.

IDEM Aug. in Jud. Mem. 1562.

5. Consulta pleni Senatus privatis paucorum sollicitationibus subvertuntur neve labefactantor.

Imp. MAXIMILIANUS II. Aug. in Mem. 1571.

6. Judex Senatum plenum rarenter admodum habeto: Præses ejus voluntate, vel adhibitis aliquot Adsessoribus peritis, idem servato

7. Res deliberandæ rite & ordine proponuntor: suffragia paucis feruntor, nemo ab altero interrumpitor, omnes patienter audiuntor, majoris partis conclusio rata esto.

IDEM Aug. in Mem. 1572. 17. Maji.

8. Quæ pleni Senatus consultatione digna videbuntur, de his Judicis si sit ad urbem, prius sententia explorator, eidemque Senatus consultum postea refertor.

IDEM Aug. in Mem. 1572. 18. Maji.

9. Visitatorum commentarii in pleno Senatu, sub Adsessorum omnium præsentia recitantor, observantorque à cunctis.

10. Adsessoris è Senatu absentis, suffragium nullum esto.

Imp. RUDOLPHUS II. Aug. in Jud. & Adsess. Mem. 1577.

11. Plenum Senatum nec Præsides, nec Adsessores Judice in consulto habento, absentis, si propè sit, an interesse velit, voluntas cognoscitor.

12. Quæ per absentiam ejus gerentur, eidem postea renunciantor.

13. Exsini Protonotorius vel Notarius, consignandis suffragiis consultisque adhibetor.

14. Senatus plenus non nisi novis Adsessoribus, Procuratoribus, Cameralibus aliis adsciscendis, dimittundisve, literisve Cæsareis vel aliorum recitandis cogitor.

15. Etiam publica Imperii negotia, à Deputatis ex auctoritate Judicis deliberata ad plenum referuntor: breviterque & modestè à reliquis sententiæ dicuntor, citra interpellationem aut acerbitatem.

TIT. CCLXXXI.

De Sententiæ dictione.

Imp. CAROLUS V. Aug. in Visit. 1550.

1. In relationibus sententiisque dicendis scrupulositas nimia facessito: prolixiores semel iterumque frustra moniti, removentor.

2. Aker alterius rationes & argumenta ne repetito: novas si quas habebit, breviter subjungito, sin dissentiet ab aliis, suam sententiam quibus volet modis sine superfluitate adstruito.

Cameral. Mem. 57.

3. In sententiis dicundis inter seniores & juniores is caularum extraordinarium ordo servator, ne illis inauditis hi jam vicissè numero, & negocium decidisse videantur.

Imp. FERDINANDUS Aug. in Vis. 1559.

4. Sententiæ aliter ne dictantor, quam ut à Protonotariis, Notariis, Adsessoribus necessaria quæque excipi possint: Integram quisque manu propria domi exaratam, apud protocollum revisionis causa si volet deponito.

IDEM Aug. in Jud. Mem. 1560.

5. Relatione finita nemo sententiæ dictionem suo loco & ordine detrectato, neve in aliud tempus extrahito.

IDEM Aug. in Jud. Mem. 1563.

6. Absoluta relatione, si referens sententiam suam promere moretur: Judex adhibitis uno atque altero Adsessoribus trimestri id facere jubeto.

Imp. RUDOLPHUS II. Aug. in Jud. & adſ. Mem. 1585.

7. Post relationem, sententiæ nisi Protonotario Notariove in re præsenti quis quibus retulerit, quidque pluribus placuerit, perscribente, ne dicuntor.

Jud. & Adſ. Mem. 1600.

8. Sententiis latis omnes dehinc Referentes Correferentesve (utrorum opinio communi omnium, vel plerorumque adsensu prævaluerit) suffragia sua cum decidendi causis conscripta manu propria, & obsignata judici Vicariove exhibento. Hæc arce in archivo sub duplici clave à judice & primo adsessore custo ditæ injecta, non antequam articuli postea executionum, liquidationumve exegerint, adeunda inoxque eodem reponenda adservantor.

TIT. CCLXXXII.

De Sententiarum conceptione.

Imp. *CAROLUS* V. Aug. & *FERDINANDUS* Cæsar. in Ordinat. part 1. tit. 10.

1. Postquam de sententia definitiva, vel æquipollente ferundo convenerit, nemini nisi eadem rite concepta, relicta, libro inscripta, & à ferentibus subscripta, consurgendi abeundique licentia esto.

IDEM Aug. & Cæs. in Ord. part. 1. tit. 13.

2. Definitivis octoni, interlocutoriis quaterni, quini vel seni, supplicationibus & expensarum taxationibus terni quaternive Adsessores adhibentor. Si quid dubii inciderit; plures pro rei qualitate, vel omnes adjunguntor,

3. Si pares erunt opiniones, exve octo tres diversum justis de causis senserint, res ad Judicem & Adsessores reliquos refertor. Eorum arbitrio vel à pluribus Adsessoribus, vel alio Senatu, vel in pleno denique sub incudem revocator, atque ex integro deliberator, decisio ultima rata esto.

Imp. FERDINANDUS Aug. in Camer. Mem. 1560.

4. Atque hæc omnia eodem modo in causis ad Religionem spectantibus observantor.

Imp. CAROLUS V. Aug. & FERDINANDUS Cæs. in Ord. part. 3. tit. 47.

5. Sententiæ interveniente Adsessorum legitimo & definito numero confectæ, non minorem vim, quam si omnes adfuissent, habento.

6. Earumque auctoritati propter Judicis & Adsessorum quorundam absentiam, nihilum decedito.

Imp. FERDINANDUS Aug. in Mem. 1564.

7. In sententiis concipiundis vetus forma juxta stylum retinetor.

Imp. RUDOLPHUS II. Aug. in Jud. & Adſ. Mem. 1577.

8. Generaliter definitivis communibus seni, interlocutoriis terni solummodo quaternive Adsessores interveniunto, gravioribus plures, si referentes petant, admoventor.

IDEM Aug. in Conſ. 1583.

9. Super termino non his verbis: Läßt man es bey bewilliger Zeit bleiben. Sed ita: Iſt M. Zeit zugelaſſen vitandæ causa ambiguitatis pronunciator.

TIT. CCLXXXIII.

De Sententiarum voluminibus.

Imp. CAROLUS V. Aug. & FERDINANDUS Cæſ. in Ordin. part. 1. tit. 28.

1. Protonotarii librostres conficiunto, unto sententias Cameræ omnes de hinc publicandas simulque judicantium nomina, sed & in discrepantibus opinionibus decidendi causas & auctores comprehendunto. Hæ, fide jurejurando suo, in æternum, nisi Cæsare jubente, ne produnto

2. Alter exscriptas è libro superiore sententias contineto, ante publicationem, sub omnium præsentia recitandas.

3. Tertio publicatas cujusque anni sententias scribæ inserunto.

4. Hiin Tabulario libri adservantor.

Imp. FERDINANDUS Augin. Mem 1556.

5. In iis sententiæ definitivæ notis ab interlocutoriis discernuntor,

TIT

TIT. CCLXXXIV.

De Sententiarum publicatione.

Imp. CAROLUS V. Aug. & FERDINANDUS Cæs. in Ordin. part.3. tit.47.

1. Publicatio sententiarum apertis foribus celebrator, post deinde audientia præbetor.

TIT. CCLXXXV.

De Sententiarum alienarum executione.

Imp. CAROLUS V. Aug. & FERDINANDUS Cæs. in Ordin. part.2. tit.8.

1. Sententiam in causis spolij à delegatis ordinatione latam, si non sit appellatum, Camera perinde ac suam exsequitor.

TIT. CCLXXXVI.

De Sententiarum Cameræ executione.

Imp. CAROLUS V. Aug. & FERDINANDUS Cæs. in Ordin. part.3. tit.48.

1. Victrici in Camera parti executoriales contra adversarium, sub pœna partim victori, partim fisco infereuda decernuntor: in termino de paritione docetur.
2. Id ni fiat, petenti executoriales arctiores sub pœna banni, cum citatione ad videndum se proscribi, vel causas allegandum, cur id fieri non sit æquum, communicantor.
3. Si in termino causæ probabiles adferentur, his contradicendi in scriptis eadem vel proxima audientia jus esto: sed mox, nisi ex magna causa certum tempus indulgeatur, sententia refertor.
4. Si nec paritum, nec justæ causæ prolatæ fuerint, quanto primum ad pœnarum bannique declarationem, cum damnis & expensis devenitor.

TIT. CCLXXXVII.

De Sessione.

Imp. *MAXIMILIANUS II.* Aug. in Recef. Spirens. 1570.

1. De sessione controvertentes Ordines, quibus sui sunt ex conventione Judices, coram iis ad causæ conclusionem procedunto, cognitionemque deinde Cæsaris expectanto.
2. Cæteri coram Cæsareo tribunali Aulico querelam proponunto, causæque merita ternis in universum scriptis pandunto, tum quod Cæsar pronunciaverit, ratum esto.
3. Statibus quoque nullam dum Imperii Comitiis sessionem sortitis, idem Cæsar circa Imperij alteriusve præjudicium de loco opportuno prospicito.
4. Interea sua quisque quasi possessione utitor.

TIT. CCLXXXVIII.

De Stylo Cameræ.

Imp. MAXIMILIANUS. II. Aug. in Recef. Spirens. 1570.

1. Stylus Cameræ, & mox vetus probusque, tum in processibus decernendis, tum decidendis causis immutabilis retinetor.

Imp. FERDINANDUS Aug. in Mem. 1562.

2. Eum scripto comprehensum adsessores longo usu exercitati junioribus tradunto.

Imp. *MAXIMILIANVS II.* Aug. in Mem. 1570. 23. Maji.

3. Hi vicissim ab illis addiscunto.

TIT. CCLXXXIX.

De submissionum forma.

Imp. CAROLUS V. Aug. & FERDINANDUS in Ord. part.3. tit.26.

1. Super exceptionibus dilatoriis, vel competentia judicis sine mandato sufficienti, ne submittitor.

IDEM Aug. & Cæs. in Ord. part.1. tit.11.

2. Si temere protocollo non perspecto submiserint, in expensas moræ de suo solvendas, nec imputandas partibus condemnantor.

IDEM Aug. & Cæs. in Ord. part.1. tit.23.

3. Idque ipsum severe Judex vindicato.

Imp. FERDINANDUS Aug. in Mem. 1556.

4. In submissionibus submittendi causæ in specie exprimuntor.

Imp. RUDOLPHUS II. Aug. in Bef. 1579. 6. Jul.

5. Nec occasione termini prædudicialis superflue, nec super mandatis Procuratorum conditionaliter submittitor.

IDEM Aug. in Bef. 1590. 7. Jul.

6. Submissiones temere, maximeque si certamen cernatur de uno alterove mense, cujus facilis sit futura in prorogatione ulteriore reparatio, ne confiunto.

IDEM Aug. in Deput. Spir. 1600.

7. Mortuo post submissiones factas Procuratore, eas successor simpliciter repetito, tempus si petet, negator, & tam super ejus pœna, quam ipsis submissionibus pronunciator.

TIT. CCXC.

De Submissionum decisione.

Imp. CAROLUS V. Aug. & FERDINANDUS Cæs. in Ordin. part. 1. tit. 11.

1. Submissionibus in articulo dilationum, aliisque similibus, quæ citra protocolli inspectionem expediri possunt Judex è vestigio viva voce interloquitor.

IDEM Aug. & Cæs. in Ord. part. 1. tit. 13.

2. Leves submissiones uno die profligantor: graviores ultra unam alteramve hebdomadam integrumve mensem, sine speciali judici expressa causa ne protrahuntor.

3. Definitivæ semestri post factam conclusionem finiuntor, vel impedimenti causæ judici exponuntor.

IDEM Aug. & Cæs. in Ord. part. 3. tit. 16.

4. Super Commissariis interlocutiones maturantor.

Imp. FERDINANDUS Aug. in Jud. & Adf. Mem. 1557.

5 Submissiones leves, interdum prorogationes, dilationesque probatoriæ, postridiæ statim protocollo, nec dum completo, vel à judice cum duobus minimum Adfessoribus diriminntor.

6. Sin dilationum prorogationumve documenta petantur, judicis jussu è Cancellaria impertiuntor.

IDEM Aug. in Jud. & Adf. Mem. 1557.

7. Potissimum autem in causis privilegiariis submissionum ejusmodi cognitio reprælectantor.

IDEM Aug. in Deput Spir. 1557.

8. Parte adversa in Commissarios, commissionemque & primam dilationem consentiente, Judex in convenienti viva voce interloquitor, decretumque fundandæ causa Commissariorum jurisdictionis interponito.

Imp. MAXIMILIANUS II. Aug. in Mem. 1572.

9. Citatio ad reassumendum, in stantia durante, voce petita, nemine què contradicta, pro tribunali illico decernitor.

TIT. CCXCI.

De Successione.

Imp. MAXIMILIANUS II. Aug. in Ord. Cam. 1500. cap. 19.

1. Nepotes neptesque avis suis in patris matrisve locum, cum eorundem fratribus & sororibus simul succedunto: Contrariis consuetudinibus penitus abrogatis.

Imp. CAROLUS V. Aug. in Recef. Wormat. 1521.

2. Fratrum sororumq; liberi, cum defuncti fratribus & sororibus simul succedunto in stirpes: consuetudinibus huic legi repugnantibus antiquatis.

IDEM Aug. in Recef. Spirenf. 1529.

3. Consobrini, Patrueles, Amitini, nullo existente defuncto proximiore, ejus ad se delatam hereditatem ab intestato, partiuntor in capita: contrariæ consuetudines facessunto.

TIT. CCXCII.

De Supplicum libellorum forma.

Imp. *CAROLUS* V. Aug. & *FERDINANDUS* Cæs. in Ordinat. part. 1. tit. 22.

1. Appellatione viva voce interposita, supplicatio pro processibus sententiæ latæ qualitates, & summam privilegio conformem exprimito.

2. Tutorum, heredum, consortium, quique processibus sunt comprehendendi, nomina in libello supplice eduntor in executionem ne rejiciuntor.

3. Pro ferenda sententia libello supplicator, & quid, qua in causa, quando submissum sit, paucis recenseter.

Imp. FERDINANDUS Aug. in Mem. 1550.

4. In supplicationibus pro decretis, non solum submissionis conditio tempusque inseritor, sed & foris superscribitor.

IDEM Aug. in Jud. & Adf. Mem. 1557.

5. Informes vitioseve descriptas supplicationes procuratores emendanto.

IDEM

IDEM Aug. in Proc. Mem. 1557.

6. In Appellationum causis libelli supplices diem latæ sententiæ formamque continento.

Imp. MAXIMILIANVS II. Aug. in Recess. Augustan. 1566.

7. Atque appellatos in specie omnes sub pœna arbitraria exprimunto.

Imp. FERDINANDUS Aug. in Proc. Mem. 1560.

8. Si supplicationes exhibebuntur informes, ipsi pro erroris qualitate Procuratores mulctantor.

TIT. CCXCIII.

De Supplicationum subscriptione.

Imp. CAROLUS V. Aug. & FERDINANDUS in Ord. part. 3. tit. 12.

1. Supplices libelli pro citatione, nomine alieno porrigendi, ab Advocato seu Procuratore jurato subscribuntor.

IDEM Aug. & Cæs. in Ord. part. 1. tit. 22.

2. Procuratores Supplicationes partium absentium nomine ne exhibento; sed semet subscribunto: Partes si adsint, ipsæ si volent exhibento.

Imp. FERDINANDUS Aug. in Mem. 1556.

3. Supplices alii ve libelli non scripti, Procuratoribus punitis rejiciuntor.

TIT. CCXCIV.

De Supplicationum exhibitione.

Imp. CAROLUS V. Aug. & FERDINANDUS Cæs. in Ordin. part. 1. tit. 22.

1. Supplices libelli in eum duntaxat Scuatum, cui ipse judex præerit, non ceteros exhibentor.

2. Si post unam plureve repulsas denuo supplicabitur, posteriori priores supplicationes, cum inscriptis decretis eorum ve exemplis junguntor.

3. Cum supplicationibus mandata simul procuratoria, mandarive documentum profertor, vel de rato cavetor.

4. Lite pendente nisi pro ferenda sententia ne aliter quam judicialiter supplicator.

Imp. FERDINANDUS Aug. in Camer. Mem 1557.

5. Supplicationes non Adlessoribus, sed judici Præsidibusve in manus traduntor.

Imp. *MAXIMILIANUS II.* Aug. in Jud. & Adss. Mem. 1576.

6. Ne aliter quam inscripto oblationis die exhibeantur, Judex & Præsides animum advertunto.

Imp. *RUDOLPHUS II.* Aug. in Proc. Mem. 1587.

7. Pro confirmatione Tutorum non in judicio, sed extra judicialiter in Senatu supplicator.

IDEM Aug. in Deputat. Spir. 1600.

8. Supplicationes Senatui geminæ semper exhibentor: singulæ priusquam è Tabulario recipiantur, sed & adjunctorum (si jubeantur) documentorum exempla, in eodem relinquuntor.

TIT. CCXCV.

De Supplicationum custodia & distributione.

Imp. MAXIMILIANUS II. Aug. in Mem. 1572.

1. Supplicationibus condendis & promendis arca in curia parata esto, distributioni Notarius adesto, referentiumque nomina adnotato.

Imp. RUDOLPHUS II. Aug. in Jud. & Adss. Mem. 1579.

2. Supplicationes disjectæ in curia mensisque ne relinquuntor, arcæ includuntor, inde referentibus distribuuntor. Nemini nisi de voluntate Judicis vel Vicarii, adsistente Notario, domum deferendi facultas dator.

IDEM Aug. in Mem. 1595.

3. Pridianæ supplicationes ne in Sabbathinarum Senatibus, verum in mensa decretorum expediendæ distriduuntor.

IDEM Aug. in Proc. Mem. 1600.

4. Supplicationes cum inscriptis decretis in Tabulario pro formandis præsidibus detinentor, Decretorum nuda petentibus exempla conferuntor.

TIT. CCXCVI.

De Supplicationum expeditione.

Imp. CAROLUS V. Aug. & FERDINANDUS Cæs. in Ordin. part. 1. tit. 10.

1. Supplicationes similiaque alia interea dum sententiæ conficiuntur, ne tractantor, sed suo tempori reservata, tum sine mora expediuntor.

IDEM Aug. & Cæs. in Ord. part. 1. tit. 14.

2. Qui recitatis sententiis, ex audientia recedunt, supplicationibus operam danto: si desint expensas taxanto, aliasve submissiones leviores referunto.

IDEM Aug & Cæſ.in Ord.part.3.tit.35.

3. Supplicationibus in novarum ordine porrectis, & contradictis, Decretum, ut longiſſime altera ſequenti audientia fertor.

Imp. RVDOLPHVS II. Aug. in Mem.1595.

4. Abſuturi ad tempus Adſeſſores, ſupplicationes apud ſe reſiduas ante abitum abſolvunto: aut ſi res non feret; judici Vicariove inter alios diſtribuendas reſtituunto.

Imp. FERDINANDUS Aug.in Præſ.Mem.1557.

5. Supplicationes è Senatu in Tabularium delatæ, ſine præfecti, cove abſente, Protonotariorum ſcitu, ſubſtitutis ne reſtituuntor.

IDEM Aug. in Mem. 1559.

6. In rebus dubiis & intricatis juniores minusque exercitati adſeſſores, erroris contrarietatiſque avertendæ cauſa, ſupplicibus libellis non ante ſubſcribunto, neu decreta conficiunto, quam ſententiam ſenicrum ea de re cognoverint.

IDEM Aug. in Jud.& Adſ Mem.1562.

7. In ſupplicationum etiam aliisque decretis conſultandis ſeniores junioreſque adſeſſores permiſcentor.

IDEM Aug. in Mem. 1563.

8. Supplicationes ſi quando abundaverint copioſius, per Senatus quoque, ſed circa mediam decimam, niſi cauſæ gravitas aliud exegerit, in manus ſumuntor.

Imp. *MAXIMILIANVS II.* Aug. in Jud. & Adſ. Mem. 1576.

9. Notarii ſupplicationes inexpeditas, Referentesque earum diebus Sabbathorum ex indice ſuo judic. produnto, isque cauſam moræ cognoscito & emendato.

Imp. RVDOLPHUS II, Aug. in Jud.& Adſ.Mem.1584.

10. Supplicationes pro proceſſibus domum ne asportantor, verum illico ſub audiendis Præſide præſente expediuntor.

TIT. CCXCVII.

De Syndicatu.

Imp.CAROLUS V.Aug.& FERDINANDUS Cæſ.in Ordin. part.3 tit.53.

1. Si judicantium dolus, corruptiove, aut adfectus arguetur, exve actis elucebit, victor prætet Reviſionis beneficium, Syndicatus etiam remedio contra judices experitor.

2. Petendi indicendique Syndicatus eadem quæ in Reviſione forma ſervator.

TIT. CCXCVIII.

De Termino ordinationis.

Imp. CAROLVS V.Aug & FERDINANDUS Cæſ.in Ord. part.3. tit.6.

1. Qui ſine termini adjectione proferre quippiam jubetur, ei terminus ordinationis præſtitutus intelligitor.

Imp. MAXIMILIANVS II. Aug.in Beſ.1573.22.Junii.

2. Ordinationis terminus in cauſis extraordinariis decima, in ordinariis viceſima dies eſto.

3. Extra quam ſi quis ad agendum eadem vel proxima audientia teneatur.

IDEM Aug.in Receſ. Spirenſ. 1570.

4. Ordinationis terminum citra ſubmiſſionem pro finali quiſque obtineto, eoque lapſo, dilatio arbitraria, cum commination præjudiciali dator.

5. Ubi tamen in continenti voce concludere ordinatio jubet, ea parte intacta maneto.

IDEM Aug. in Receſ. Ratiſpon.1576.

6. Vel tempus ipſe Procurator præjudicialiter æque concedito.

TIT. CCXCIX.

De Termino præjudiciali.

Imp.RVDOLPHVS II. Aug.in Beſ.1577.3.Junij.

1. In locum termini ordinationis Procuratores dehinc præjudicialis termino, uſque dum aliud ſtatuatur, utuntor.

IDEM Aug. in Rec.Ratiſpon,1594.

2. Termino finali penitus in Camera exploſo præjudicialis dehinc perpetuum obtineto.

TIT. CCC.

De Termino ad proximam.

Imp.FERDINANDUS Aug.in Jud.& Adſ. Mem. 1557.

1. Tempus ad proximam fruſtrandi cauſa ne petitor,

Imp.

IMP. RUDOLPHUS II. Aug. in Bef. 1577. 5. Jul.

2. Contumacia acausata incontinenti agitor, nec ad proximam dilatio sub pœna arbitraria petitor.

IDEM. Aug. in Proc. Mem. 1577.

3. Ad proximam, præterquam quibus id casibus per ordinationem licuerit, dilatio sub pœna ejusdem ne postulator.

TIT. CCCI.

De Terminorum petitione.

Imp. *CAROLUS* V. Aug. & *FERDINANDUS* Cæs. in Ordin. part. 3. tit. 6.

1. Termino ordinationis justo angustiore, longiorem in continenti petere fas esto.
2. Decreto ad probandum admissi, terminum ad id petendi jus habento.

Imp. *RUDOLPHUS II.* Aug. in Bef. 1580. 20. Jul.

3. Prorogatio prorogationis, vel ejus vicem novus terminus, sine probatione justæ causæ, sub pœna arbitraria ne petitor.

IDEM Aug. in Bef. 1582. 28. Maji.

4. Omnibus in causis tempus pro termino simul terminique prorogatione petitor & concreditor. postea ulterius tempus sine probatione impedimenti ne postulator.

IDEM Aug. in Mem. 1586. ad dub. Colleg.

5. Si quis dato termino longiorem è vestigio petat, in arbitrio esto judicis vel concedere; vel fraude detecta punire.

6. Termini per substitutos obtenti, invito adversario revocatio, petitione longioris, nisi justo errore probato ne esto.

IDEM Aug. in Deput. Spir. 1600.

7. Procuratores nec ulterioribus reservatis aut per silentium à termini petitione abstinento, nec proximam vel secundam petitam infecta re transmittunto, causas juxta primam inscriptionem prælato semper nomine impetrantis recte distinguunto, frustrationes, actionesque aliæ prohibitæ & ex arbitrio puniendæ, adsidue à referentibus protocollisque inspectoribus sedulo observantor.

8. Termino præjudiciali effluxo, novus quæcunque tandem causa vel subsit, vel etiam doceatur, ne petitor.

TIT. CCCII.

De Terminorum concessione negatione vc.

Imp. FERDINANDUS Aug. in Camer. Mem. 1557.

1. Termini obtentu transactionis fictæ petiti, negantor.

Imp. *CAROLUS* V. Aug. & *FERDINANDUS* Cæs. in Ordin. part. 3. tit. 32.

2. Lite contestata appellanti, vel si is concluserit, appellato terminus concreditor.

IDEM Aug. & Cæs. in Ord. part. 3. tit. 38.

3. Ordinatione præscripti termini pro diversitate rerum, personarum, causarum temperantor, scripta quoque majori, sed certo, & utrique parti æquali numero, Cameræ arbitrio admittuntor, eoque etiam nomine jusjurandum exigitor.

Imp. *MAXIMILIANUS II.* Aug. in Recef. August. 1566.

4. Nullus Procuratorum in terminum longiorem quam ordinatio Judexve præfinierit sive in judicio seu extra consentito.

IDEM Aug. in Recef. Ratispon. 1576.

5. Termini petiti & altrinsecus cum præjudicii commination concessi, hac lege sub ordinationis pœna acceptantor.

IDEM Aug. in Jud. & Adf. Mem. 1575.

6. Hisque citra prorogationem actionemque effluxis, super præjudicio dehinc pronunciator.

Imp. RUDOLPHUS II. Aug. in Bef. 1577. 5. Jun.

7. Tam pro primo termino, quam prima ejusdem prorogatione, tempus justum, pro causæ, articuli, loci ratione, aliisque circumstantiis, ipsi cum præjudicio Procuratores ultro citroque capiunto concedunto que.

IDEM Aug. in Jud. & Adf. Mem. 1578.

8. Procuratores terminos cum præjudicii periculo invicem concedunto capiunto que, nec eo nomine sub pœna arbitraria submittunto.

IDEM Aug. in Recef. Ratispon. 1594.

8. Terminus concessus à Procuratoribus sine submissione sub ordinationis pœna acceptator, perindeque ac si præjudicialiter præfixus esset, obtineto, idque tum in primo termino, tum primis prorogationibus locum habeto.

10. Si de tempore certatum, submissumque fuerit, idoneum pro causæ, loci, aliarumque considerationum diversitate præstituitor.

IDEM Aug. in Deputat. Spir. 1600.

11. Procuratore post terminum, sed ante ordinem suum defuncto, successori ejus pro novo termino breve tempus petenti conceditor.

12. In mandatis sine clausula, præter diem citatione dictam, tempus ulterius pro termino vel prorogatione, sine probabili causa, idque ipsum unius alteriusve, vel ad summum quatuor aut quinque mensium ne dator, sed nec a procuratoribus invicem petitor aut conceditor.

13. Ad supplicationes pro processibus judicialiter exhibitas, tempus arbitrarium, nec tamen plus alterum tertiumve mensem, nisi partibus longe remotis conceditor, nec cognitio alia, quam si judicis informatio extrajudicialiter intervenisset, adhibetor.

14. Commissione ad memoriam in judicio petita, amplius 14. dies, vel alterum tantum procuratores invicem ne concedunto, neu postulanto, si faxint, multantor. At Judici pro rei usu, plus minusve distantia arbitrii libertas esto.

TIT. CCCIII.

De Terminorum præfixione.

Imp. CAROLUS V. Aug. & FERDINANDUS Cæs. in Ordin. part. 3. tit. 6.

1. Si instrumenta, literas, mandata, alia, proferre procuratores decreto jubeantur, terminus simul præfigitor.

IDEM Aug. & Cæs. in Ord. part. 3. tit 16.

2. Probandis articulis negatis terminus arbitrarius præstituitor.

IDEM Aug. & Cæs. in Ord. part. 3. tit. 31.

3. Appellato actis communicatis, iisdem reproducendis dies præfinitor.

Imp. RUDOLPHUS II. Aug. in Jud. & Adf. Mem. 1578.

4. Citationibus procul insinuandis, termini a præfecto ne nimium breves, sed de sententia judicum longiusculi constituuntor.

5. Omnibus perpetuo decretis certus terminus continetor.

IDEM Aug. in Conf. 1583.

6. Fatalibus in feriis desituris, cum alioqui justum reproductioni tempus suppeteret, dies ad comparendum prima post ferias juridica ne sub conditione, sed pure præstituitor.

IDEM Aug. in Jud. & Adf. Mem. 1585.

7. In terminis adsignandis, ne procul remotæ partes ab actis priorum instantiarum inferendis tempore excludantur, præcavetor.

TIT. CCCIV.

De Terminorum prorogatione.

Imp. MAXIMILIANUS II. Aug. in Proc. Mem. 1575.

1. Termino præjudiciali per decretum semel prorogato, probatio ulterior sine submissione ne indulgetor.

Imp. RUDOLPHUS II. Aug. in Extr. Mem. 1578.

2. Etiam terminus cautionis procuratoriæ, justis causis prelatis probatisque prorogator.

IDEM Aug. in Proc. Mem. 1581.

3. In causis & articulis privilegiatis, prorogationum tempora breviora poscuntor.

IDEM Aug. in Conf. 1585.

4. Terminorum dies ultima: cetera utilis, quoad prorogationes continua censetor.

IDEM Aug. in Rec. Ratispon. 1594.

5. Prorogationes prorogationum citra Judicis cognitionem ne conceduntor, adeoque nisi probatis justis causis, nec hæ, nec harum loco novi termini sub pœna arbitraria petuntor.

TIT. CCCV.

De Terminorum cursu lapsuque.

Imp. MAXIMILIANUS II. Aug. in Jud. & Adsess. Mem. 1562.

1. Termino præjudiciali lapso, procuratoribus primo suo ordine, ante alias omnes cessus agere integrum esto.

IDEM Aug. in Proc. Mem. 1575.

2. Terminus non nisi a die factæ in Cancellaria Attestationum, Documentorumque copiæ computator, hactenus tamen, si de diligentia procuratorum in iis petendis, ex Protonotariorum relatione constet.

IDEM Aug. in Proc. Mem. 1576.

3. Procuratores attestationum copias e Cancellaria petentes, schedis diem adscribunto, earum deinde exempla pro sui excusatione edunto: aliter post termini finem ne audiuntor.

Imp.

Imp. RUDOLPHUS II. Aug. in Jud. & Adf. Mem. 1580.

4. Termini præjudiciales communiter prorogationes utiliter cadere intelliguntor.

IDEM Aug. in Besc. 1580. 20. Jul.

5. Ea causa sine protestatione Procuratores si non ipso termino, at primo suo ordine post agunto.

IDEM Aug. in Conf. 1585.

6. Terminus petitus nec dum impetratus nihilominus à die petitionis decurrito.

IDEM Aug. in Bescheid. 1585. 7. Jul.

7. Termini morte Procuratoris adversi incidente non cominus fluunto, ac intra eosdem, simulac novus Procurator subierit, primo ordine, quod conveniet, sub præjudicio peragitor, novus eo nomine terminus sub ordinationis pœna, ne petitor.

IDEM Aug. in Bescheid. 1583. 3. Octob.

8. Prorogatio petita, ac per sententiam postea concessa, nec à die petitionis nec lati decreti computator, sed cum fine termini prorogati continuator.

IDEM Aug. in Bescheid, 1585. 23. Aug.

9. Submissione super termino pendente, tempus à die petitionis currito, & intra spacium sive petitum, sive postea per sententiam contractum, sub præjudicio agitor.

IDEM Aug. in Conf. 85.

10. Termini in novis juxta & præfixis utiliter exeunto.

TIT. CCCVI.

De Terminorum præjudicio.

Imp. *CAROLVS* V. *Aug.* & *FERDINANDVS* Cæs. in Ordin. part. 3. tit. 15.

1. Respondere per sententiam jussus, ni paruerit, articuli pro confessis habentor.

Imp. FERDINANDUS Aug. in Visit. 1556.

2. Litis contestatione, vel conclusione in termino prætermissa, utraque pro facta acceptator.

Imp. MAXIMILIANUS II. Aug. in Proc. Mem. 1575.

3. Res transactæ partesve mortuæ, aut concordiæ tentatæ ut præjudicium labentis termini devitetur, non modo allegantor, sed una per literas, aliisve modis probantor.

Imp. *RUDOLPHUS II. Aug.* in Jud. & Adl. Mem. 1578.

4. Alio pacto procuratores pœnam ne vitanto.

IDEM Aug. in Bescheid. 1579. 6. Julii.

5. Procuratores inter se colludunto, neu post lapsum termini agentem admittunto.

IDEM Aug. in Jud. & Adf. Mem. 1580.

6. Agenda in eventum ni simul & semel proferantur, omnium prætermissorum pœna præjudicialis esto.

IDEM Aug. in Conf. 1583.

7. Termino agendi ad libellum effluxo, contra contumaciter absentem, lis tantum pro contestata, admissis ulterioribus acceptator, defensionalium via ne præcluditor.

IDEM Aug. in Deput. Spir. 1600.

8. Decedente intra terminum ad articulos respondendi Procuratore, pars post citationem ad reassumendum absens pro confessa ne habetor.

TIT. CCCVII.

De Terminorum obitione.

Imp. *CAROLVS* V. Aug. & *FERDINANDVS* Cæs. in Ordin. part. 3. tit. 12.

1. Procuratores ante Citationis terminum in judicio de diligentia suo ne protestantor: sed eò expectato, tum demum, quod usus erit, agunto.

2. Idem citati faciunto, nisi de termino citationis incerti, adversario non comparente, ipsi diem adesse probabiliter suspicentur.

IDEM Aug. & Cæs. in Ord. part. 3. tit. 37.

3. Terminorum tempora exacte servantor, atque etiam in causis jam introductis anticipantor.

Imp. RUDOLPHUS II. Aug. in Besc. 1579. 6. Jun.

4. Citationum termini certo cogniti ne præoccupantor.

5. Intra prorogationis petitæ tempus, etiam non expectata Judicis interlocutione, ultro Procuratores agunto.

IDEM Aug. in Recess. Ratispon. 1594.

6. Procuratores ipso obtento termino, primo ve suo ordine, quod agent agunto, nec id verbis frustra præmonento, aut pœna arbitraria luunto.

7. Parati tamen, etiam ante diem agere occupanto: ni faciant, terminus pro purificato habetor.

TIT. CCCVIII.

De Termino primo proponendis,

Imp. *CAROLVS* V. Aug. & *FERDINANDVS* Cæs. in Ordinat. part. 3. tit. 12.

1. In termino Citatione præfinito, actor comparato, processus executos, sine nomine exequentis reproducito, simul libellum & (si Procurator sit) mandatum paucis verbis exhibeto.

IDEM Aug. & Cæs. in Ord. part. 3. tit. 31.

2. In causis appellationum eadem omnia, ac præterea instrumentum appellationis, una cum prioris instantiæ actis producuntor.

3. Hæc omnia literarum notis distincta designantor, contenta ne repetuntor.

4. Actis necdum obtentis, quam cito ea se Judex editurum recepetit, documento demonstrator, vel compulsoriales saltim hoc termino petuntor.

5. Id nisi fiat, nec justi impedimenti causæ adferantur, appellatus si petet, sine cunctatione à Citatione absolvitor.

6. Si loco actorum documentum vel compulsoriales duntaxat reproducentur: libellum edere nisi communicatis actis nemo tenetor.

7. Hoc termino Appellato tempus actorumque describendorum copia conceditor, & Reproductioni terminus statuitor.

IDEM Aug. & Cæs. in Ord. part. 1. tit. 17.

8. In primo processuum monitoriorumque Fiscalium termino, vel de paritione docetor, vel causæ quare non, allegantor, sine ulteriori dilatione.

Imp. RUDOLPHUS II. Aug. in Bes. 1593. 30. Mart.

9. Citati primo termino adsunto, ad proximam, similesque moras ne petunto; alioqui postulanti adversario proclama decernitor.

IDEM Aug. in Recess. Ratisponens. 1594.

10. In mandatis cum clausula primo termino, non actor libellum, sed Reus causas exhibere, cur parere teneatur, necesse habeto.

IDEM Aug. in Bes. 1593. 13. Decemb.

11. Hoc termino instrumenta appellationum reproducuntor, & in interlocutoriis loco libelli viva voce repetuntor.

TIT. CCCIX.

De Termino secundo peragendis.

Imp. *CAROLVS* V. Aug. & *FERDINANDVS* Cæsar. in Ordinat. part. 3. tit. 13.

1. Secundo termino reus ni exceptiones dilatorias opponat, litem contestari, & libello respondere tenetor.

2. Hoc etiam termino vel postea quandocunque petetur, de calumnia jurator.

3. Actor deinde libellum suum articulatum loco articulorum repetito.

4. Si Reo sint exceptiones declinatoriæ, aliæve ante litis contestationem opponendæ, hoc termino proferuntor.

IDEM Aug. & Cæs. in Ord. part. 3. tit. 24.

5. Et omnes quidem simul, eodemque libello, & articulatim.

IDEM Aug & Cæs. in Ord. part. 3. tit. 32.

6. Exceptiones contra appellationis formam vel devolutionem, aliæve dilatoriæ hic exhibentor, vel libello respondetor, iisque pure contestator.

7. Ac tum confestim jusjurandum calumniæ, etsi jam ante in prima instantia juratum, Parte altera vel ambabus petentibus præstator.

Imp. MAXIMILIANUS II. Aug. in Recess. Augustan. 1570.

8. In appellationibus ab interlocutoriis simplicibus, Appellatus exceptionibus contra formam appellationis devolutionemve, aliisve dilatoriis, in eventum litis contestationem semper adjecto.

9. In certis si gravamina articulata fuerint exhibita, appellatus suis contra devolutionem, formaliave, aliisve dilatoriis exceptionibus, præter eventualem litis contestationem, etiam exceptiones contra gravamina, & in eventum responsiones, & defensionales aliudve quidvis horum loco adnectito, eadem & exceptionibus omissis præstato.

10. Sin libellus editus fuerit summarius: extra responsiones, reliqua jam dicta omnia proferuntor.

11. Ac tum deinde in utroque puncto, Exceptionum & Eventualis actionis junctim porro proceditor.

Imp. RUDOLPHUS II. Aug. in Recess. Ratisponens. 1594.

12. In causis simplicis querelæ, libello exhibito, Reus altero termino litem contestatur, vel in eventum si simul exceptiones eam impedientes opponantur, vel sine iis, pure,

13. Cete-

13. Ceterum libello per sententiam admisso, tum demum articulis, si sint, respondetor, defensionalesque adduntor.

14. In appellationum causis, prius decisa rata sunto.

15. In utriusque, si exceptionum prædictarum una pluresve, vel omnes hoc termino prætermittantur, post id locum amplius ne habento, sed hoc ipso termino lite contestata, vel in contumaciam pro contestata acceptata, porro ex præscripto Ordinationis proceditor.

TIT. CCCX.

De *Termino tertio.*

Imp. *CAROLUS* V. Aug. & *FERDINANDUS* Cæsar. in Ordinat. part 3. tit. 14.

1. Tertio termino additionales si opus sit proferuntor.

IDEM Aug. & Cæs. in Ord. part. 3. tit. 25.

2. Verum in puncto exceptionum dilatoriarum, vel respondetor, vel replicator.

IDEM Aug. & Cæs. in Ord. part. 3. tit. 33.

3. In appellationum causis si nec novi quidquam allegare, nec prius allegata probare velint; appellans hoc tertio termino, articulis actisve repetitis, vel voce vel scripto concludito, atque omnia finitu producito.

4. Idemque appellatus vel in instanti, vel termino proximo facito, ulteriora scripta locum ne habento.

TIT. CCCXI.

De Termino quarto.

Imp. CAROLUS V. Aug. & FERDINANDUS Cæs. in Ordin. part. 3. tit. 15.

1. Quarto contra articulos excipitor, iisve respondetor, tum & defensionales & peremptorii articuli producuntor.

2. Juramentum articulorum hinc vel inde petitum præstator, ejusque vigore articuli vel responsiones repetuntor.

3. Commissarii, si videtur, post nlantor.

Ordin. part. 3. tit. 26.

4. In puncto exceptionum dilatoriarum, vel articuli probantor, vel replicatoriis respondetor, duplicatorve, & super duplicis concluditor.

TIT. CCCXII.

De Termino quinto.

Imp. CAROLUS V. Aug. & FERDINANDUS Cæs. in Ordin. part. 3. tit. 16.

1. Commissarii, si non ante factum, coram Deputatis petuntor.

2. Si probatione non opus erit, uno scripto totius causæ merita discutiuntur, eodemque hoc termino concluditor.

IDEM Aug. & Cæs. in Ord. part. 3. tit. 28.

3. Articulis defensionalibus sive peremptoriis vel respondetor, vel replicator.

TIT. CCCXIII.

De Termino sexto.

Imp. CAROLUS V Aug. & FERDINANDUS Cæs. in Ordin. part. 3. tit. 17.

1. Probatorio termino effluxo, publicatio attestationum primo ordine petitor, instrumenta & jura offeruntor: tempus adversario, ni concludere in continenti malit, conceditor.

IDEM Aug. & Cæs. in Ord. part. 3. tit. 29.

2. In puncto defensionalium articuli vel probantor: vel replicatoriis respondetor, negatorumque probandorum facultas dator, vel contra duplicationem triplicator, atq; hinc inde concluditor.

TIT. CCCXIV.

De Termino septimo.

Imp. CAROLUS V. Aug. & FERDINANDUS in Ord. part. 3. tit. 18.

1. Probationes exhibitæ, hoc termino à die communicatarum copiarum dinumerando, oppugnantor.

2. Hunc in finem scribæ petitarum, traditarumque diem adnotanto, expeditionem tum Procuratoribus, tum Protonotariis significanto, eam rem, cum usus erit, attestaturis.

TIT.

TIT. CCCXV.

De Terminis reliquis.

Imp. CAROLUS V. Aug. & FERDINANDUS Cæſ. in Ordin. part. 3. tit. 19.

1. Terminus octavus replicationi, omniumque productioni dicatur.

IDEM Aug. & Cæſ. in Ord. part. 3. tit 20.

2. Nono duplicator.

IDEM Aug. & Cæſ. in Ord. part. 3. tit. 21.

3. Decimo concluſio ſcripta exhibetor.

IDEM Aug. & Cæſ. in Ord. part. 3. tit. 22.

4. Undecimo idem altrinſecus factitator, vel voce concluditor.

TIT. CCCXVI.

De Terminorum circumductione.

Imp. *CAROLUS* V. Aug. & *FERDINANDUS* Cæſ. in Ordinat. part. 3. tit. 12.

1. Si neutra parte primo Citationis termino præſente, actor deinde (ſecunda vel tertia juridica) compareat, & Reopetente cauſas emanſionis exponat: tum non ſecus quam ipſo termino auditor.

2. Si plures [tribus] juridicis effluxerint, nemine comparente: terminus circumductus, & Citatio caſſa eſto.

Imp. MAXIMILIANUS. II. Aug. in Recef. Auguſtan. 1566.

3. In cauſis appellationum Terminorum circumductioni locus ne eſto.

Imp. RUDOLPHUS. II. Aug. in Deputat. Spirenſ. 1600.

4. Poſt Citationem tamen ad reaſſumendum, itemque in executionis articulo locus eidem ſine diſtinctione eſto.

5. Termini nemine hinc inde comparente, poſt ſex demum juridicas circumducti intelliguntor.

TIT. CCCXVII.

De Terminorum reparatione.

Imp. CAROLUS V. Aug. & FERDINANDUS Cæſ. in Ordin. part. 3. tit. 39.

1. Termini eſſentiales vel præteriti, vel mendoſe habiti, non repoſitione libellorum, ſed paucis verbis inſtaurantor: ſimulque cum ante actorum nuda repetitione & adſertione concluditor.

TIT. CCCXVIII.

De Titulis.

Imp. CAROLUS V. Aug. & FERDINANDUS Cæſ. in Ordin. part. 3. tit. 12.

1. Tertius interveniens titulum cauſæ primum retineto.

Imp. FERDINANDUS Aug. in Mem. 1550.

2. Libellis, documentis, aliis, præter inſcriptionem, Patriumque nomina, Procuratores etiam uter Appellans vel actor ſit, ordinis ſervandi cauſa præfigunto: titulumque cauſæ primum, utcunque perſonæ variaverint, ſervanto, litis etiam capita adſcribunto.

IDEM Aug. in Camer. Mem. 1557.

3. Inter cognatas earundemve Partium cauſas recte diſcriminator.

Imp. MAXIMILIANUS II. Aug. in Proc. Mem. 1574.

4. Cauſarum inſcriptionem primam etſi plures conſortes acceſſerint retinento; diſtinctionemque accurata utuntor.

Imp. RUDOLPHUS II. Aug. in Proc. Mem. 1584.

5. Negligturis pœna arbitraria parata.

Imp. MAXIMILIANUS II. Aug. in Proc. Mem. 1576.

6. Citationi ad reaſſumendum titulus in producendo genuinus inſcribitor: Procuratoribus ni fiat, pœna immineto.

Imp. RUDOLPHUS II. Aug. in Deputat. Spirenſ. 1600.

7. Libellos omnes, Exceptionum, Replicationum, Duplicationum & deinceps nominibus, vel à numero ſcriptorum eo cauſæ articulo prolatorum, utcunque ſecus ab Advocatis indigitatos deſignanto.

8. Ab interlocutoria ſi appellatum ſit, idipſum titulo tam in pendentibus quam dehinc introducendis cauſis diſerte teſtantor.

TIT.

TIT. CCCXIX.

De Transactionibus.

Imp. FERDINANDUS Aug. in Deputat. Spirens. 1557.

1. Transactiones causarum conclusarum Judici significantor, aut pœna Procuratori arbitraria irrogtaor.

TIT. CCCXX.

De Tutoribus & administratoribus.

Imp. CAROLUS V. Aug. in Reformat. Politiæ 1548. cap. 31.

1. Ut pupillis minoribusque, quibus nec testamento, nec lege contigerint, tutores & curatores dentur, Magistratuum cura & provisio esto.

2. Administrationem nemo nisi Magistratus decreto demandatam subito. Ea autem decreta. Inventarium rite conficito, rectèque caveto, juratoque personis & rebus ex fide præfuturum, bona in rem suam non conversurum, nec sine decreto Magistratus obligaturum vel alienaturum, annuas rationes exigente Magistratu redditurum, aliaque gesturum uti oporteat, sub hypotheca omnium bonorum.

3. Rerum Ecclesiæ Administratores similiter tum jurare, tum & rationes conficere subiguntor.

V.

TIT. CCCXXI.

De Vectigalibus.

Imp. MAXIMILIANUS II. Aug. in Recess. Ratispon. 1576.

1. Cum vectigalium novorum exactio, veterumve auctio, sine Cæsaris & Electorum consensu flagellandæ annonæ, pertubandæque quieti publicæ passim instituta pertineat ad Cæsareæ eminentiæ dignitatem, Electorumve injuriam, circuli in eam rem inquirunto, & comperta ad Moguntinum deferunto, à Cæsareis Commissariis & Electorum Consiliariis discutienda.

TIT. CCCXXII.

De Visitatione Cameræ.

Imp. CAROLUS V. Aug. & FERDINANDUS Cæs. in Ordin. part. 1. tit. 30.

1. Judicium Cameræ Kal. Majo annuis per Cæsaris Ordinumque delegatos & Consiliarios hunc in modum visitator.

2. Cæsar Spiram Commissarios, Moguntinus suos, Coelectorumque singuli singulos per vices Consiliarios mittunto.

3. Principes bini, sacri alter, alter prophani ordinis, alternis ipsi veniunto delegantove, ordine eo quo in Imperii Senatu sedent.

4. Prælatorum, Comitum, Civitatum nomine singuli Consiliarii adjiciuntor.

5. Convocati à Moguntino, suo quisque ordine sumptuque adsunto.

6. Si syndicatus revisioque postulabitur; Judices idoneos adhibento.

7. Principes coram adesse impediti, sui ordinis Vicarium substituunto.

8. Emanentibus ob causam morbi (quæ sola attendenda) quibusdam, ceteri in instituto persistunto.

9. Cæsaris Ordinumque nomine omnes à summo ad imum Camerales, corruptelasque omnes cognoscendi, corrigendi, amovendi, sine respectu plenum jus potestatemque habento: Loco remotorum alios juxta Ordinationem nominari, à quibus oportebit, exigunto.

10. Superiores hac de Re Leges revocatæ & irritæ sunto.

11. Ordines Confessionis Augustanæ, cum aliis ad visitandum admittuntor.

12. Statutum de Camera querelæ, sub Kal. Martias ad Moguntinum delatæ, à Visitatoribus decidiuntor.

Imp. FERDINANDUS Aug. in Deputat. Spirens. 1557.

13. Convocati ad visitandum Ordines, nemipem nisi idoneum, jurejurando sibi devinctum, & post integri anni à Camera vacationem, deleganto.

IDEM Aug. in Recess. Augustan. 1559.

14. Si qui nec comparuerint ipsi, nec mandatarios suo loco miserint, hi visitatione in annum sequentem dilata, præsentibus sumptus itineris mansionisque omnes reficiunto.

15. At vero Revisione Syndicatuve promulgato, hi quorum absentia, legatorumve justa excusatione mora intervenerit, etiam Exadsessoribus peregre ad fuæ sententiæ defensionem nequicquam evocatis, Patribusque frustra circumactis, sumptus in eam rem factos, urgente per monatoria, & executoriales Fiscali, arbitrio moderatione Cameræ, refundunto.

16. Salus interim Revisione Syndicatuve apud eosdem Visitatione proxima disceptantis.

17. Ad

17. Ad visitationes, Revisiones, Syndicatus, suos quisque peculiares juratosque Consiliarios, Syndicos, Senatores intra annum Cameræ non devinctos mittunto.

18. Sin eorum unum pluresve recusari contigerit, de causis recusationum, & utrum admittendi an excludendi videantur, ipsi Commissarii Cæs. Visitatoresque reliqui cognoscunto.

19. Convocati ad visitationem Status singuli singulos mandatarios adhibento: plures eidem parti suæ ne committunto, vel suprascriptæ pœnæ locus esto.

Imp. MAXIMILIANVS II. Aug. in Recess. Augustan. 1566.

20. Si Visitatorum supra tres abfuit, Visitatio in sequentem annum ejicitor, cæterum, præsentes ad visitandum prosequuntor.

IDEM Aug. in Recess. Spirens. 1570.

21. Visitatores primum omnium quæ de perfidis compererint arcana habere, nec ulli præterquam Cæsari, itaque Magistratui cujus delegati fuerunt, enunciare admonentor.

22. Primo quoque anno singuli florenorum millia, ceteri non mittentes, aureos millenos Camerali ærario pœnæ nomine pendunto. Eam pecuniam Fiscalis permandata exigito.

23. Nec ea hac visa per absentiam principis, dum alias plus terni in universum non desiderentur, visitationis opus peragitor.

24. De negatorum processuum querelæ ad anni proximi Visitatores deferuntor, hi negandi causa a Collegio cognitis, peteri sive repellunto, vel processus decerni Cameræ imperanto.

IDEM Aug. in Recess. Ratisponens. 1576.

25. Moguntino præter Cancellarium & Equestris loci unum, unum etiam è Jurisconsultis mittere: Visitatum Principi duos secum Consiliarios habere liceto.

FINIS.